~~Th. 7. Ord. 9. Nro 36.~~

VII, 9, 40
R

ANTONII GANOCZY

PRÆP. S. AUGUST. DE INS. LAZ. CATH. ECCL. VARADINENSIS LECTORIS, & CANONICI, PROTONOT. APOST. S. T. D. AC SOCIETATUM ROMANÆ AB ARCADIA, ELECTORALIS MOGUNTINO-ERPHORDIENSIS, HASSO-HOMBURGENSIS, REGIÆ SVECICÆ, AC ELECTORALIS BAVARICÆ MEMBRI

DISPUNCTIO

DIATRIBÆ

A

GEORGIO PRAY

DIOECESIS STRIGONIENSIS PRESBYTERO

IN

DISSERTATIONEM

DE

SANCTO LADISLAO

REGE HUNGARIÆ, EPISCOPATUS MAGNO-VARADINENSIS FUNDATORE CONSCRIPTAM, EDITÆ.

Bibliotheca Jatensis S. J.

MAGNO-VARADINI

IMPRESSUM PER IGNATIUM JOANNEM BAPTISTAM BÁLENT TYPOGRAPHUM.

MDCCLXXXI.

A HÉPKÖNYVTÁR NEM ADHATÓ EL

Veritati nemo præſcribere poteſt,

Non ſpatium temporum,

Non patrocinia perſonarum,

Non privilegia regionum.

Tertull. de Vel. Virg.

AD LECTOREEM.

Benedicto Cetto ab Auctore oblatus 1784, quo anno prodiit

Pr. Foca

Bib. Jacob 1751

PRæter opinionem meam adverſarium hoc Opus, atque adeo præter morem, conſcripſi. Edideram videlicet Diſſertationem de S. Ladislao R. H. &, ut arbitror, Magno huic Regi initia Epiſcopatus Magno-Varadinenſis vindicavi. Verum, quia in verba Cl. Pray jurare nolui, nec, niſi in Divos injurius eſſe velim, potui: ecce ille famoſo Libello (a) magna verborum libertate in me protervus incurrit, & longo convitiorum carmine, meliori labore occupatum, excitavit. Deſultorios Viri, cætera non indocti, impetus contemnere, erat animus; ſoleo enim & genoroſo ſilentio me vindicare: ſed hic aliud amici ſvadebant, & res ipſa impellebat. Nec enim mea ſolum cauſa, ſed etiam aliorum Scriptorum, qui Illi, ut Rutulus ille Heros, *toto vertice ſupra ſunt*, agebatur; in quos ille iniquus (b) æque, atque in me injurius fuit. Depravando, interpolando, interpretando vitium intulit illis, vitium etiam mihi: & medicus plus nocuit, quam morbus. Corde miſeratus ſum, cum vidi: & qua excuſatione ſilerem, non vidi. Fabius in Senatu olim animoſe: *Quam arborem conſeruiſſet, ſub ea legere alium fructum, indignum eſſe*, (c) de fructu non ego dicam, legant; imo ideo ſata, & a nobis rigata eſt: ſed defringi, aut detruncari, qui patiemur? Equidem Diſſertatione mea ad illius reſpondi, & ſpectris nimium occupatum, ſive ultra modum ſibi placentem Viri animum, illum repreſſi, hunc produxi. Expedit hoc poſteris, ne ſplendidis verborum phaleris, quibus, etſi turbide, & adhæſe, orationem ornat, pariter & onerat, capti, in fraudem facile inducantur, & ſpretis melioribus adhæreant, ac vana hæc amplectantur. Cauſa etiam privata me movit. Age, Zenone ſim modeſtior; tamen iſtud tintinnabulum me excitet, & linguam ad

 juſtiſ-

(a) Diatribam vocat, rectius Myriadem convitiorum nominaſſet.
(b) Id ex hac Diſpunctione liquido patebit.
(c) Livius L. X.

juſtiſſimam defenſionem laxet. *Patior facile injuriam, ſi eſt vacua a contumelia.* (a) Homo impotens communis moris, & omnis moderationis expres, vano quodam impetu me proterit: atque odio, non deſpicatu ſolum impugnat. Scriptor gloriæ avidus, occupatæ invidus, abolitis nominibus faſtidioſe rapax, & cui nihil utile, nihil bonum, nihil in Hiſtoriis clarum, quod non ab illo proficiſci exiſtimetur. Sileam? illum, aliosque attollam, ac provocem, & ſcopum me faciam petulantiæ atquæ invidiæ telis. Imo cum Poëta

— Τάχα δή με διαρραίσουσι καὶ ἐυτόν. (b)

Ergo reſpondi, & repreſſi, fidei, famæ, quietis cauſa: ſed id ipſum quiete, nec magno animi motu. Non enim, ſi ille ſui, ego mei oblitus ſum: nec æſtuare cum illo libuit, aut mergi, ut ſic dicam, cum mergente. Joculos adſperſi tantum, & tenues iſtas epulas velut ſale aliquo condivi dictorum: convitiis ejus convitia non oppoſui; ſed diſpunxi, oſtendique omnia maledicta, probra, calumnias convitia, & quidquid talium, ſibi ereptus, plena, ut ajunt, vola in me illiberaliter contorſit, in ipſummet recidere, atque *Æs Dodonæum* eſſe. Cur non jure factum? Poëta philoſophus olim ſcripſit

Σώφρων καθ' ἡμᾶς, σώφρόν ἀνηλή ψεται,
Θυμούμενῳ δὶ' τένξεται θυμούμενον: (c)

Etſi poſtremum hoc abnuo, atque etiam incitatus in me, non ſentiet incitatum. Aſpera, aut acerba a ſtylo, ut a natura, abſint. Probis Viris indignum hoc ſtudium eſt: ſed ut culicem moleſte circumſtrepentem, levi manu, & ſine ira diſpellimus; idem liceat, & deceat in iſto, qui innoxiam quietem meam turbat. Feci: atque ita, ut appareat, illam magis, quam vindictam procuratam, & veritatem, quam victoriam quæſitam. Si quid tamen non ad gratiam, aut guſtulum illius erit, ſuſtineat, & tolleret vel Euripide monente:

— Επεί τὰ μὴ καλά
Πράσσειν ἐτολμας, τλῆθι καὶ τὰ μὴ φίλας. (d)

Sic-

(a) Quidam apud Pacuvium.
(b) *Cito & ipſum me ore vorabunt.*
(c) *Modeſtus in nos invicem modeſtiam: Intemperans intemperantiam ferat.*
(d) *Quoniam non bona patrare es auſus, non amica etiam feras.*

Sicubi erravi, non ob id ludus fieri, fungusque haberi poſſum: quin, meliora edoctus, errorem lubens, volensque agnoſcam, & quod temere affirmavi, tamquam non ſcriptum inducam. Παντελῶς δ' ἄμωμός ἐστις, ὃς ἂν ἀκήριος. (a) Utinam tam prompto animo omnia mea errata configere liceret, & cognoſcere: alii faciant, & me in ære ſuo habeant, modo præuſtis ſudibus non cogant. Error absque impacta contumelia proferri, corrigique poteſt: imo ab iis, qui pudorem non exuerunt, ita debet. Non ſum ſane ego ille Potitius, qui putem, unum me litare in hoc Sacro: alii ad aram veniant, faciant, bono, & propitio Hercule illo Muſageta. Si Hypercriticus meus aliqua præter me prodit? gratetur ſorti ſuæ, imo publicæ, & ſine livore, aut inſultatione hæc proferat. Et quæ hic culpa mea ſit? equidem horis vacuis, ut licuit, laboravi; quæ nanciſci potui, induſtrie, & fideliter rimabar, nec pauca erui, bonis laudanda, aliis invidenda. Columellæ appoſita verba: *Ut in magna ſylva boni venatoris eſt, feras indaganter quam plurimas capere, nec cuiquam culpæ fuit, non omnes cæpiſſe;* idem hic eſto. Unde ſi & error, aut ſomnus me interdum habet, quid mirum?

Ἀλλ' ὀγὰς πως ἐσὶν ἀὐπνυς ἔμμεναι αἰεί
Ἀνθρώπυς. (b)

dicit Poëta omnis ævi ſapentiſſimus. Ille vero, qui, cum me maxime carpit, imo lacerat, in quam plurimis & hic, & alibi aberrat, (c) tamen me pedibus trahit, & omnia mea *nihil ad Parmenonis* - - - Unus ille, ſed fortaſſe ſua ſolum, ſuique ſimilium opinione:

Subtilis veterum Judex, & callidus audit.

Rideo: tu facies Lector; dum mea cum illius contendendo legeris, & vero, bonoque favebis. Et ſimul ſcies; ſemel, atque univerſe toti huic generi reſponſum. Sint alii, qui incurrant, qui ſcribant: mihi contumeliis pugnare non lubet. Honeſtas cordi mihi eſt, Tibi ſit veritas, & ſic ſalve. (d)

(a) *Omnino culpæ nemo liber, aut notæ.*
(b) *At non fas homines vigilantes perpetuo eſſe.*
(c) Erit fortaſſe (eventum tamen, & affectum aliorum in me non recipio) ut hanc promulſidem plenius epulum pone excipiat.
(d) Non vereor, neque erubeſco Eruditorum Virorum, quibus minus ſcio, ſcripta uſurpare, imo & eorum verba mea facere.

EPISTOLA AD AMICUM. (a)

Delectaverunt me Literæ tuæ, ex quibus intellexi, quod etiam ſine Literis arbitrabar; veterem tuam in me amicitiam non modo nulla labe adſperſam, aut diminutione adfectam eſſe: ſed & novam acceſſionem ſumſiſſe, & cui nihil videbatur addi poſſe, prope ſingulari cum affectione creviſſe. Scribis enim Diatribam, quam Adm. Rev. & Cl. Georgius Pray typis Poſonienſibus vulgavit, te avidiſſime arripuiſſe, non ignave legiſſe, ac demum neſciiſſe, numnam Sriptori illi indignari, aut compati? an mei, in quem plane indigno clamore, verboſisque cavillis intemperantiſſime deſæviit, (b) & cum bene deſæviit, tantum non Tubicinem ad oſtium meum canere juſſit, commiſeratione tangi debeas? Reſciſcere deinde cupis: Uteum illius hoc opus bene ferruminatum, (c) vel potius plumbaturam duntaxat parum firmam, & nunc quoque hiantem eſſe, atque adeo Cl. Authorem *de calcaria in carbonariam* more ſuo abiiſſe exiſtimem? Denique: cum tibi aliquibus in locis recte ſcripſiſſe videantur: ſi ita? percontaris ex me: anne offerre velim Σπόγγον, ἀκεστὸν πλαζομενῆς γραφιδος. (d) Mihi humanitas hæc tua, vel non vulgaris potius ſapientia, non jucunda ſolum, ſed etiam admirabilis fuit: & cum teneritudinem, qua in me ferris, animi, atque vehemens, quo æſtuas, ea ſciendi deſiderium expendo; debitionem amicitiæ eſſe reor, ut ad Literas tuas ſingillatim reſcribam.

Cogi-

(a) Non mihi ſuccenſeat benevolus Lector, quod Reſponſoriam hanc Epiſtolam, quæ forte jam in Præfatione occupata videbitur, opellæ meæ præponam. Exiſtimavi illam ad melius cognoſcendum Adverſarii animum conducere, adeoque vulgandam eſſe.

(b) Ait quidem in Præfatione, ſe opella ſua mihi prodeſſe, & ſtimulos ad porro commentandum adjicere velle. Ohe! quam id frivolum; calumniæ apud probos adimunt animis. Imo a commentando deterrere vult; & cum bilem evomere meditatur, bene me ſperare de morbo ſuo ſinit.

(c) Non audeo dicere: *Conſutum*, ne Cl. Pray me Sutorem pronuntiet, ut alibi ad tædium facit. Malim Malleator, quam Sutor audire. Niſi forte omnes illi Sutores ſint, qui ex alienis laciniis ſua ſcripta conſarcinant. Male nobis, nam uterque noſtrum in nautea quærendus erit poſthac: at ille ſæpius.

(d) *Spongiam aberrantis, quæ medicina ſtyli eſt.*

Cogitabam ego quidem prius, Critonis mei, quas ex alto in me ſumma inclementia fulminat, calumnias leni, placidoque ſilentio præterire, & taciturnitate agere victor ex Adverſarii molitionibus triumphum juſtiſſimum; plane enim arbitrabar fore, vehementer ut illum pœniteat intemperantiæ ſuæ. Sed cum omnia exputo, profecto coërcenda ejus laſcivia eſt. Langvorem meum novit, modeſtiam etiam, & non paucas, quibus undique diſtineor, curas: itaque tuto calcare, & inſultare ſe cenſet. Usque patiar? imo oſtendam, aggreſſorem iſtum *barbam vellere, languido, ſed non mortuo leoni.* (a) Ibit in lucem, etſi tenue, hoc ſcriptum, & ita ibit, ut ad te ſcribo. Scribo autem, ut ſi quis bona, liquida, & non illius mente legerit, agnoſcat, a me hamanitatis legibus ex amuſſim ſatisfactum eſſe; neque enim operoſe, ut ille fecit, (b) conquiſitis convitiis illum impeto: ſed ea ſolum, quæ in me creberrime jacttat, rejicio, quod humanitas ita fieri admittit, ut ſcutum ſcuto, galeam galeæ opponere. Nec Cl. Vir mihi ſuccenſebit, ſi ipſiusmet verbis ſæpicule uti præſumſero: Libellumque ejus, uſquequaque parvum, minutim refutavero: etſi forte in eo peccem, quod curate examinem, & ſingula cenſione digner: Vereor autem, ut ille Homericum illum Paridem imitetur, qui cum initio jactaret ſe ſtolide, & laceſſeret, mox ut Menelaum vidit Εν προμάχοισι φανεντα, κατεπλήγη φιλον ἦτος: (c) idem inquam illi eveniat, & me pro Helena mea pugnantem non ſubſiſtat. Nam etſi adfirmem, Domeſticæ Hiſtoriæ notitiam in iſto eſſe, ut tamen in altioris nominis velut pulpito, contumeliarum cantica deſaltet, atque in fidem, nomen, honorem aliorum inſiliat, & graſſetur, nemo unus adfirmabit, niſi juxta ſyllographum ſit: Κενεῖης σιήσεος ἔμπλεος ἄσκος. (d) *Ranis miniſtret, nam hoc non eſt merum.* Idcirco reſpondendum cenſui, & ſingillatim pro quorundam hujus ævi inge-

---

(a) Ne, quæſo, me hic æſtu gloriæ Adverſarius jactari putet. Nota phraſi utor.

(b) Certe: vix aliud intemperantius hoc ævo Scriptum prodiit. Bile amariora ſunt, quæ in me perperam conjiciuntur. In Diſſertatione de S. Ladislao pauca a me contra ejus ſenſum ſcripta: nihil in illum, quod famam quidem tangat.

(c) *Stantem in principio perculſus pectore caro eſt.*

(d) *Vanæ opinionis plenus uter.*

ingenio, quibus Καὶ τὰ μὴ καλὰ, καλὰ πέφανται. (a) & placent convitia, quæ in alios dicuntur, etiam cum non placent. (b) Quid? illis, qui aliorum, aut noſtra ignave legunt, nonne conſulendum fuit? Nam pauci inquirunt, aut loca comparant, niſi alio præeunte. Denique de immodeſtia mea, atque incurſu in alios, quæ objicit, refellenda. Omnia ſane mihi detrahi patiar, quam modeſtiam, ingenitam, non adſumptam. Quam nec hic migrabo, etſi liberius aliquid, aut facetius in iſtum dixero. Quidni in famæ meæ hanc hirundinem, in iſtum Archilochum? etſi cum modo & calor fortaſſe appareat, non ira πρὸς τοφὰ γὰς ἀνδρὸς ἀσχεῖν σώφρόν ἐυόργησίαν. (c) ait Euripides. Hæc ad te Amice præmittere oportuit, quæ cum Diſpunctionem Diatribæ publici juris fecero, (d) copioſius pertractabo: prius tamen triplicem Elenchum: Calumniarum, Depravationum, & retractationum ejus exhibere neceſſe eſt.

ELEN-

(a) *Non pulchra, & pulchra videntur.*

(b) Sunt nonnulli, ii præcipue, qui alium de rebus Hungaricis ſcribentem præter Prayum legerunt neminem, qui ferunt ægerrime, ſi ille vel uno apice lapſus eſſe dicatur. Statim clamorem tollunt, & pene ad furorem vociferantur. Tune Prayo, quo omnis Patriæ Hiſtoria nititur, dicam impinges? tune illum errare audebis dicere? Talia mihi ipſi, poſtquam Diſſertationem meam de S. Ladislao Rege vulgaram, objecta ſunt: quaſi vero hæc adyta nulli alteri ingredi liceret, aut neſciremus Prayi multiplices aberrationes.

(c) *Eſt ſapientis exercere ſobriam iracundiam.*

(d) Jam pridem iſthanc Diſpunctionem paratam teneo; ſed expectandum erat, dum Hierachiæ Hungaricæ partem alteram Cl. Pray ederet, ut ſi quid adverſus Epiſcopatus Varadinenſis initia novorum argumentorum adduceret, in examen revocarem, & una opera refellerem. Verum is ea ſolummodo prolixius refert, quæ alias in Diſſertatione de S. Ladislao ſuccinctius dixit. Illa tamen univerſa in mea Diſſertatione jam refutata eſſe ita, ut his illius nulla amplius vis inſit, Lectores facile comperient. In Mantiſſa nihilominus ejus argumenta recoquam.

ELENCHUS CALUMNIARUM.

Primum itaque, quod mihi ſcripſiſti, eſt: Cl. Pray Diatribam, quam improba induſtria, nolo enim dicere, abſona temeritate, adverſum me, neſcio, e qua ſcrobe, infeliciſſime protraxit, tibi adeo putidam, moleſtam, & faſtidioſam videri, ut ignorare debeas, numnam illius in apertam lucem productæ fragilitati, ſportularumque captationi miſereri, vel in Eundem ob hæc ipſa vehementius commoveri? an vero mihi, qui in Theatrum iſthoc prolatus, ſine noxa nefandis contumeliis proſcindor, dolentem animum jungere te oporteat? Pone curas. Noſtin', quis ille hoc in genere ſcriptionis ſit? Sæpe in Spongiam incumbit, ut Auguſti ille Ajax: & tametſi non poſſit neſcire, prorſus neminem eſſe, qui in rebus, præprimis Hiſtoricis, non exerret, (a) propterea tamen.

Non omnis delyrus erit, cui ſenſus Ulyxis
Deficit, nec mutus, quem neſcit Muſa Maronis.

His nihilominus poſthabitis, aut certe non rite expenſis, vel etiam nimio propriæ exiſtimationis ſtudio, ſuique amoris æſtu fervidiſſimo extra oculos poſitis, atque rejectis; ſi quis hanc Corinthum adire, ſi ad illuſtrandam, qua licet, Patriæ Hiſtoriam ſe ſe accingere, magis vero ſi contra, quam is dictaverit, ſentire audeat, aut ejus perſæpe ſine omni baſi de nihilo eductis opinationibus aſſurgere, manum porrigere, caputque obnixo genu ſalva rationis integritate curvare nolit, non poſſitve; continuo antra ſua denſa horrentia caligine petit, arma arripit, profert, expedit: hoc eſt, ejusmodi Scriptorem calamo lacerat atrociſſimo, aſpergit infamia, omni fide, honeſtate, ſcientia, privare, deſpoliare, exuere plane virulento ſcribendi genere nititur, ut adeo, non pauci, ad promovendam cæteroquin rem literariam facti; latitare, intenſoque ſolum gemitu Hominis nimium jam confidentem audaciam incuſare malint, quam id modi Anubus congruens bellum bellare. Et unde, quæſo, hæc tanta, non dico malitia, ſed hoc certe licet, temeritas illi proxima? Quid dicam? Nos in caligine — ὅτῳ ὁρᾶς πρόσσω καὶ ὀπίσω. (b)

Mihi

(a) Id experientia Adverſarium noſtrum docere poterat. Ejus Hiſtoria adeo frequentibus aberrationibus ſcatet, ut in poſterioribus Libellis, vario argumento ſcriptis, quam plurimas retractationes ineat, quarum ſyllabum ſi conficere, riteque, nam ille crepere ſolum retractat, deſcribere vellemus, in non parvum volumen excreſcerent.

(b) *Tu — proſpicis unus, & reſpicis idem.*

Mihi videtur fons, & origo immodicæ hujus licentiæ esse, quod sibi persvadeat: se unum, verum assecutum esse: se unum, Diplomatariam, Antiquariam, Criticam, & quidquid ad Historiarum sinceritatem pertinet, exhausisse: (a) se unum, veterum, & Synchronorum Scriptorum authoritatem cum Noctuæ ovo exsorbuisse. (b) Unde prone consequitur, ut si quis contra illius sensum scribit, ne gloriæ, quam dudum jam præcox Paranymphus sibi desponsaverat, quippiam decerpi sinat, in talem immodice, dictatorie, nec satis humaniter invehatur, ac velut pro aris, & focis obstirmate depugnet, etiam cum aberrationes suas revinctas jam esse sentit: & dum ita gloriæ suæ offensam timet, posteritatis meretur. Morbus hic suopte periculosus, diuturnitate temporis in naturam illi abiit. Sed non libenter ungues in hoc ulcere teneo. Propius ad rem.

Initium a me ipso facio. Pudet, & piget, tædetque gerras Adversarii hic recensere. Recensebo tamen, ne quis arbitrari possit, Hypercritonem non meum modo, sed & omnium sibi non consentientium, contra quam in Præfatione pollicitus eram, a me novis convitiis adfectum esse: illius solum, rursus promitto, regeram. Quis igitur ego illi sum? Nec Logicus, nec Historicus, nec Criticus, nec Jurisperitus, nec Politicus, nec Theologus, nec Nummophilus, nec Biblio- nec Biographus. (c) Sum autem: Saturni Satelles, mirus Argutator, ex Critico Orbilius, Arrogans, Pertinax, Mendax, vix Corrigibilis, Mei ipsius immemor, Spissus, Fumum captans, Temerarius, Verbosus, Levis, Exorbitans, Ignarus, in Scriptoribus Hospes, Imperitus, Suspicioßissimus, Ineruditus, Immodicus, Præcocis judicii, Subdolus, Malæ fidei, Inhumanus, Imprudens, Absurdus, Falsus, Somniator, Heautontimorumenos, Insanus Criticus, Vertumnus, Nugator, Vates, Illiberalis, Insani judicii, Præcox Paranymphus, Sugillator, Solœciſſans, Frivolus, Immeritus Theologiæ

(a) Testis hac in parte maxime idoneus sunt ipsiusmet scripta. Evolvantur, & apparebit, me ne latum unguem a veritate recedere.

(b) Huc appositc quadrat, quod Horatius cecinit: *Qui se credebat miros audire tragœdos - - -*

(c) Bene, quod adhuc inter homines me esse pro sua liberalitate sinat.

giæ Doctor, Divagator, e lacunis hauriens, Stultiloquus, Seditiosus, Impius, Tenebras de industria offundo, non sine fastidio recoquo, Authores ex pumice exsculpo, severi supercilii Criticus, Miras ideas habeo, Magna cum pompa narro, tanquam ex equo Trojano educo, de meo falsè adjicio, legentibus palpum obtrudo, audeo obstrepere, & tam illiberaliter, & tam non bona fide, ingratiis, nec satis perite detorqueo, sæpius exerro, exaggerate, nec cum veritate consentientia scribo, falsum pro genuino venditare audeo, extra orbitam salto, perperam affirmo, tanquam ex tripode pronuntio, rationes non bene libro, multimodis impingo, frustra, & leviter carpo, non ad rem loquor, non satis critice judico, Nomina fere ad lumbifragium detorqueo, Demonstrationes meæ ad Antyciras relegandæ, in Pyrrhonismum prolabor, non ex norma critices sumo, Errores meos nimis operosè excuso, Ut togatus Belli Dux sum, Nimis leviter mihi persvadeo, Vel ico, Scriptores ad Geometricum pedem exigo, Imprudens consentio, Umbras de nihilo obtendo, Inerudite, & insolide oggero, Citeriam duco, Perfunctoria opera scribillo, Aperto cachinno dignus sum, Male existimo, Non omnibus, quæ dico, fides habenda est, Falsè appingo, Opem a Bonfiniano Sutore imploro, Verba luxo, Sententias ingratiis torqueo, Errores meos in alios detorqueo, Parum auspicate hariolor, Vatis instar præsagio, Ingenium non satis ferax habeo, Authores sus deque pro libidine habeo, Mihi ipsi eripior, Nimia confidentia utor, Aberro, & pene hallucinor, Frontem abjeci, Insignis mea est oscitantia, Putamina nucleis præfero, Argumenta mea nihili sunt, ad commiserationem me torqueo. *(a)* Jam fatigor, & tædium etiam capit recensendi tam assiduas, & pares nugas. Nam ut Græci dicunt: πάντα μία κονις. *(b)* Itaque transeo quædam, hoc subnecto: Dum Sesqui-Ulysses noster verbis, an intemperiis tam subtiliter illa expedit, Lauru, & Capitolio dignus est, sed - - - *(c)*

(a) Quam hæc atrocia, nemo non videt. Meliora sane in Schola, in qua sex & amplius lustra exegit, discere Vir bonus poterat, & debebat.

(b) *Omnia idem pulvis.*

(c) Hier. Eccl. P. II. in Dedic. Virum Doctum, & Disertum me nominat. Quomodo id cum his ignorantissimi, & infra omnem vulgi sensum depressi hominis titulis conciliari possit? non video.

Etſi vero nimis quam enormia, atque de trivio accepta ſint humanitati Critonis noſtri congruentia hæc Encomia, rideo, & exſibilo; Hiſtrioniam enim magis, quam ſobriam Criſim olent, cui qui vacat, ut Tullius in Paradoxis ait, *exſibilatur, & exploditur*: (a) Rideo, inquam, non quaſi projecta omni fronte Viri cordati ſenſum amiſiſſem; quis enim non ſentiat, velut rupto omnis decori, & honeſti aggere, contumeliarum in ſe ſe torrentis inſtar effuſarum impetum? ſed quia ab illo procedunt, qui aſperam indolem nactus, neminem callem ſuum illæſo capite decurrere patitur: in omnes pariter critico ſupercilio incurrit, irruit, & bacchatur; & ita agens, qua ſit animi rectitudine indicem nobis porrigit. Quid ergo mirum? ſi ſic univerſe baccahatus, in me etiam flectit, & meis cruribus aſciam illidit. Inſipiens ego ſim, ſi me Scriptoribus de Republica Literaria optime meritis conferre, vel ſaltem inter illos non minimum locum ambire, prenſareve audeam. Non eſt proinde, cur animo ad Prayana convitia vehementius commovear? qui ipſis Hiſtoriarum Baſibus, ſin minus; cultoribus eximiis certe labem ubivis adſpergit, ut videlicet in alienis ruinis immodicæ gloriæ cupidini triumphum erigat.

Ἐρχόμενον δ' ἀνά ἄστυ, θεὸν ὡς, ἐισορόωσιν. (b)

Luſtremus, an hæc rite?

Quis neſcit quam adverſo æſtu, nec ad modeſtiæ leges ſatis exacta ſcribendi ratione, Adverſarius noſter ferebatur olim, & etiamnum feratur in Clariſſimos, & a multiplicium ſcientiarum cognitione celeberrimos Viros, Innocentium Deſericium, & Benedictum Cettonem, utrumque e Scholis Piis. Iſti non modo Liberales Artes, Eloquentiam, Antiquitates Romanas, Philoſophiam, Matheſim, & Theologiam, Veſzprimii, Nittriæ, Peſtini, Debrecini, & Jaurini, magno Auditorum fructu, atque præclara ingenii ſui commendatione explanarunt, verum ad prima etiam, quæ laudabiliſſime geſſere, munia merito ſuo pro-

(a) Hoc argumenti genere utitur Cl. Pray adverſus Reverendiſſ. & Cl. D. Joannem Róka Hier. Eccl. P. II. pag. 21. Sed de hoc mox plura.

(b) *Vendentemque per Urbem adſpectant* (ſubſtitue adſpectent) *Numinis inſtar.* Homerus.

provecti sunt: & præterea ab editis doctissimis, Patriæque non parum proficuis operibus apud Eruditos inclaruerunt, debitam insignis scientiæ famam consequuti. (a) Et istos tam egregios, ac omni Literarum genere eleganter, & solide excultos, atque ingenio, & modestia ejus dispares Viros, non veretur Noster ille Crates injuriis lacessere, despicatui habere, facete, & defricate deridere: ita videlicet, sicut Piratæ onustæ navi insidiatur. (b)

Cl. Godefridum Schwartzium, Virum sane doctissimum, atque apud suos eminentioribus dignitatibus, nominibusque conspicue ornatum, prorsus plane illiberaliter accipit, cavillatur, explodit, turpissimo calamo traducit. (c) Ita & alios. An vero hic Minervæ calculus est? nihil minus: ad Faunos, & Satyros relegandus. Verum quia præstantissimi hi Viri adversus opinationes Critonis nostri doctius, quod illi acrius videtur, scripsere; idcirco provocatum se fuisse ad reddendas vices og-

 gere-

(a) Vide plura de egregiis his Viris in Memoria Hungarorum Cl. P. Alexii Horanyi, a compluribus vario argumento scriptis Operibus, Viris Eruditis non ignoti. Ubi inter alia leges, Innocentium Desericium jussu, & authoritate Benedicti XIV. P. M. ad Dynastam Valachiæ Constantinum Maurocordatum Legatione functum fuisse. Synopsim item Prayanarum altercationum, & calumniarum.

(b) En! Desericium in argutando præcocem esse clamat: in commentando tenuibns, ac incertis conjecturis niti: vehementer extra rhomboidem agere: regnum in Historia Patriæ occupare voluisse: somniare: sibi ipsi non cohærere: inficeto gloriæ studio agitari: inconstantem esse &c. Cl. Benedictum Cetto simili veneno imbutis jaculis pariter petit. Ut multa alia taceam, unum tantum, quod extra omnem orbitam in ipsa hac Diatriba in celeberrimum hunc Virum detonare non erubescit, profero. Sic autem pag. 13. scribit: *Idem anno superiore rursus Schediasma aliquot plagularum Viennæ vulgavit, ad quod, quoniam - - pro lubitu suo in devia, & avia divagatur, ac vesti inveterata, ne laciniæ aspectabiles sint, epitogium inducit, nec stylo ad humanitatis leges satis exacto utitur - - & præterea videtur nactus esse - - æmulum illius artis, atque obstrigillatorem, quæ per aliquot annos quæsti nihil fecerit - - Tum quid ego respondeam Viro, qui in Lexicographis terendis fere ætatem detrivit.* Digna hoc Hercule verba, maxime cum succubuit. Sat profecto quæsti fecit. Cl. Cetto, quod Cl. Pray sententiæ ipsum fundamentum everterit, quod fere bis mille annorum spatium ex Annalibus ejus exterendum effecerit, quod alibi rursus centum annos ad XXXVI. reduxerit; ideoque, quod tam spissos errores detexerit, & legentes ad saniora revocaverit; quod eruditissimæ ejus Dissertationes extra omne dubium ponunt. Iste quæstus utique gratior ipsi erit, quam si atramentarium vasculum ex argento conflatum, in quod calamum intingat, donum accepisset.

(c) Vide Pray. Annal. Tom. I. pag. 12. Tom. IV. Præfat. Diatrib. pagin. 21. & 23.

gerere poteſt. *(a)* Deſericium quidem primus Cl. Pray more ſuo ad cædem deſignavit, ut Cl. Cetto luculenter oſtendit. *(b)* Etſi vero non inficier, Cl. Schwartzium paullum acriora verba adhibuiſſe, cum Adverſarium noſtrum, Locutulejum, Compilatorem, & Buccinatorem pronunciavit; *(c)* attamen ut ego quidem reor, iſtis nominibus in ſe prius contorta convitia caſtigare voluit. Certe: Crito noſter de illo iſthæc antea vulgavit: *Inhumanum, parumque prudens* (Schwartzii) *dictum, & haud ſcio, an omnibus Hæreticis, præſertim quos liberale ingenium, & politior vitæ ratio ab vulgo ſecrevit, probatum,* cætera his ſimilia. *(d)* Poſtea vero *(e)* longe maximis cavillis egregium Virum uſque ad ludibrium laceſſit. Et demum in Diatriba *(f)* extra omnem argumenti ſui rationem, ultraque eam, quæ

(*a*) Ita videlicet dentem pro dente, oculum pro oculo, contra quam Evangelica Lex præcipiat, Crito noſter poſcit. Sed id illi valde pium videbitur, ut me alias carpit.

(*b*) In Collectione Diſſertationum edit. Colocen. MDCCLXVIII.

(*c*) In Opere, cui Titulus: *Flores Sparſi.*

(*d*) Annal. Reg. Hung. Par. I. pag. 12.

(*e*) Annal. Par. IV. Præfat. ubi plura invenies, cætera inter honorum, & muniorum, quibus Schwartzius ornatus eſt, nomina; ut ſunt: *Theologiæ Doctor, in Academia Hallo-Schauenburgica Profeſſor Primarius, Conſiſtorii Aſſeſſor, Eccleſiarum, & Scholarum Superintendens*, a Cl. Pray inconcinne derideri, & explodi: quaſi vero inter Hæterodoxos pariter & Orthodoxos a conſpicuis hujusmodi muneribus indigni arceri haud ſolerent: imo ſolis bene meritis, & qui ſingulari eruditione ſe a vulgo ſecreverunt, conferuntur. Qualem certe Cl. Schwartzium eſſe, quamvis Luthero addictus ſit, nemo ſobrius negaverit.

(*f*) Diatribæ pag. 20. ait: *Doctiſſimus Schvartzius mira, & digna Orbilio Metamorphoſi ignominioſiſſime Stultingum Bolondum facit.* Nimium jam noſtro familiaris hæc phraſis eſt: hac ipſa & alios, & me ornavit. Ibid. *Næ ego doctiſſimum Virum, ubi primum occaſio tulerit, ſcriptis Romam Literis pro Diabolo Rotæ - - commendavero.* An decet gravem Scriptorem tam leves luſus ducere? tamquam ſi Roma illius commendatione in tranſverſum propelli poſſet. Rurſus Pag. 21. *Cl. Schvartzio negotioſo magis Triconi, quam Critoni, aut in rebus Sacris pluſculum lectionis, aut defæcatius judicium optamus.* Profecto ad Hiſtrioniam pertinet, de Viro, & meritis, & ætate multum provecto tam projecte ſcribere: qui forte non immerito Cl. Adverſario aut pluſculum humanitatis, aut ſolidius judicium optaret. Pag. 23. *Id enim mihi tantidem eſt, quaſi id - - neſcio, quis ex Monomotapa, Japonia, China, & Paraquaria aſſertum iret.* pag. 24. *Merito illum ex Dictatura Critica, quam in rebus Hungaricis ſibi arrogat: ad inferiora ſubſellia - - rejicimus.* Belliſſimum judicium.

Τοδ' ὀξύθυμον τουτο, καὶ λίαν πικρὸν,
Δεῖγή ἐστὶ νεῦθὸς πᾶσι μικροψυχίας. Menander.
At fervidum iſtud, atque exaſperans nimis
Infirmitatis omnibus ſtatim eſt nota.

Certe:

quæ Eruditos Scriptores docet, moderationem, rapido curſu in eum invehitur, & incompta Satyra tantum non proterit. An vero tria illa, ut ut paullum aſpera vocabula, adeo exorbitante ſtylo vindicari debuerint? ferant, per me licet, judicium, qui recte agunt, partibusque ſtudere non conſveverunt. Utcunque autem hæc ſint; videamus, quam pulchris, quamque urbanis, & politis nominibus Noſter veteres Scriptores, quorum ratio non vulgaris ſane habenda eſt, quive illum non aliter impetere poterant, quam quod ea ad nos traſmiſerint, quæ ille in ſuos ſenſus nulla arte detorquere poterat, cohoneſtare dignetur. Præſtantiſſimos certe Authores, ſus deque pro libidine habet. Ne vero nimis quam longum Titulorum elenchum texere debeam, neve Lectorem, cujus animo honeſtas inſidet, tædio afficiam; ſatis erit ad ſignandam Hypercritici noſtri officioſitatem hoc loco proferre, quæ ille Annalium ſuorum Parti primæ ſparſim intulit: & luce meridiana clarius apparebit, quiſnam huic pene totius mundi ſeveri ſupercilii Arbitro ſenſus, quæ animi temperantia inſit.

De Joanne Thurotzio hæc habet: *Multa in hac narratione hallucinatur: Ladislaum - - ut Bonfinius, & Thurotzius volunt, imperite prorſus, nec ſatis ad illa tempora accomode conſignatum eſt.* De Bonfinio: *Etſi neſcio, qua fide ſcribat: Bonfinius prolixa oratione - - quia plerisque exaggerata - - etiam improbabilis: Enorme facinus ad Comicæ artis, quam Hiſtoriæ normam magis exegit, ut ſcenam potius, quam narrationem adumbraſſe videri poſſit: Bonfinii commentum de Andreæ reditu: Neque illud, quod Bonfinius itidem ſomniat, locum habere.* De Revaio: *Pie magis, quam vere comminiſcitur.* De Aventino: *Magnopere Aventinus hic hallucinatus: Ut Aventino libuit ſomniare: Altera hallucinatio eſt: Aventini hallucinationem facile eſt arguere: Commentum Aventini: Mirum non eſt, Aventinum, quem in rebus Bavaricis toties hallucinari conſtat, in Hungaricis prorſus ineptire: Aventinus commen-*

Certe: quidam non minimæ Literaturæ, Luthero adhærens Vir Poſonii ad me hæc fere dixerat: Putaram ego antea Prayum ex zelo ſuæ, ac odio adverſæ religionis in Schwartzium deſævire; modo cum in omnes æqualiter ſit ferox; ſatis video hominem, vanæ complacentiæ cæca cupidine agitari, atque circumagi.

mentus eſt. De Ludewigo: *Tam ſupinam Ludewigi oſcitantiam, prorſus impatienter fero - - qui majore, quam Criticum decet, fidentia ſcripſerit: Quam vanis, de nihilo ſumptis conjecturis hæc opinatio nitatur: Turpis Ludewigi error: Major, quam ut diſſimulari queat, error Ludewigi eſt, qui næniam ſuam recinens - - apparet leviori manu hæc eum chartæ illeviſſe, quam cæteroquin a tam gravi, & docto viro expectandum fuerit.* De Pariſio: *Ex Pariſio depromere libuit, ut nænias has - - illuſtrarem: commentis referta eſt Pariſii narratio.* De Alberto Argentinenſi: *Homo magis dicax, quam doctus.* De Dlugoſſo: *Quo magis Dlugoſſi Poloni Scriptoris dicacitatem miror - - ſed hominem - - refutare, operæ pretium non eſt.* De Cromero: *Ut in eo hallucinatur - - ita nihilo melioris quoque fidei, cum - - ſcribit: Fidem illi omnem abrogare nihil penſi habeo.* De Balbino, Pulkava, Dubravio: *Mirum eſt Bohemos Scriptores in rebus ſuis ita hallucinari: Turpe Dubravii commentum eſt.* De Annaliſta Hildesheimenſi: *Mirum eſt Scriptoris Annalium Hildesheimenſium, quamquam Synchroni, ſive commentum, ſeu error.* Univerſe de Annaliſtis Germanis: *Annaliſtas Germanos memoria temporum confuſos, quæ prius referenda erant, perperam ad præſens tempus traduxiſſe.* De rerum Germanicarum Scriptoribus: *Hæc propterea, ut oſtendam rerum Germanicarum Scriptoribus, dum modum in narrandis rebus Hungaricis excedunt, haud ſatis tuto fidem præſtari, qui in ſuis tam graviter nonnunquam hallucinantur.* De Spondano: *Aut ignoravit, aut ſubticuit: Dicaciorem, quam oportebat, Spondanum in Hungaros fuiſſe.* De Cinnamo: *Ex Cinnamo, homine quidem Græco, ſuisque ſupra fidem ſtudioſo: Non poſſum me continere, quin - - Lectorem, quamquam per ſe ſe offutias has - - intelligat, commonefaciam, Authorem Græcanici quidem faſtus eſſe, & nimis in narrandis rebus minutum.* (a) Liceat etiam aliunde unum, aut alterum exemplum adferre. De Joanne Michaële Bruto iſta conſignavit: *Duas ego imprimis res Bruto ineſſe reor, quas longe ab Scriptoribus abeſſe oportet* (O utinam etiam a Critone noſtro abſint) *partium ſtudium, ac tantum non implacabile odium. Iſto*

- - *tam*

(a) Hæc habet in Annal. Par. I. pag. 6. 12. 16. 17. 34. 39. 40. 45. 73. 87. 104. 109. 121. 126. 139. 140. 158. 169. 170. 175. 292. 216. 268. 280. 339. 362. 370.

- - *tam importune dicax, ut tædium tam crebra maleloquentia ingerat. Sæpe etiam fidem in Bruto desidero.* (a) De Aventino Brunnero, Adelzreitero, Bucelino, Annalista Bambergensi ait: *Nullo pene loco apud subacti judicii Criticos sunt.* (b) Affaniæ, & nebulæ! Quot voces, tot insigni calumniâ fartæ cavillationes. Ita nempe imprudens, & velut aliud agens, dum ex alieno vituperio laudis compendium intempestiva cura quærit, propriam famam, quam alias augere poterat, diminuit. Quis enim, si modo sanus sit, ferat hominis tantam in omnium fere nationum Scriptores grassandi libidinem? quis ferat tam atrocem universe in rerum Germanicarum Scriptores sententiam? At enim, tum solum fidem illis adimere nititur, cum ejus placitis thura non adolent: alias semper illis, tanquam polypus saxo, hæret: imo maximam partem illius Historiæ veritas, horum sane fide, & authoritate stat. Næ ille argutior est, quam cicada. Ego vero tanto levius Hypercritici nostri convitia fero, quanto magis a celeberrimis his Viris, una cum illo, absum.

C ELEN-

(a) Annal. Par. IV. in Præfat. Vere critica hæc animadversio; utinam secundum eam ageretur etiam, & profecto Crito noster in turbidis idmodi lacunis non hæreret, maledicta ad tædium usque non recoqueret.

(b) Diatr. pag. 199. Nihilo magis polito calamo Hierarch. Hung. Par. II. pag. 20. & 21. in Cl. Joannem Róka incurrit. *Hoc profecto*, ita scribit, *si non sit nimium Hierotheisare, certe est extra oleas vagari. Perinde extra orbitam fertur in Opusculo - - in quo cum a Critice ordiri conatur, repente in Histrioniam desinit, quod hominum genus, ut Tullius in Paradoxis ait, exsibilatur, & exploditur.* Et cur, quæso, hæc tam illiberalis censura? frustra aliam causam quæsiveris, quam, quia Cl. Róka non vult credere, Giselam Reginam Hungariæ Vesprimii sepulchro illatam esse; imo quia sat clare ostendit in Libro, cui Titulum fecit: *Protectus adversus Prayanas infestationes Piissimæ Proto-Reginæ Hungariæ Giselæ Passavienſis Tumulus*, illam in Parthenone Nidernburgensi conditam esse.

ELENCHUS DEPRAVATIONUM.

Dissertationem meam, de S. Ladislao Fundatore Episcopatus Varadinensis conscriptam, Criticus noster depravando, detorquendo, interpretando, luxando, interpolando miserandum in modum corrupit. Id in decursu hujus Opellæ manifeste demonstrabo, & refellam. Juvat tamen horum Elenchum ad normam paralleliſmi præmittere, ut æquus Lector uno velut obtutu videre possit, quam egregie scilicet, nihil enim de *Falsariis* volo dicere, Crito noster Adversarios suos confutare soleat, hoc est: cum vires, & argumenta deficiunt, artes illiberales arripit, & non modo calumniis, verum etiam depravationibus pugnat. Latus alterum, Illius ex Diatriba fideliter excerpta verba exhibet, alterum meæ Dissertationis.

MEA.	ILLIUS.
Dissertationis meæ pag. 5. *Veszprimiensem non omnes Eruditi S. Stephano Regi deberi, confestim agnoscunt.*	Diatribæ pag. 15. *Peto, qui sunt hi Eruditi, cujus ævi, ubi, & quo loco Operum suorum id confestim agnoscunt?*
Pag. 5. *Duos e residuis Episcopatibus dubios posse dici admitto - - Tales sunt Veszprimiensis, & Nittriensis:* hoc est, quorum erectio Sancto Stephano tribui potest.	Pag. 5. *Certos igitur nos Adversarius reddit, Episcopatum Veszprimiensem a Stephano non fuisse conditum.*
Pag. 6. *Cum Geysæ Germanus Michaël appellaretur; fieri potuit, illius ut in solatium, ac perpetuam memoriam Archangelo ædes illa poneretur.*	Pag. 16. *Solentne Templa, ac Episcopatus in solatium, ac perpetuam memoriam viventium strui?*
Pag. 6. *Geysa videtur Veszprimiensem Episcopatum erexisse.*	Pag. 16. *Ergo Geysa reipsa hunc Episcopatum erexit.*
Pag, 6. *Quod Ecclesia Veszprimiensis floruerit ante S. Stephanum, videtur evincere Privilegium Anno MI. Montis Pannoniæ*	Pag. 19. *Mira argutatio! Templum Veszprimiense intra unius anni cursum exsurrexisse, vix est credibile: igitur cum anno*

MEA. ILLIUS.

niæ Benedictinis datum, in quo legitur, quod tum jam Episcopatus Veszprimiensis, Templumque steterit.

Pag. 6. Conjiciebam, Templum Veszprimiense a Geysa conditum esse, adeoque forte etiam Episcopatum.

Pag. 6. De Privilegio S. Stephani Veszprimiensibus Anno MIX. dato: *Quamvis non nemo istud Tabulas Fundationis nominet, contextus tamen Literarum ipse contradicit, in quibus nihil prorsus de Fundatione memoratur, quin potius supponitur jam antea Episcopatus iste fundatus fuisse*

Pag. 32. Scripsi, Eugenii P. Epistolam datam fuisse Anno DCCCXXIV. juxta Baronium, Lucius autem ponit Annum DCCCXXIII. quo Eugenius nondum erat Pontifex. Typographus hic exerravit, cujus errorem in Admonitione prævia, & in Syllabo Erratorum notavi. Id Cl. Pray cognitum erat; provocat enim ad Admonitionem meam.

Pag. 40. Narratis Hungarorum in diversas Provincias incursionibus, crudelitate, & armorum felicitate, continuo Episcoporum Bavariæ ad Joannem VIII. *no MI. jam fiat mentio Episcopi Veszprimiensis, & Ecclesiæ Sancti Michaëlis, necessario Templum id a Geysa exstructum est.*

Pag. 21. *Demus Templum Veszprimiense a Geysa conditum, an idcirco etiam Veszprimiensem Episcopatum ab eodem erectum existimabimus? Certe, hoc enim Noster imprimis, & hac de causa pugnat.*

Pag. 23. *Si hunc audimus, necesse est, neminem posse dici Fundatorem, nisi in Donationis Literis exserta fiat mentio Fundationis.*

Pag. 69. *Negat Eugenium II. Anno DCCCXXIV. ad clavum sedisse, ac Eminentissimum Cardinalem, qui id asserit, erroris arguit.*

Pag. 26. *Narratis a morte Arnulphi Hungarorum in Germaniam, Italiam, Franciam, Alsatiam, Thuringiam, & Saxoniam incursionibus, & iis Regionibus, flam-*

MEA.

VIII. PP. Epistolam recitavi, quæ cætera inter hæc habet: *Ecclesias Dei incenderunt, ita, ut in tota Pannonia, maxima Provincia, tantum una non appareat Ecclesia.* Unde conjeci: *Cum igitur Episcopi - - tristissima Epistola Joanni Pontifici significarint, barbaros Hungaros ne unam Ecclesiam in Pannonia reliquam feciſſe Christianis, consentaneum est credere, Nittriensem quoque una cum Episcopatu vastatam, eversamque fuisse.*

Pag. 43. *Ridicula est opinatio Cl. Anselmi Desing affirmantis, nescio per quem Brunonem Episcopum Herbipolensem, S. Stephanum sacro fonte ablutum fuisse. Cæterum Desing errorem suum ex Ademaro hauserit.*

Pag. 43. *Scriptores Poloni consentiunt, Geysam Anno CMLXX. aqua*

ILLIUS.

ma, ferroque vastatis, non dubitat affirmare, Hungaros perinde Nittriensem agrum, & Episcopatum rapinis, & incendio pervagatos evertisse, quasi qui in hostico sæviunt, etiam in suas ditiones sævire censendi sint.

Pag. 57. *In Desingium Virum certe doctum nullo suo merito invehitur, quod affirmat a Brunone Episcopo Herbipolensi Stephanum sacro lavacro ablutum fuisse, additque Desingium ex Ademaro hunc errorem hausisse. Si Rmus D. Author consuluisset Ademarum, sine dubio Brunonem, non quidem Episcopum Herbipolensem, sed Osburgensem reperturus erat.* Præpostera detorsio! Nobis est quæstio de Baptismo Stephani, quem Ademarus a Brunone baptisatum affirmat, & huuc errorem, quod dixi, ab eo Desingius, Brunonem nempe, Herbipolensem appellans, hausit. Id Pray ad Episcopatum inique transfert.

Pag. 55. *Si in Anno Baptismi consentiunt, qui fit, ut citius*

alii,

aqua lustrali expiatum esse. Et in nota addo: *Geysam alii citius, alii serius baptisatum esse volunt.* Quod posterius omnis prudens Lector de Scriptoribus non Polonis intelliget.

Pag. 48. *Subjungit Timon, Bestertum Nittriensem Præpositum fuisse, non Episcopum; At unde hoc dicit? quis ei veterum præluxit? Nullum sane testem statuere, nullum documentum producere potest: sola sic sentiendi voluptas illi adstipulatur. Ego autem, ast meliori inductus ratione, dico: Bestertum Nittriensem Antistitem fuisse; ita enim apud vetustiores, eosque graves Authores Thurotzium, Bonfinium, Surium, aliosque constanter legi.*

Pag. 55. Retuli, a Cl. Pray Diss. de S. Ladisl. pag. 53. affirmari: *Episcopatus omnes a S. Stephano Rege pedetentim fundatos,* qui mox addit, S. Regem totum regnum in varias Diœceses anno M. distribuisse. Unde arguebam: *Si alii, alii contra serius id factum referant? Si autem id faciunt, nullo modo dici possunt in anno consentire.*

Pag. 42. *Cl. noster Criticus non veretur legentibus palpum obtrudere, cum scribit, Bestertum Nittriensem Antistitem fuisse, apud Thurotzium, Bonfinium, Surium constanter legi. Siccine? legi, & constanter? Sed Nittriæ, cum de Besterto agunt, nec Thuroczius, nec Bonfinius, Besterti autem ne verbo quidem Surius meminerunt. Et audet Timoni obstrepere, & tam illiberaliter? & tam non bona fide?* Hæc equidem Sycophantica sunt. Thurotzius, & Bonfinius, *Bestertum Episcopum,* Surius vero *Nittriensem* Episcopum cum Gerardo Martyrio affectum fuisse memorant. Igitur agnoscunt, & testantur, Bestertum Nittriensem Episcopum fuisse. Nec aliud scripsi; ideo frustra oratio mea detorquetur.

Pag. 67. Ad ista mea reponit Noster: *Quid hoc Criterii est? Si Regnum Hungariæ S. Stephanus Anno M. in Diœceses divisit, & eodem anno Pontifex Episcopatus confirmavit; non est cuiquam integrum affirmare, unum. alterum-*

Mea.	Illius.
Si Anno M. S. Stephanus totum regnum in Diœceſes diſtribuit, non pedetentim, ſed eodem tempore Hungaricos Epiſcopatus fundavit: quod ipſa Sylveſtri II. Epiſtola, ſi unum, alterumve demas, confirmare videtur. Igitur integrum mihi eſt, affirmare, omnes illos, quos S. Stephanus condidit, Epiſcopatus, uno ſolum, aut altero excepto, Anno M. ſua nactos fuiſſe initia. Inter exceptos conſtat eſſe Quinque-Eccleſienſem.	*rumve Epiſcopatum in Hungaria a Stephano poſt Annum M. eſſe conditum. Quod ſi autem factum ſit, fruſtra, & leviter meum: pedetentim Adverſarius carpit.* Imo merito, & graviter carpo; quia Critonis noſtri hæc duo: *Pedetentim fundavit*, &: *Anno M. totum Regnum in Diœceſes diſtribuit*, ſibi invicem omnio oppoſita ſunt.
Pag. 59. *Andreas I. Rex in ſuis Conſtitutionibus diſertis verbis teſtatur, Ethnici ritus ſubditos in Regno haberi.* Hæ Conſtitutiones in Corpore Juris Hungarici Decretum Andreæ I. vocantur.	Pag. 58. *Miror deinde Adverſarium, quod Decretum Andreæ I. pro genuino venditare auſit.*
Pag. 121. *Quis ignorat, S. Ladislaum adeo glorioſum Regem fuiſſe, ut ſuperatis quam plurimis, iisque potentiſſimis hoſtibus, victorias ex victoriis legeret? Non erat proinde, cur Henrici Regis exauctorati, & vix ſua tueri potentis, iram, armaque expaveſcere debuiſſet.*	Pag. 101. *Ut Togatus hic belli Dux eſt! quaſi Ladislaus tot relatis ex hoſte victoriis certus fuerit, ſe ex Henrico, ſi is Hungariæ ingrueret, victoriam relaturum.*
Pag. 121. *Pars poſterior Prayanæ narrationis non caret exaggeratione, cum dicit, non fuiſſe S. Ladislao faventem Pontificem - - Ne ex Prayana Narratione curioſi Lectores, neſcio, quas acres ſi-*	Pag. 103. *Quod autem ſcripſi, Ladislaum ſibi parum faventem habuiſſe Gregorium VII. non acres utrinque ſimultates, ut Adverſarius nimis leviter ſibi perſuadet, indicabat.*

MEA.

ſimultates inter Gregorium, & Ladislaum exarſiſſe ſuſpicentur -- juvat Literas ab Gregorio ad Nehæmiam, & Ladislaum datas iſthic inſerere.

Pag. 125. *Quis credat Geyſam Regem ex Aſia hominis obſcuri, impotentis, & perduellis, ſororis filiam, Conjugem ſibi delegiſſe.*

Pag. 130. & 131. *Si tueri pergas, Bonfinium ſuam Inſcriptionem e lapide vetuſto Veſzprimienſi ſumſiſſe, Petrum Rhegynum Cardinalem inſignis ignorantiæ labe adſpergas, neceſſum eſt - - Nemo ſane, niſi deſipiat, credet, hunc talem, tantumque Patrem, naturam Inſcriptionum ignoraſſe. Ea eſt, ut dum Inſcriptiones inſtaurantur, illa, quæ vitio carent, usque ad apicem literarum illibata conſerventur, & in inſtauratas exſcribantur. Id autem Rhegynus non modo haud præſtitit, verum potius, ſi Bonfinius ſuam Inſcriptionem e vetuſto lapide recte deſcripſit, inſigni temeritate Inſcriptionem corrupit, voces vocibus ſubſtituit. Ne igitur ſeu Bonfinio ſeu*

ILLIUS.

Pag. 112. & 113. *Botoniates, Curopalates erat. Sed obſcuri generis? nihil minus. Si ex Nobilibus a Phoca oriundus erat Botoniates, certe non fuit obſcuri generis.* Quaſi vero non eſſent obſcuri homines, qui etſi ſplendido, ac nobili genere orti, nulla tamen re præclare geſta inclaruerunt. Nuſpiam dixi: *obſcuri generis.*

Pag. 126 *Rhegynus ſervata veteris Inſcriptionis ſententia novum lapidem vetuſto ſupponi oportere putavit. Et quis hoc Epiſcopum in ſua Diœceſi facere vetaret? Neque id, ut Noſter officioſiſſime facit, inſignem temeritatem Epiſcopi notat, ſed gratam animi ſignificationem in Giſelam, tum in Adelhaidem.* Imo ego Rhegynum defendo.

Pag.

seu Rhegyno Viris Clarissimis calumniam irrogemus, dicere omnino oportet, memoratam Inscriptionem indiscreta cujuspiam sollicitudine Historiæ Bonfinii additam esse.

Pag. 131. *Rhegynus pietatis studio honoribus Geslæ, & Olhait lapidem illum cum Inscriptione poni curavit: cujus pietatem æmulaturi Hungari, alibi quoque ejusmodi lapides erexerint; & talem existimo esse lapidem Makrantzensem.*

Pag. 131. *Alibi quoque ex Rhegyni autographo Hungari ejusmodi lapides erexerint: & talem existimo esse lapidem Makrantzensem: ac proinde inter Cenotaphia locum habere posse.*

Pag. 128. *Certe autem lapis Veszprimiensis Makrantzinum translatus non est, ut rursum Adversarius contendit. Quid ita? quia Cardinalis Rhegyni pietatem æmulaturi Hungari alibi quoque ejusmodi lapides erexerint, & talem existimo esse lapidem Makrantzensem.* Quam hoc jejunum! Adjuncta in causam detorquet.

Pag. 128. *Fatetur lapidem Sepulchralem Giselæ, & Adelhaidi a Rhegyno positum, fuisse, ut ait, authographum: igitur necesse est, ut fateatur, illum Veszprimii fuisse positum. Si autem isthic positus fuit; consectaneum est, Giselam Stephani Conjugem itidem Veszprimii conditam. Si vero Gisela Veszprimii tumulata fuit, rursus efficitur, lapidem illinc ad Pagum Makrantz fuisse delatum.* Nescio, an possit quidpiam magis inficetum, no'o enim dicere ineptum, esse? quasi vero ut inter Epitaphia, ita inter Cenotaphia non daretur autographum, & apographum. Rhegyni Inscriptio autographum, quia primum Cenotaphium, est: illa enim, quæ

Pag. 136. Monachum Weingartenſem errare dixi, dum Udalricum, ex Sophia, Poppone ſuſcepiſſe ſcribit; iſte enim frater erat Wilhelmi, Sponſi Sophiæ, adeoque hujus affinis, non filius: Odalricus vero Conjux Sophiæ, Cognatus fuit Wilhelmi, hoc eſt, ex fratre Poppone Nepos.

Pag. 142. *Comitis Lamperti, Sophiam filiam Belæ I. Sororemque Geyſæ, & Ladislai, Ladislaus Thurotzius uxorem facit.* Hujus verba in libro, cui Titulus: *Hungaria cum ſuis Regibus* edit. Tyrnav. in fol. 1743. pag. 218. edit. ejusdem in 4. 1768. pag. 335. hæc ſunt: *Bela I. - - cæſo Andrea coronatur. Uxor filia Meſconis, ſive Miecislai Poloniæ Ducis. Liberi: Geyſa, Ladislaus, Lampertus, & Sophia, quæ cum Marito ſuo Comite Lamperto condidit Præpoſituram Bozokienſem.*

Pag. 143. *Corrigendus eſt Ladislaus Thurotzius, uti & Appendix II. Synodi Pazmanianæ, e qua ille ſuum errorem hauſerit, ubi* vetuſto lapide erat, manca, obſcura, incerta, & vaga eſt, ideoque *autographum Cenotaphium* dici nequit.

Pag. 159. & 160. *Mirum! ni hic Criticus Poponem Udalrici I. patrem, hujusmet Udalrici filium velit facere - - Itaque Udalricus I. quod ab Adverſario non peritiſſime fit, non fuit Poponis, qui Wilhelmi frater erat, nepos, ſed filius.* Næ vigilantis iſta ſomnia ſunt, quæ ego nuſpiam, & nunquam vidi.

Pag. 156. in Not. *Adverſarius noſter Ladislao Thurotzi oggerit, quod Sophiam, Ladislai Sororem, faciat uxorem Comitis Lamperti, & Fundationem Abbatiæ de Bozok affigat Anno MCXXXIX. Utrumque falſe illi tribuit - - Ain, ubi Thurotzius affirmat, Sophiam, Ladislai Sororem, fuiſſe uxorem Lamperti? & ubi peccavit adverſus Chronologiam?* De Chronologia alias videro. Quam vero bona hæc fide, imo audaciſſima impoſtura conſignata ſint, Lectores arbitrabuntur: & nihilominus me inſignis oſcitantiæ arguere non veretur.

Pag. 156. in Not. *Adverſarius noſter mire feſtivus eſt in hoc, & in ſugillanda Pazmanianæ Synodi Appendice.* Manifeſtum

bi hæc adnotata habentur: Præpositura de Bozok S. Regis Stephani fundata Anno MCXXXIX. Error hic cubat, constat enim e Diplomate Belæ II. Anno MCXXXV. elargito, quod sub Stephano II. R. Præpositura hæc condita sit: cum tamen Stephanus Anno MCXXXI. e vita migraverit.

Pag. 145. *Numus, cujus typum Cl. Pray Diss. suæ de S. Ladislao pag. 100. exhibet, una parte Ladlaus, altera Calman refert. Unde conjicit Prayus, ideo hunc nummum feriundum curasse Colomannum, quod vivo Ladislao Patre suo jam Hungariæ Rex designatus fuerit.*

Pag. 146. & 147. *Mathias, aliique Hungar. Reges, in honorem S. Ladislai Regis ejus nomine monetam in usum Regni signari curarunt - - Eccur ergo Nepos ejus, & in Regno Successor Colomannus eidem ex causis eisdem, ex quibus Mathias Rex, venerationis ergo, nummum illum Vitzaianum, ac alios majores, qui una usitata Regni moneta essent, S. Ladislai nomine signare nequivisset.*

Pag. 147. *Quia non nisi unicus, isque argenteus duntaxat, &*

tum errorem detegere, estne sugillare? Sane, nemo alius, illius dispar, talia.

Differ. sua pag. 100. *Non quod hunc Nummum ab Ladislai obitu memoriæ causa Colomannus feriundum curavit - - sed quod vivo Ladislao Colomannus jam Hungariæ Rex a Patre designatus erat.* Diatribæ vero pag. 166. *Conferat Lector hæc cum Adversarii verbis, & videbit, satisne bona fide mihi id tribuat, cujus contrarium plane assertum ibam, nempe numum illum a Ladislao cudi jussum.* Affaniæ!

Pag. 166. *Rursus noster Author non usitatam Regni monetam Nummum illum, sed memoriæ causa, ut S. Ladislao debita veneratio exhiberetur, cusum jussu Colomanni affirmat, quemadmodum a Mathia Corvino factum putat.*

Pag. 166. in Not. *Habemus igitur jam aureos nummos sub*

Co-

& exigui moduli nummus in manus Cl. Pray pervenit; concludamus, nullos majores, & aureos ſub Colomanno cuſos.

Pag. 151. *Lapidis Paſſavienſis typum iſthic exhiheo, quem ante Deſericius vulgavit, modo iterum Rochæus mutato anno MXCV. in MXLV. æri incidi pro ſuo in Literas amore fecit.*

Pag. 154. *Germanis, eâ ætate, adhuc inviſum, ſuſpectumque erat Hungarorum nomen, ideo in Inſcriptione Lapidis Paſſavienſis Stephano Sancti titulum addere incurioſe omiſerint. Et quid? ſi oſcitantia Litoglyphi litera S. præpoſita nomini Stephani, cæſtro adhæſit.*

Colomanno in uſu fuiſſe. Præclare deinceps res agetur cum Nummophilis domeſticis. Mirum! ni Colomannus etiam Talleros jam cudi fecerit. Nihil horum affirmavi, ſed Prayani argumenti vanitatem illis proditam volui, quod alias oſtendam.

Pag. 168. *Nec iconiſmus Rochæi, nec noſtri Adverſarii ſatis rite, & ad fidem Paſſavienſis lapidis exſcriptus eſt -- ne Annus MXCV. legeretur, dum L. literæ M. conjunxere, ut Annus emergeret MXLV: quod & parum bona fide fit, & ab veterum more vehementer abhorret.* Atqui ego palam adfirmavi, me Rochæi typum æri incidi feciſſe, item Rochæum mutaviſſe Annum MXCV. in MXLV. & ubivis Annum MXCV. Giſelæ emortualem fuiſſe ſtatuo. Nihil igitur clam, nihil dolo actum erat: proinde parum bonæ fidei maculam temere, & inique nobis appingit.

Pag. 171. *Si Germani, quod illis Hungarorum nomen per eam ætatem inviſum, ſuſpectumque fuit, Stephano titulum Sancti addere incurioſe omiſerunt, non poterit utique litera S. oſcitantia Litoglyphi cæſtro adhærere: aut ſi adhæſit, Germani nomen Sancti Stephano addere incurioſe non omiſerunt.* Ridicula Logica! ex-

MEA. ILLIUS.

Pag. 154. *Non assequor, cur incredibile videri debeat, Giselam usque ad annum ætatis CVI. vitam adduxisse: quod profecto inusitatum non est.*

positione disjunctiva, ut in conjecturis fere fit, copulativam ingratiis facit, quam verificari impossibile est; & sic secum ipso de lana caprina disputat.

Pag. 172. rursum: *Major causa Hungaris erat, ut Germanis infensi essent. An autem propterea Germani, cum Lapidem Sepulchralem Giselæ, Conjugi Regis Stephani posuerunt, huic titulum Sancti tribuere noluerint?* Jam illud: *incuriose omiserunt*, curiosa metamorphosi migrat in: *noluerunt.* Integerrima, si Superis placet, Crisis!

Pag. 175. *Non esse inusitatum, ut hominis ætas ultra centum annos produci possit, ipse affirmavi; proinde illud: incredibile, supervacuum prorsus est.* At, at non est supervacuum; nam Diss. suæ de S. Ladis. pag. 108. scripsit: *Omnino consectaneum est, Giselam, dum obiit, annorum fuisse, ut minimum CVI. ut plurimum CXIII. Quod quamquam inusitatum non est, quem tamen in modum persuaderi possit - - non video.* Audin' *non video* dicit. Si nullum persuadendi modum videt, quod Gisela centum vitæ annos superare potuerit, aut revera superaverit; utique, nisi me omnia fallunt, id incredibile illi videtur. Adhucne illud *incredi-*

Pag. *bile*,

MEA.

Pag. 154. *Vitæ auſteritas non ſinit Prayum ſibi perſuadere, quod Giſela ad ætatem annorum. CVI. pertingere potuerit - - Vitæ vero auſteritas hominis vitæ dies non comperendinat. - Inde veteres illi Ægypti accolæ in maximo rigore vitam exercentes, ſæculum exceſſerunt.*

Pag. 157. *Errat Cl. Pray, quod de aurea corona Eccleſiæ Veſzprimienſi ab Andrea, in Palæſtinam profecturo, accepta, ſcribat: Coronam hanc Templo Veſzprimienſi a Giſela non fuiſſe dono datam, quia hujusmodi donum ſine exemplo eſt. Aſt nunquamne vidit Templorum, præſertim in quibus Thaumaturgæ Icones aſſervantur theſaurum?*

ILLIUS.

bile, ſupervacuum prorſus eſt?

Pag. 177. *Veteres illi Ægypti incolæ in maximo rigore vitam exercentes ſæculum exceſſerunt. Quid tum poſtea? an idcirco etiam Giſela annos CVI. vixit?* At argumentum Critonis noſtri Diſſ. de S. Lad. pag. 108. iſtud erat: *Quem in modum perſuaderi poſſit de Matrona, quæ - - inter Virgines Deo ſacratas vitam in ſumma auſteritate duxerit, non video.* Igitur, ſi Ægypti incolæ in ſumma auſteritate vitam ducentes, centum ætatis años ſuperarunt; Cur Giſela ob parem vitæ auſteritatem id non potuerit?

Pag. 178. *Non opus eſt pluribus. Igitur, ut argumenti ratio non hiet, Giſela Coronam Templo Veſzprimienſi dedit ob Thaumaturgam aliquam Iconem.* Quam hoc leviter, & violente detorquetur.

ELENCHUS RETRACTATIONUM.

Non est mihi animus omnium Retractationum, quas Adversarius Noster in diversis, quæ edidit, operibus, fecit, Cathalogum, conscribere; hæ enim adeo frequentes sunt, ut si connumerarentur; non parvæ sane molis Volumen complerent. Harum, & Erratorum connotatio in aliud tempus, & locum reservata esto. Hic eas solummodo Retractationes itidem ad modum paralleliſmi referre placet, quas occasione impugnatæ Dissertationis meæ de S. Ladislao in Diatriba sua affatim nobis suppeditat. Idque in primis eam ob causam, ut manifestius appareat, Hypercriticum nostrum ita animo comparatum videri, ut fortasse malit omnes Annalium suorum, cæterorumque operum sententias retractare, demutareque, quam adversum se sentientibus Scriptoribus vel in minimis palmam concedere. Sed frustra est! hanc profecto e manibus ejus ereptam fuisse, plus simplice vice vidimus, & speramus fore, ut hic quoque, quantumcunque obsistat, seque in varias formas ttansmutet, illam porrigere debeat.

DIATRIBE.	ANNALES REG. HUNG.
Pag. 33. ait: *Bellorum istorum nihil prorsus ad Nittriensem Provinciam attinebat.* Pag. 36. *Liquet non fuisse tantum damni agro Nittriensi illatum.* Pag. 37. *Vastata a Svatoplugo Regio ad Diœcesim Nittriensem nunquam spectabat.* Pag. 39. *Pleraque bella sæculi XI. longissime a Nittriensi Provincia gesta sunt.*	Tom. I. pag. 47. affirmat Henrici copias Anno MXLII. expugnato Hamburgo, & Posonio per Septemtrionalem Danubii plagam ad Granum usque vastitatem circumtulisse. Pag. 51. Hungari avitis Sacris adhuc inquinati Duce Vatha ab Andrea postulant, ut sibi in Episcopos, & Clerum impune grassari liceret. Andreas connivet. Illi in omnem licentiam effunduntur, Templa convellunt, profanant Sacra, in Sacerdotes, & Episcopos grassantur, & ut Biographus S. Gerardi scribit, duos Pontifices, multosque Viros Religiosos inter.

terimunt. Pag. 55. Bretislaus Bohemus Septemtrionalem Danubii partem infestis copiis petit, & pene omnia ad Granum usque populatur. Pag. 67. Vratislaus Bohemiæ Princeps eam Hungariæ partem, quæ in Threntsinienſi tractu ad Septemtrionem porrigitur, infestis armis populatur. Pag. 73 Henricus infesto exercitu ingressus est Hungariam, & nonnullas ejus Regiones hostiliter peragravit. Has Provincias Nostri eum tractum, qui trans Vagum flumen Vacium usque tenditur, fuisse perhibent. Pag. 107. Svatoplugus Bohemiæ Princeps, ac Moraviæ, in Hungariam erumpit, vastitatem ad Nittriam Urbem circumfert. Hæc ille: Et tamen pleraque bella sæculi XI. longissime a Nittrienſi Provincia gesta sunt.

Pag. 51. *Neque unius Gerardi morte satiari impia plebs potuit, eadem die ingentem Christianorum multitudinem, inter quos præcipue Viri Religiosi, & duo Pontifices, quos Thurotzius cum Bonfinio Beztritum, forte rectius Benetham Nittrienſem, & Buldum Agrienſem nuncupat, religionis causa trucidatam. Dedam quoque Quinque Ecclesienſem Episcopum fidei causa interemptum constat.*

Pag. 42. in Not. *Ne mihi quis Beztertum oggerat, S. Gerardi in martyrio ſocium. Meminit illius quidem hujus Biographus, itidem Thurotzius, Bonfinius quoque. Etsi autem hi Beztertum nominent Episcopum, tamen nuspiam affirmant Nittrienſem fuisse.*

Pag.

Pag.

DIATRIBE.

Pag. 55 *Porro ista ejusdem: Salutari lympha ablutus Geysa, totus in eo erat, ut populos ab impia superstitione ad sanam religionem traducat, nimis exaggerata sunt, nec consentiunt cum veritate Historica.*

Pag. 60. *Gyulam Transylvaniæ Ducem perperam noster Crito Avunculum S. Stephani facit, quem Anonymus Belæ Notarius ex Zombor Gyulæ senioris fratre natum perhibet.*

Pag. 61. *Emericus natus ex Anna Raymundi Pictavienſis Comitis filia, & sorore Mariæ Conjugis Emanuelis Imperatoris, quæ prima Uxor Belæ III. fuit.*

Pag. 62. *Hæc in gratiam nostri Critonis adnotare libuit, ut*

ANNAL. REG. HUNG.

Pag. 385. in Annal. Vet. Hunn. Ex Chartuitio de Geysa ista refert: *Credidit cum familiaribus suis, & baptisatus est, & omnes ditionis suæ subditos se pollicens Christiano nomine mancipaturum: sed paganismo adhuc obvolutum fuisse, idem Chartuitius affirmat. Quem morem postea etiam illi fuisse, quam Adalbertus in Hungariam appulisset, ex Ditmaro liquet. - - Eodem tamen Ditmaro teste, si quid hac parte labis contractum est, meliora edoctus, propagata religione eluit, quod cum Christianus efficeretur, ad corroborandam hanc fidem contra reluctantes subditos sævum, & antiquum facinus zelo Dei exæstuans abluerit.*

Pag. 17. *Præerat tum Transylvaniæ Gyula Stephani Avunculus.*

Pag. 163. *Nunquam filiam Manuelis Belæ copulatam fuisse, sed sororem Augustæ; an vero Irenes Alemannæ, quam primum Manuel in conjugio habuit; num contra Mariæ Antiochenæ; quam defuncta Irene uxorem acceperat, incertum est.*

Pag. 252. *In Bosnia Colomannus Patarenos, aliosque hæreticos ma-*

ut illud quoque, quod Colomannum Belæ IV. fratrem, Bosniæ Ducem sua authoritate creet.

magno studio oppressum ibat: exciſaque bona nefariorum hominum parte, Ecclesiam Catholicam late propagabat. Gregorius P. Colomannum, missa Epistola, collaudavit, & adjecit, in mandatis se dedisse Prædicatoribus Hungariæ, ut Viros doctrina, & pietate præcellentes ex suo Ordine in Bosniam mitterent, qui Colomanno in revocandis ad Ecclesiam heterodoxis studium, & operam naviter conjungerent. Item Dissert. de S. Ladisl. pag. 62. *Quoad Gregorius IX. datis ad Cumanorum Episcopum Literis Anno MCCXXXVIII. exaratis, ei mandasset, ut ad Colomanni, Belæ IV. Fratris, preces Bosnensibus Episcopum ordinaret Fratrem Joannem ex familia S. Dominici, tum Præpositum etiam, & Capitulum futuræ Cathedralis Ecclesiæ constitueret, ut denique suos utrisque redditus designaret, fundos potissimum Colomanno Rege, & Duce Sclavoniæ in eam causam liberaliter suggerente.* Rursus Pag. 63. relata Gregorii ad Bosniæ Episcopum Epistola, hæc subnectit: *Præpositura cum Capitulo, tum futuræ Cathedralis Ecclesiæ designatio, manifeste arguit, Bosnensis Sedis initia ad Annum MCCXXXVIII. figenda, & Episcopatum maximam partem*

a Colomanno, Belæ IV. Fratre, fundatum esse. Et confestim addit: *Liquet ex his, fundos Episcopatui in Bosnia a Colomanno assignatos fuisse, quam illi Andreas Pater donum dederat Anno MCCXXXV.* Hæc omnia arguunt, Colomannum in Bosniam dominatum exercuisse. Igitur Bosniæ Dux, aut Princeps erat, Andreæ Patris sui authoritate creatus.

Pag. 77. *Non possedit Stephanus Sclavoniam, & in hac nunquam fuit Sirmium.* Pag. 83. *Sirmium Urbem ad Bacuntii amnis, & Savi confluentem fuisse, Plinius author est. Bacuntius vero amnis non alius est a Savi brachio. Sirmiensis igitur Provincia inter Savum, & hujus brachium Bacuntii præcipue porrecta erat.*

Pag. 59. *Ad Orientem bellum in Croatiam Interamnensem traductum est - - quoniam Rado Palatii Comes infestis armis Croatiam ingressus, quidquid illius intra Dravum, Savumque est, ultra Bacuntium amnem brevi tempore recepit, & Coronæ Hungariæ in perpetuum asseruit.* Deinde ad Literas Radonis provocat, quæ habent, quod is totam Provinciam Savanam Sanctæ Coronæ *reacquisivit.* Id Anno MLVII. contigit.

Pag. 91. in Marg. *Uxor S. Ladislai fuit Adelhais Bertholdi Zaringensis Soror.* Et Disler. de S. Ladisl. pag. 84. in Marg. *Certum est Ladislaum fuisse conjugatum.*

Pag. 94. *Ladislaus fueritne cælebs, an Matrimonio illigatus, controversum est. Bonfinius Epitaphium, Sepulchro ad Ecclesiam Vesprimiensem inscriptum, refert - - Quod si vere a Bonfinio relatum est, pene persuadeor, Ladislaum Adelhaidem quandam uxorem habuisse, ex eaque Colomannum, & Pyriscam suscepisse.*

DIATRIBE.

Pag. 153. *Duas Adversarius Sophias Hungaras illius temporis novit, alteram Belæ I. filiam, Geysæ I. alteram. Ego contra duas quidem, sed Belæ I. & Ladislai filias.* Pag. 154. *Verisimillimum est Udalrico Carentano duas fuisse Conjuges: primam Jojadam, Belæ I. filiam, & hac defuncta, alteram nomine Sophiam Ladislai filiam, quæ extincto ad Annum MLXX. marito, nupsit Magno, Ordulphi Saxoniæ Ducis filio.*

Pag. 161. *Certum est Sophiam, quæ primum Udalrico Carentano, deinde Magnoni Saxoniæ Duci nupta erat, non Sororem, verum filiam Ladislai fuisse.* Pag. 153. *Sophia filia Ladislai, non item Soror, nupserat primum Ulrico Carentano, tum Magno Saxoni.*

Pag. 162. *Colomannum, Ladislai filium assero.* Et in Diss. de S. Ladisl. pag. 100. *Fuere igitur Ladislao præter Colomannum, & Pyriscam, Liberi: Sophia, primum Udalrico Carentinorum, deinde Magnoni, seu Magno Saxoniæ Duci nupta, nec non Berchta.*

Diss. de S. Lad. pag. 91. *Veri sit simillimum, Synadenem ex Geisa nullas proles suscepisse -- atque ex hoc capite Colomannum Geisæ filium fuisse inficiabor. Forte Almus quoque inter Geisæ proles*

ANNAL. REG. HUNG.

Pag. 77. *Geisa præter Sophiam filiam Magnoni Saxoniæ Duci nuptam, tum Pyriscam, quam Græcorum Imperator sibi conjugem acceperat.*

Pag. 87. in Not. *Porro Soror hujus Sophiæ, quæ nimirum Magnoni Saxoniæ Duci nupserat, itaque Geisæ I. filia, & Colomanni soror fuit, Regi Græcorum nupsit. Timon addit Pyriscam dictam.*

Pag. 77. *Geysa filios reliquit, Colomannum, & Almum; illum ad Regni gubernacula postea evectum, hunc Ducis titulo insignem.*

Pag. 77. *ut paulo ante.*

les vix locum habeat. Certe si huic, ut probabiliter confeci, Synadene unica Conjux fuit, Almus nec Geisæ, nec Ladislai filius erat.

Giselam Reginam in Diatriba non uno loco pernegat Passavium delatam, & Sanctimonialibus adgregatam obiisse. Et Diss. suæ de S. Ladis. pag. 114. *Manifestum cuivis fieret, Giselam Passavienſem ab Regina Hungariæ, & Stephani Conjuge alieniſſimam esse.* Rursum Diss. pag. 135. *Fuit igitur Gisela elata ante filium, & Maritum, ac Veszprimii, non item Passavii condita.*

Pag. 44. *Gisela igitur inhumanis plane modis exagitata, cum videret haud diu Proceribus cum Rege convenire posse; relicta Hungaria, Passavium concessit, isthicque Cœnobio Virginum se se includens, vitam sanctimonia conspicuam duxit.* Pag. 83. *Giselam Passavii apud Sanctimoniales conditam esse, omnes affirmant.* Pag. 94. *Giselam sub Petro Passavium delatam, & isthic, sanctitatis fama celebrem, sepultam esse constat* Pag. 83. *Emericus cum Patre elatus quoque Hungaria, vota, & desideria omnium isthuc fortasse rapit, ubi Matrem Giselam tumulo illatam esse constans opinio est. Quo si potiretur Hungaria, profecto thesaurum nullo pretio parabilem habeat.*

Pag. 173. *Sanctorum numero adscriptus est Henricus Anno MCXLV.*

Diss. de S. Lad. pag. 107. *Henricus Imperator jam Anno MXCV. Sanctus dicitur, quem constat, non ante medium sæculi XIII. inter Divos relatum.* Frustra igitur spissum hoc Sphalma Diatr. pag. 773. in Cardinalem Baronium conjicit. Is enim Henrici canonizationem Annal. Eccl. Tom. XII. edit Antverp. MDCXXIX. ad annum MCLII.

Pag.

MCLII. seu sæculum XII. refert. Proinde noster & in Eminentissimum Virum injurius est, & dolose, nec optima fide p 173. isthæc notat: *Scripseram olim* (nempe in Dis. de S. Lad. p. 107.) *Henricum non ante medium sæculi XII. inter Sanctos relatum, nixus Eminentissimi Cardinalis authoritate.* Hoc equidem non scripsit, sed nec Baronium viderit; alias certo Henrici apotheosim ad sæculum XIII. rejicere ausus non fuisset.

Pag. 204. in Not. *Putabam olim, Hungaros S. Emerici Ducis Hungariæ causa Passavium profectos, quod non nescirem Mariam Reginam comperto Ludovici Mariti ad Mohatsium obitu, convasatis rebus, inter quas sacræ etiam Reliquiæ ex Alba Regali erant, ante omnia Posonium, postea Viennam, inde Passavium, ac denique Belgium profectam fuisse. Inter has autem S. Emerici, quod hujus cultus a clade Mohatsiana in Hungaria fere obsolevit, exuvias itidem fuisse mihi persuadebam, gravis Viri authoritate in eam opinionem adductus. Nunc certiora edoctus, conjecturam hanc retracto.*

Pag. 83. *Eadem opera D. Emerici corpus pari solennitate, & prærogativa conditum, ne Pater a filio, quoniam in vivis sanctitate vicissim certabant, post mortem separarentur, nostri communiter perhibent. Sed hæc olim, nunc quo loco sacerrimæ exuviæ delitescant, in obscuro est:* Diss. vero pag. 118. *Re enim vera insignem portionem S. Emerici Ducis Hungariæ Passavii publicæ veneration prostitisse, omnino exploratum est. Nam - - in Chartaceo Protocollo Diplomatum Leonardianorum hæc, ut mihi Cl. Mathias Rieberer per Literas significavit, insunt: Item ain Monstranzen mit S. Hainrichs zu Ungarn Heilthum.* Rursus: *Item ain armb vergold Herzog Hainrichs von Ungern.*

Pag. 199. *Utris jam credemus, Hermanno Scriptori coævo, aut ejus Interpolatori ætate sup-*

Pag. 124. Recitata Chartuitii Narratione ista habet: *Si Stephanus defuncto Emerico, se so-*

pari, qui Giſelam in Hungaria etiam poſt Annum MXLIV. conſenuiſſe ſcribunt: an contra Aventino - - quorum omnes quinque ſæculis Hermanno, hujusque Interpolatore inferiores ſunt? Res ab ſe loquitur.

In Diſſertatione ſua, ac Diatriba inficiatur S. Ladislaum Fundatorem eſſe Epiſcopatus Varadinenſis. Imo Diſſ. pag. 56. audet ſcribere, ab Divo Stephano Templum Varadini conditum fuiſſe, & ad Authorem vitæ S. Gerardi provocat, qui de Templo Magno-Varadini ab S. Stephano fundato, ne ſomniat quidem.

lum ſine ſpe poſteritatis derelictum doluit; veri eſt ſimillimum, Giſelam eodem Anno MXXXI. Emerico præmortuam fuiſſe. Illa enim viva, ſpes poſteritatis Regi neutiquam ſublata fuit - - ſublata igitur poſteritatis ſpes, Giſelam filio, & Marito præmortuam, omnino arguit.

Pag. 68. *Niſi forte cum primum Ducis titulo cum fratre ornatus fuit, quoniam hanc plagam iis obnoxiam fuiſſe, probabile eſt, Urbem condere cæperit, ac deinde Epiſcopatu quoque, & Sacerdotum Collegio exornare, præſertim quod inter Epiſcopatus ab Stephano fundatos, a nemine, quod ſciam, Varadinenſis cenſeatur: neque id de nihilo ſit, Urbem eam in tanto amore Ladislao fuiſſe, ut cum otii aliquid a bello, aut Reipublicæ curis nactus erat, fere iſthic verſaretur, a morte autem etiam condi voluerit.* Et pag. 92. *Vero videtur ſimilius, Ladislaum jam tum, quod plaga illa Ducum imperio obnoxia, & a Colocenſi nimis remota eſſet, Sedem Varadinenſem ex Geyſæ fratris conſenſu fundaſſe Ladislaum, ac poſtea, ubi Regnum adeptus eſt, ampliſſimis redditibus donatam exornaſſe.*

Pag. 76. *Bachienſem Ladislaus ornavit prærogativa Archi-*

Pag. 13. S. Stephanus *Strigonienſi Urbi Dominicum Archi-*

Epi-

Epi-

Episcopatus; falluntur enim vehementer, qui eam dignitatem jam a temporibus S. Stephani Regis Colocensibus non interrupta serie tribuunt - - qui contra sentiunt, magis ad veritatem videntur accedere.

Episcopum præfecit: Astricum Colocensibus pari honoris prærogativa Antistitem designavit.

Diss. Pag. 76. *Albertum dubito unquam Colocensi Sedi præfuisse, ob seriem Colocensium Antistitum ex Regiis Diplomatibus depromptam.* Pag. 77. *Certissimum est, Dignitatem Archi-Episcopi Colocensis ad solum, quoad vixit, Astricum, non item ad ejus Successores pertinuisse? quando ab ejus obitu Regum nostrorum Literæ ad Annum fere MCLVI. Colocensem tantum Episcoporum nomine indigitant, cujus modi Desiderius, & Tulbertus fuere, quos Author Natalium Archi-Episcopatus Colocensis in numerum Archi-Episcoporum male cooptavit.* Rursum Spec. Hier. Hung. Par. II. pag. 4. in Not. *Huic Author Natalium Archi-Episcopatus Colocensis subrogat Albertum, quem, quod nusquam illius memoriam repererim, & laudatus Author fontem non indicarit, ex serie omittendum censui.*

Pag. 103 *Præfecerat Sedi Colocensi, defuncto Alberto, Hugolinum Colomannus, cui Pallium ex more petenti, Pontifex se daturum negabat, nisi certa verborum forma jusjurandum diceret.*

Pag. 79. MCLXXV. *Paulus Colocensis Archi-Episcopus. Atque sic deinceps usque ad nostram ætatem non interrupta per Ba-*

Pag. 103. ut paulo ante, Hugolinus Colocensis Antistes *Pallium ex more* petivit. Is jam Anno MCIII. Colocensibus præfuit.

Mi-

Bachienſes ſerie ſubſcribuntur, præter unum Andream - - quem ego credo, uti Miconem feciſſe conſtat, jam Bachienſis, jam Colocenſis nomen promiſcue uſurpaſſe.

DIATRIBE, & DISSERT.

Diſſ. pag. 53. *Numeramus omnino præter Strigonienſem Metropolitam Suffraganeos decem, eosque omnes a S. Stephano pedetentim fundatos.*

Pag. 94. *Nec obeſt, quod Inſcriptio Giſelam, & Adelhaidem Templi Veſzprimienſis Conditrices, Iſtvánfius contra Stephanum faciat. S. Ladislaus diſerte ait: Conjugem de noſtra voluntate Veſprimienſem Eccleſiam locupletaſſe: idem de Giſela arbitror, quod autem Regina, de conſenſu Regis, ex Regiis proventibus facit, utique Rex feciſſe cenſetur.*

Pag. 104. *Verius proinde illud, quod paulo ante ex probatis Scriptoribus oſtenſum eſt, Colomannum, & Ladislai filium, & vivo Patre in Regem deſignatum fuiſſe.*

Pag. 129. De Ladislai Calvi filiis profugis loquens ſic habet: *Hinc illorum fuga - - ſed apparet Ruſſos aliis eatenus præferendos, quod Andreas illinc Conjugem acceperit, cujus amores jam tum, cum iſthic exul eſſet eum captaſſe, non improbabile videtur.*

Mico autem primum poſt medium ſæculi hujus. Vid. etiam, quod ſequitur.

Pag. 13. *Strigonienſi Urbi Dominicum S. Stephanus, Colocenſi Aſtricum, Archi-Epiſcopos dedit. Cæteros Epiſcopatus, quoniam de numero lis non levis inter Auctores eſt. - -*

Pag. 20. *Giſelæ non minor, quam Stephani adverſus Deum amor, ac ſtudium extitit. Cum enim hic Albam - Regiam ſumtuoſiſſima Baſilica ornatum pergit, illa pari acta pietate, Veſprimii Eccleſiam propriis, ut noſtri volunt, impenſis cæpit ex fundo educere.*

Pag. 95. *Colomannus, ut primum de Ladislai obitu nuntium accepit, continuo ex Polonia in Hungariam advolarat.*

Pag. 40. *Veriſimile eſt, Stephanum detecta ea conjuratione ſuis metuentem, Andreæ, Belæ, & Leventæ, Ladislai Calvi, Patrui ſui, filiis ſuaſiſſe, ut fuga in Poloniam adornata periculo ſe ſubducerent.*

Diſſ. Pag.

DIATR. & DISSERT.

Diſſ. Pag. 101. *Inter Andream I. & Belam I. de induſtria omiſi Leventam, quod is non alius a Bela eſt, qui hoc cognomine ob fortitudinem affectus fuit.*

Pag. 154. *Jojada Belæ I. filia, quæ Wilhelmo Thuringo primum deſponſata fuit, Ulrico, ſive Udalrico I. Carinthiæ Duci in manus convenerat, ut habet Lambertus Schaffnaburgenſis.* Item: *Udalrico Carentano duas fuiſſe Conjuges, primam Jojadam, Belæ I. filiam.*

Diſſert. pag. 117. *Cæterum, quod Aventinus de Hungaris, qui ſuo etiam tempore Paſſavium religionis cauſa ad Sepulchrum D. Giſelæ adierint, tam confidenter narrat; etſi non invitus darem - - Quanquam vereor magnopere, ne non Aventinus pro Emerico Hungariæ Duce, Giſelam ſubſtituerit.* Pag. 124. *Ex quo quantum iis, quæ de illa*

ANNAL. REG. HUNG.

Pag. 40. Ut paulo ante vidimus, Andream, Belam, & Leventam, Tres Ladislai Calvi filios fuiſſe agnoſcit. Pag. 52. vero ait: *Andreas Anno MXLVII. Petro e vivis erepto - - opportune mors Leventæ fratris interceſſerat, qui quod Scythicis moribus, & ceremoniis perdite deditus eſſet, multum conſiliis Andreæ incommodaturus videbatur.* Item pag. 63. *Bela, alter Andreæ frater, a prælio feliciter confecto ſine mora Albam - Regiam profectus eſt, ut pro gentis more corona redimitus, Regnum ſibi conſtabiliret.* Mortuus autem eſt Bela Anno MLXIII.

Pag. 70. *Geiſa auxiliarios accerſere conſtituit. Finitimus Otto fuit Moraviæ Dux. Ad hunc igitur Ladislaum mittit ſuppetiarum cauſa, neque ſpes nulla fuit impetrandi, quod Ottonis frater Vratislaus Sororem Geiſæ Jojadam in Matrimonio habuiſſet.*

Pag. 83. *Giſelam Paſſavii apud Sanctimoniales conditam eſſe, omnes affirmant, refertque Aventinus ſuo etiam ævo Hungaros pietatis cauſa iſthuc peregrinatos fuiſſe.*

illa Paſſavium traducta, Aventinus, cæteriquenarrant, tribuendum ſit, nemo non videt.

Diatr. pag. 185. *Varadini repertam in tumulo fuiſſe Coronam cum Sceptro, pomo, ac velo muliebri, quod cum ad fœmineum mundum ſpectet, ac Mariam Sigiſmundi Conjugem illic ſepultam fuiſſe conſtet.*

Diſſ. pag. 31. Sigiſmundus Rex in Diplomate affirmat, ſepulturam in Baſilica Cathedrali Varadinenſi ſe elegiſſe. Cl. Pray ſubdit: *Ubi nimirum prius Conjux Maria ſepulta fuit.* Mox duo Diplomata Mariæ de Anno MCCCXCV. producit: Dlugoſſum, hunc annum recte notaſſe perhibet; uti & Mariam iſto anno mortuam eſſe affirmat.

Tom. II. pag. 191. *Tam ſingularem Valachorvm perfidiam quo minus Rex caſtigatum iret, triſtiſſimus de Conjugis Mariæ obitu allatus nuntius effecit. Nec quo mortis genere, nec quo Menſe obierit, aut ubi humata ſit, Scriptores prodidere.*

Pag. 191. Mariæ mortem ad Annum MCCCXCII. affigit, & deinde Dlugoſſum, Scriptorem ſane egregium, laceſſit his verbis: *Dlugoſſus quidem Lib. X. Hiſt. Polon. ſcribit, defunctam XVII. Maji. Vereor tamen illi fidem habere, quod Reginæ mortem ad Annum MCCCXCV. contra omnes Scriptores, & Sigismundi quoque Diplomata, producat.*

Nolo plura, quando triplex hic Calumniarum, Depravationum, & Retractationum, in Libello aliquot ſolum plagularum, irrogatarum, factarumque copioſus Indiculus omnino ſufficiens ſit, ad pleniſſime cognoſcendam Cl. Adverſarii noſtri cogitandi rationem. Certe non facile quis alius eo abierit. Jam ad refellendam famoſam illius, in nomen, famamque meam cuſam, Diatribam me accingo, & ſaltantem in veſtigio ſequor.

§. I.

§. I.

Ipso statim principio Diatribæ Adversarius noster Theatrum aperit, &, inveterato jam more, suavissime ludit. Scribit enim: *De Conjugibus Geisæ I. ejusque fratris Ladislai - - necessario mihi video esse resumendum, ut tenebras, quas Cl. Vir de industria offundere studuit, dissipem.* (a) Videbimus suo loco, quam hæc rite jactentur, quantamve lucem ad dissipandas meas tenebras affundat? id jam modo affirmare ausim, ejus lucem tam opacam esse, ut mihi juxta clareat, ac si in cimmeriis essem. (b) Deinde ait, quod in Minutulis Magnus videri velim: quæ ille attinget, aut omittet penitus, quod ea cuivis ex iis, quæ adducturus est, facile patebunt. Ita sane! tam facile, quam pyrum vulpes comest. Mihi vero satis est, si vel in Minutulis approbari merear. Nam quid faciam, si non sum Aquila, aut Serpens? Ille omnia acie figit: sed tamen Afri hoc legitne: *Cæcitatis facile duas species concurere, ut qui non videant, quæ sunt, videre videantur, quæ non sunt.* (c) Comperior utramque in illo esse: & postea ostendere conabor. Adversarii Prælocutioni satisfit.

Tum Præfationis meæ mentionem facit in hæc verba: *Queritur ad humanissimam Epistolam, qnam ad me, ut ad Episcopos Varadinenses symbolam conferrem, olim dederat, nihil omnino a me responsum esse; tum sua adeo hac Epistola mihi stimulos esse subjectos, ut Dissertationem de S. Ladislao H. R. celerius ederem: proinde illius luci voluerim eatenus obstruere.* (d) At, at in hoc ejus falsimonia comparet: ubi ego scripsi, quod Cl. Author *luci* meæ velit *obstruere?* Nec scio, an possit? Non est operæ vi-

 dere,

(a) Diatr. pag. 12.

(b) De prolibus S. Ladislai ad Amicum suum Danielem Cornides, fiduciæ plenus, provocat. Et revera solidum Commilitonem sibi succenturiavit, qui se nihilo modestiorem animum nactus, pariter acerrimis, atque ab omni humanitate prorsus alienis convitiis in me perinde, ac in alios fertur, quod in hujus opellæ decursu videbimus.

(c) Tertullianus.

(d) Diatr. pag. 12. Perinde in Cl. Descritzium Supp. pag. 41. num. 37. simili verborum forma incurrit: *Risum*, inquit, *mihi bone Vir excutis, qui non obscure prodas, timuisse te, ne laudibus tuis obstruerem: qui metus inficetum gloriæ studium sapit.* Elegans ad Hunnos argumentum.

dere, ubi tale aliquid ſcriptum: hoc novi, nec in ſomnio me id ſenſiſſe. Sic ſemper a lineis Narratio ejus excidit. Sum ego, favore Superum, etſi indignus, iis honorum nominibus ſufficienter inſtructus, ut a Libellis lucem mercari non debeam: id ad ſatiandam famem eſurientibus lubens, & libens relinquo, iisve, qui aliis lucis præſidiis deſtituti, Chartiatico avide inhiant.

Neque illud vero proximum eſt, argumentum Epiſtolæ meæ fuiſſe, ut ad Epiſcopos Varadinenſes ſymbolam mihi ſuam conferat. Id erat: ut me certiorem reddere velit, utrum Diſſertationem de S. Ladislao edere, quod audiveram, meditetur? adjeci deinde, quod ajunt, *per accidens*, ut ſi illam vulgare, in animo non fert, manum mihi porrigat. Sed nempe tum nondum ita noveram hominis nimiam gloriæ tenacitatem, atque egregiam ſcilicet humanitatem, ſecus certo nihil petiturus eram. Interim gaudeo, quod, eſto errore ſibi perſuadeat, ſymbolam ſuam a me petitam fuiſſe, indeque gloriæ ſuæ auctarium acceſſiſſe credat; idcirco enim illud commemoravit. Illud autem veriſſime affirmat, quod ad Epiſtolam meam nihil reſponſi dederit. Satine urbane? viderit ille ipſe. Obtendit quidem ideo ſe tacuiſſe, quod reſponſum non urſerim. O frivola magis excuſatio, quam teſtulæ ullæ fractæ! Siccine? *ille non urſit, ego tacui.* Ergone ad implenda humanitatis officia urgeri debet? & in re tam plana? tam facilis pretii? ad agreſtes Getas eliminandi id modi mores. Solemus apud Magnos, in primis Provinciarum Dominatores, cum primæ adhæſerunt, preces iterare: ſed id apud pares, aut cum paullo Major ad minorem ſcribit, locum vix poteſt habere: illud ſolius gratiæ eſt, hoc ad morum civilitatem ſpectat. Niſi forte bonus Vir Jovi fulmen abs ſe ſubtractum, Herculi clavam, ſibi perſuaſerit. Hoc quoque clarum, me in Præfatione ſcripſiſſe, quod forte ipſa Epiſtola mea Adverſario ſtimulus fuerit ad celerius vulgandam ſuam Diſſertationem. (*a*) Verum, quod ille prorſus non intelligat, quid mihi hac opponere voluerit, (*b*) qui nihil in genere Hiſtorico

ad

(*a*) Diatrib. pag. 13.

(*b*) Ibidem. Sed voculam: *opponere*, qua ego uſus haud eram, doloſe de ſuo adjecit Adverſarius noſter, ut videlicet veriſimilior ejus narratio evaderet.

ad id tempus edidiſſem, addubito. Cæterum, ſi temporis & loci circumſtantiæ admitterent, plenam ego illi hujus intelligentiam procurarem: erit fortaſſe, ut hanc etiam a me alias capiat. Interim, qui a ſcriptis aſpectabilior eſſe inficeto ſtudio contendit; cum aliorum probos in ſimili genere conatus antevertere ſatagit, cupidini ſuæ ſat ſuperque gratatur: arbitratur enim ſe ſolum in ampliſſimo theatro cum inſigni gloriæ acceſſione Actorem fore.

Denique hæc addit: *Facetiam autem illam de Jovis Satellitibus, quam ego in alium joci cauſa luſeram, non video, cur ſuam velit facere?* Hoc equidem aperto cachinno dignum eſt. Vereor, ut alias etiam illam convitiorum congeriem, quæ in præſtantiſſimos Viros non ſatis caſtigate conjecit, *jocum* nominet, & *facetiam* (c) Quæ ille joci cauſa, ut ait, in alium, hoc eſt, in Cl. Benedictum Cetto luſit, & ego mea volui facere, ea id modi ſunt: *Hic iterum Societatem meam a latere petere mihi videris: & bene a latere; non enim tibi Author ſum, ut a fronte petas, ni Satelles Jovis eſſe cupis.* Quantum fumi his verbis inſit, magis perſpicuum eſt, quam ut explanari debeat. At joci cauſa luſit? Lippus, & Tonſor cognitum habet, quam acerbis ſcriptis eruditiſſimum illum Virum inſectatus ſit, etiam in ipſo Libello, in quo hanc facetiam luſiſſe ſe affirmat, & credamus, illa joci gratia dicta eſſe? Credat Judæus Apella. Prodit profecto hac eadem pagina, quam miris jocis ludat in Cettonem, quem diris pene omnibus devovet. (d) An non hic bonus, ut Vertumnus mutatur?

Poſtquam autem ita vaniſſime luſit, confeſtim ſubdit: *Quaſi Staturnus ſuos itidem Satellites non habeat.* (e) Verum eſt: Cur igitur Jovis potius Satellites nominare voluit? vix aliam cauſam inveneris, quam, ne ſi Saturni, Patris licet Jovis, attamen

(a) Huc acommode refertur Phædri Fabula X. in Append. ad Æſopias.

(b) Cl. Cetto altercationum, quæ illi cum Cl. Pray Hunnorum cauſa interceſſit, ad vivum reſecat in Diſſertatione IV. plane erudita, quam typis Vindobonenſibus vulgavit.

(c) Diatr. pag. 14.

minoris apud Poëtas Dei, nominaſſet, exaggeratæ gloriæ ſuæ quidpiam decerpatur. Quamquam phraſi illa me petere, & inter Saturni Satellites collocare videtur. Utinam, in ſano tamen ſenſu, eſſe liceret! & fortaſſe a Falcium iſto Inventore unam impetrarem, qua illius in alios graſſandi libidinis frondes jam ſatis maturas, uno ictu deſecarem. Tantum attinebat ad Prolocutionem. Nunc ad Scriptionis argumentum.

§. II.

Epiſcopatum Veſzprimienſem, uti & Templum ab Geiſa erectum eſſe, veriſimile eſt.

De Veſzprimienſi Epiſcopatu hæc ego commentatus eram: *Veſzprimienſem non omnes Eruditi S. Stephano Regi deberi confeſtim agnoſcunt.* Et poſt pauca: *Geiſa videtur hunc Epiſcopatum erexiſſe.* Rurſum: *Fieri potuit, ut - - ædes illa* (Veſzprimienſis a Geiſa) *poneretur, & magnificentius quoddam Sacerdotum Collegium.* Denique in margine iſta notavi: *Veſzprimienſis ante ætatem S. Stephani R. videtur erectus fuiſſe.* Hæc omnia apud eos, qui inter ſanos Criticos eſſe volunt, nihil aliud ſignificant, quam quod non ita certum ſit, Epiſcopatum Veſzprimienſem ſua incunabula S. Stephano debere, ut omni in obverſum dubitationi, aut prudenti conjecturæ locus adimatur. Quid autem Doctiſſimus Hypercriticus noſter? Depravando, interpolando, detorquendo, ingratiis, nec ſatis perite, has conſequutiones infert: *Certos igitur nos Adverſarius reddit, Epiſcopatum Veſzprimienſem a Stephano non fuiſſe conditum.* (*a*) Iterum: *Geiſa videtur erexiſſe, ergo Geiſa hunc Epiſcopatum reipſa erexit.* (*b*) Rurſus: *Igitur neceſſario Templum id a Geiſa extructum eſt.* (*c*) Denique: *Demus - - an idcirco etiam Veſzprimienſem Epiſcopatum ab eodem* (Geyſa) *erectum exiſtimabimus? Certe, hoc enim noſter in primis, & hac de cauſa pugnat.* (*d*) Hem! quæ hæc Logica? & qua fide id adſtruitur? Optima. Hoc quidem eſt regula rectius, (*e*) tamen ne a veſtigio recedamus, Cenſori noſtro ſiſtamur.

Poſt-

(*a*) Diatr. pag. 25. (*b*) Diatr. pag. 16.
(*c*) Diatr. pag. 19. (*d*) Diatr. pag. 21.
(*e*) Cum aliis quoque hac irrefragabili philoſophandi ratione diſputare ſolet. Vide Diſceptationes cum Cl. Deſericio, & Cettone habitas.

Postquam hæc mea: *Non omnes Eruditi confestim agnoscunt*, retulit, subinfert: *Peto, qui sunt hi Eruditi? cujus ævi? ubi, & quo loco Operum suorum id confestim agnoscunt?* Eleganter! ego ajo: *Non omnes confestim agnoscunt*, hoc est, non desunt Viri Eruditi, qui arbitrentur initia Episcopatus Veszprimiensis S. Stephano non esse tribuenda. Ille petit, ut ostendam *qui id confestim agnoscunt?* qui absque omni dubio, & hæsitatione agnoscunt Episcopatum Veszprimiensem a S, Rege non esse conditum; hoc enim, nisi me omnia fallunt, significat, confestim rem agnoscere. Illud prius conjecturam solum, istud autem certitudinem importat. Nonne hæc talia, ut explodanda magis sint, quam exploranda. Sed ad interrogationes, ne censorium exameu subterfugiam, respondeo:

Michael Bombardi *(a)* de hoc Episcopatu scribens, ait: *Eruit Auctor noster in Chronologica sua Synopsi tam D. Michaelis Cathedrale Templum, quam ipsum Episcopatum ante Giselæ, proinde etiam D. Stephani tempora floruisse.* Joannes Trstyanszkius hæc ad nos transmittit: *De Episcopatu Veszprimiensi, quisnam ejus Author extiterit? movêre quidam lites, quod se comperisse crediderint, ut Regiam Svatoplugi, & Sedem Episcoporum Sclavicorum olim Veszprimii fuisse. Istud ut bona tantum gratia non inficiemur; eversa tamen fuisse ab excessu nominatissimi illius inter Sclavonicos Principes omnia, si quæ erant, Episcoporum jura per Scythas non asseverare non possumus - - Atque hoc pacto in gratiam redire potest communis Scriptorum sententia, in constitutis à Stephano Rege, & Apostolo Episcopatibus, Veszprimiensem quoque ponentium, cum adversa, quam nonnulli eruunt ex Privilegio Sodalibus Cœnobii S. Martini collato per eundem S. Regem. (b)* Ladislaus Thurotzius ita scribit: *Sunt, qui Templum illud majus* (Veszprimiense) *Giselæ, veluti Fundatrici, Episcopatum autem Stephano tribuunt Fundatori - - Contra alii sentiunt, ante Annum MI. atque adeo ante tempora Regum illorum floruisse utrumque. (c)* Satine hoc etiam clarum? Et hi tres Eruditi Scriptores Soci- Ex Scriptorum testimoniis.

(a) Mich. Bombardi Topogr. Hung. pag. 97.
(b) Joan. Trstyanszky Topogr. Hung. pag. 134.
(c) Lad. Thurotz. Hung. suis cum Reg. pag. 26.

Societatis Jesu Institutum sequuti, profecto insignis doctrinæ fama claruerunt. Audebitne jam noster hos de Literis non male meritos Viros mendacii arguere, aut e numero Eruditorum excluſos pronuntiare? Non opinor, ne Lupis, & Leonibus ferocior ſit: ut pulcherrime cecinit Horatius:

Nec hic Lupis mos, nec fuit Leonibus
Unquam, niſi in diſpar feris.

Quemadmodum igitur non mihi hac in re opus eſt ad veterem illam paræmiam ἀυτὸς ἴφα. recurrere, ita veriſſimum manet, quod in Diſſertatione mea ſcripſi: *Veſzprimienſem Epiſcopatum non omnes Eruditi S. Stephano Regi deberi, confeſtim agnoſcunt*: niſi forte dicere malit, illos aniles ſolum fabellas chartis illeviſſe; quod tamen de ſuis vix, ac ne vix quidem affirmabit, nec, niſi temere, poſſet. Teſtes, non verba dedi, quod a me poſcebatur: qui etſi recentiores ſint, illa tamen a vetuſtioribus ſumſerint. Attamen miſeret me meorum teſtium, quia Crito noſter imprudens, & velut aliud agens, illos a me ex pumice exſculptos eſſe præcoce judicio clamitat. (*a*)

Regia quoque Svatoplugi Veſzprimii fuit.

Petit porro, quinam illi Scriptores ſint, qui credunt Regiam Svatoplugi, & Sedem Epiſcoporum Veſzprimii fuiſſe? Quoad utrumque ad teſtimonium modo relatum Cl. Bombardi, & Trſtyánſzki provoco. (*b*) Quos autem iſti Eruditos innuere voluerint? verecunde ajo, & cum Sophocle — ἐφ' οἷς δὲ μὴ φρονῶ, σιγᾷν φιλῶ. (*c*) Præterea Svatoplugum Veſzprimii Regiam habuiſſe, locuples teſtis eſt nobis Joannes Dubravius Epiſcopus Olomucenſis, Scriptor Hiſtoriæ Bohemicæ. Is, in Summa, quam tamen ejus Editor Jordanus videtur adpoſuiſſe, Libri IV. diſertis verbis ſcribit: *Svatoplugus, cujus Sedes Veſzprimii.* Deinde: *Id temporis Veſzperini in Pannonia fere aſſidue morabatur* (Svatoplugus) *cum Hunni ad invadendam denuo, repetendamque Pannoniam, quam a morte Attilæ annis trecentis deſtituerant, impetum cepiſſent, Legatos Veſz-*

(*a*) Diatr. pag. 22.

(*b*) In Epiſtola Eugenii Papæ II. ad Epiſcopos, & Principes Hunnorum, & Moravorum DCCCXXIV. data fit mentio Epiſcopatus Vervarienſis, quem Aventinus eundem eſſe cum Veſzprimienſi exiſtimat, apud Hanſizium Germ. Sacræ Tom. I. pag. 147.

(*c*) *Quæ non ſcio, ſilere amo.*

Veſzperinum ad Svatoplugum præmittentes eum munere, & precibus. (a)

Nec id admodum mirum iis videri debet, qui Hiſtoriarum illius temporis gnari ſunt. Notiſſimum eſt, quam acres ſimultates ortæ ſint inter Arnolphum Regem, & Svatoplugum: quæ ſubinde in apertum bellum eruperunt. Svatoplugus Anno DCCCLXXXIII. infeſtis armis Pannoniam vaſtavit, & victorem exercitum domum reduxit. Anno inſequente novam in Pannoniam, quæ Arnolpho parebat, expeditionem ſuſcipit, & duodecim dierum incurſione omnia hoſtilem in modum populatus eſt, circumjacentemque Araboni oram exinanivit. Arnolphus impar reſiſtendo ad Carolum Cæſarem confugit: iſte exercitum adverſus Svatoplugum cogit: aſt invitato in colloquium inimico, animi conciliantur, pax inter utrumque coaleſcit: *(b)* & Svatoplugus occupatas armis Pannonias terras a Cæſare in feudum accipit. *(c)* Id non obſcure Hermannus Contractus indicat *(d)* hiſce verbis: *Carolus Imperator in citeriore Pannonia Conventum habens, Ziventibaldum Ducem Marahenſium, per manus Dominio ejus ſe tradentem, pacemque, & ſervitium promittentem ſuſcepit.* Etſi vero Pannoniæ non meminerit, de hac tamen loquutus eſſe cenſeri debet; Moravicas enim Regiones jam abolim jure proprio poſſedit Svatoplugus: non igitur in Feudum accipere poterat: eo magis, quod prorſus incredibile ſit, potentem hunc, & valido ſtipatum exercitu Regem ſine pugna, quam tum, ut obſervat Cl. Pubitska *(e)*

(a) Duhrav. Hiſt. Bohem. Lib. IV. pag. 106. edit. Francof. MDCLXXXVII. Peſſina quoque in Marte Morav. & Stredovſzki in Merc. Mor. referunt ſub Svatoplugo Moraviæ Rege primam Sedem Regiam, Velhradum fuiſſe, cum priores Duces, Regesque in Panonnia ſederint; prius quidem Sabariæ, deinde Veſzprimii, imo Lib. II. Cap. IV. hæc habet: *Circa Annum DCXC. legimus regnaſſe apud Moravos Marothum, ſive Moravodum, Regiamque Sedem habuiſſe Veſzprimii in Pannonia.* Peſſinæ adſtipulatur Joan. Chriſtoph. Jordan. Orig. Slav. Cap. XXVIII. pag. 195.

(b) Lambecianus ap. Pagium.

(c) Ex acceſſione iſta Pannoniæ ad Moraviam, videtur eſſe creatum nomen *Magnæ Moraviæ*, & Porphyrogenito, & aliis græcanicis Scriptoribus uſitatum.

(d) Herm. Contr. ad An. DCCCLXXXIV. Idem fere habet Freherianus Fuldenſium Annalium Continuator.

(e) Pubitska Chron. Bohem. Tom. II. ad An. DCCCLXXXIV. pag. 67.

Carolus ne inire quidem auſus fuiſſet, ſe cum ſua Moravia eidem ſubjicere voluiſſe. Anno deinde DCCCLXXXV. Svatoplugus etiam cum Arnolpho pacem conciliavit, Freheriano, & Hermanno Contracto teſtibus, poſſeſſionemque Pannoniæ retinuit. Quod poſtremum non commemorant quidem iſti Scriptores, attamen ſilentium eorum veritati nihil officit; cum neque illud affirment, quod Svatoplugus poſt habitum cum Carolo Cæſare colloquium, poſt pacem item cum hoc, & Arnolpho ſtabilitam, ex Pannonia, armis in poteſtatem redacta, militem deduxerit, regionemque reddiderit: quod certe ſi factum fuiſſet, conſignare, ut oportebat, non neglexiſſent.

Huc etiam videtur pertinere, quod Rhegyno ſcripſit: *Arnulphus Rex conceſſit Zundebolch, Marahenſium Sclavorum Regi Ducatum Bohemenſium (a)* Quamvis enim ille Bohemiam hac occaſione Svatoplugo traditam fuiſſe affirmet: ratio tamen temporum manifeſte evincit, ibi non de Bohemia, ſed Pannonia ſermonem eſſe debere. Non eſt igitur dubium a Svatoplugo Pannoniam uſque ad Arabonem tentam, & admodum credibile eſt, etiam ultra hoc flumen ejus dominationem extenſam fuiſſe, eo, quod Wilhelmum, & Engiſchalchi majores natu filios Megingerum, & Paponem, Sclavorum impetum cohibere volentes, Svatoplugus armorum ſucceſſu primum repulerit, deinde in fugam conjecerit, ad extremum Arabonis voraginibus ſubmerſerit; atque adeo victorem exercitum ultro circumtulerit: *(b)* & fortaſſe uſque ad ditionem Vratislai, quæ intra Savum, & Dravum amnes continebatur. Id quod Cl. Hanſizii animadverſio ſatis clare indicat; ait enim, quod cum Arnulphus propter inſidias Svatoplugi Legatos ad gentem Bulgaricam mittere per firmam terram nequiviſſet, oportuerit illos per Vratislai ditionis flumina promovere. Qui demum trium amnium, Odræ, Culpæ, & Savi beneficio ad Bulgaros pervenerunt, uti Annalium Fuldenſium Author narrat. Iſthinc ſuapte conſequitur, Svatoplugum tractum illum Pannoniarum, ubi & Veſzprimium eſt, jure Feudi poſſediſſe.

Jam

(a) Rhegyn. Chron. ad An. DCCCXC.

(b) Bonfin. pag. 134. hæc adnotavit: *Svatoplugus cum parato exercitu Caſtra trans Danubium locat haud procul ab Hungaris.*

Jam vero, quia Cicero ait, *Conjectura ex causa, ex persona, ex facto ipso capienda est;* idcirco prudenti conjectura licet opinari, Svatoplugum Veszprimii, Urbe non ignobili, sibi Regiam delegisse; tanto magis, quod si Jordano, & Hansizio credimus (*a*) jam olim etiam Sclavorum Reges Veszprimii Regiam habuerint. Et signanter de Svatoplugo id Dubravius luculente testatur. Idem Dubravius ea, quæ retuli, mirum in modum confirmat (*b*) in hanc sententiam scribens: *Ipse Rex* (Svatoplugus) *majore, nobilioreque parte Regni ab Hunnis spoliatus, quamquam aliquam Pannoniam inter Vagum, & Danubium positam, adhuc in officio retineret; non in illa tamen, sed apud Moravos in Oppido Velegrado Regiam sibi, & posteris constituit;* hoc est, post Annum DCCCXC. quo Hungari, Arnulphi socii, in Moravici Regis terras arma intulerunt. En? Svatoplugus post acceptam cladem Pannoniam inter Vagum, & Danubium sitam, adhuc possedit, & tamen *majore,* & *nobiliore* Regni parte per Hunnos exutus est, igitur consectaneum omnino est, illum plus trans, quam cis-Danubium tenuisse: Unde confit, prorsus credibile esse, etiam Veszprimium Svatoplugo paruisse, quod sane vicinius est Danubio, quam sit Moravia illa, quam proprio jure possidebat. Et quia trans-Danubiana plaga spoliatus est, atque deinceps Velehradini pro se, suisque posteris Regiam construxit: utique rursum veri simillimum est, quod Svatoplugus ante in tractu, qui ultra Danubium porrigitur, & signanter Veszprimii, nam ubi alibi? Regiam habuerit. Verum itaque est, quod in Dissertatione mea scripsi, videlicet: *Complures Scriptorum tenent, Regiam Svatoplugi, & Sedem Episcoporum Veszprimii fuisse:* (*c*) nec ob id per Critonem nostrum ad

(*a*) Jordan. Orig. Slav. Cap. XXIV. Hansiz. Tom. I. Germ. S. ad. An. DCCCXC.

(*b*) Dubrav. Hist. Bohem. Lib. IV. pag. 107.

(*c*) Stephanus Szalagyi Quinque Ecclesiensis Diœcesis Presbyter de statu Ecclesiæ Pannonicæ Lib. III. pag. 249. hæc de me per Ironiam scribit: *Non omni caret Auctore Ganotzii opinio, Episcopatum Veszprimiensem ante tempora S. Stephani R. stetisse autumantis: habet nempe Suffragatorem Aventinum, sæculi XVI. Scriptorem.* Bonus Szalagyius in suo Opere mordaciſſimo scribendi genere, nec urbanitati congruente, opportune, importune in me incurrit, quin ullam eatenus causam illi præbuissem. Sicubi forte exerrasse me credit, corrigat, emendet, farciat. sed extra temperantiæ

tam rigidum, & faſtidioſis contumeliis refertum examen vocari debebam. (d)

Imo forte etiam Sedes Epiſcopalis.

Reliquæ, quas ille mihi hoc loco proponit quæſtiones, adeo detritæ ſunt, ut ad ſcrutarium forum potius relegari, quam ſub haſta venire mereantur. In his ille, ut fere verboſis accidit, multimodis impingit. Ne tamen ictum metu evitare velle illi videri poſſim, eas in acervum coactas, brevibus diſſipabo; nolo enim Legentium otio abuti: Itaque quærit ex me: Quis Veſzprimienſis Epiſcopus ſub Geiſa, aut Svatoplugo fuerit?

---

tiæ orbitam non divagetur, neque plane ſervilem in modum me laceſſat, carpat, proterat. Id & ejus, & mea conditio poſcit, & prudentia ſuadere debet. Laudanda nihilominus eſt Cl. Pray providentia, quod ſui ſimiles ſocios ad tutandam cauſam conduxerit; utpote Dan. Cornides, R. Steph. Karona, & Szalagyium, qui profecto in jactandis convitiis ad invicem certant. His apprime convenit, quod Claud. in III. Honor. Conſul. cecinit:

- - - Vobis jam Mulciber arma
Præparat, & Sicula Cyclops incude laborat.
Brontes innumeris exaſperat Ægida ſignis:
Altum fulminea criſpare in Caſſide conum
Feſtinat Steropes, nectit thoraca Piracmon
Igniſluisque gemit Lipare fumoſa cavernis.

Cum iſtis in arenam deſcendere non tam vereor, quam erubeſco; quid enim aliud agere poſſem, quam calumnias calumniis refellere, quod me nec decet, nec delectat. Notabo tamen ubi e re fuerit, inſignitam illorum, atque virulentam licentiam, ut videant, quam temere mihi inſultent: in primis Szalagyius, qui per me non læſus, non provocatus, non impugnatus, quin nec per ſomnium viſus eſt; alii enim ſpecioſa quædam obtendunt.

(d) A. R. Karona pag. 532. Vetvarinum Ovarino noſtro reſpondere exiſtimat. Cur ita? quia, verba ejus ſunt: *Vetvarienſem Epiſcopatum Hanſizius, Timonius, Calleſius, Prayus Ovarini ſtetiſſe cenſent, cui plane conſonat vocabulum Latino-hunnicum Vetvár.* Et mox ſequente pagina ſic ſcribit: *Quidquid ſit de Fridegilda, cui quidam aliquos Epiſcopatus erectos ſine teſte tribuunt.* Res mira! non vult credere, Fridegildam Nittrienſem, & Olomucenſem Epiſcopatus erexiſſe, quia Scriptores id affirmantes veteres teſtes non ſtatuunt. Sibi autem credi vult, Vetvarienſem Epiſcopatum Ovarini ſtetiſſe, quia id Hanſizius, Timon, Calles, Pray ſcribunt. Atqui omnes iſti noſtri ſæculi Scriptores ſunt, & nullum veterum proferunt, nec poſſunt. Cur ergo iſtis major fides debeatur, quam illis? Cauſam in promptu habeo, ſed reticeo. Nec conſonantia vocabuli Latino-hunnici quidquam addit fidei, ut eruditiſſime in rem videlicet ſuam Cl. Gelaſius Dobner in Animadverſionibus ad Hagekii Annales argumentatur hiſce verbis, *Nec argumentum Hanſizii, & Timonis pro Hungaria locum hunc vindicantium (quod Vetvár nomen Hunnicum, non Slavicum eſſet) cujuſpiam roboris eſt, cum antea ex Annalibus Eginhardi oſtenderimus: Hunnos ante Caroli M. bellum Hunnicum transdanubianam ripam a Camp fluvio usque Moravam flumen accoluiſſe; imo etiam Theodorus Hunnorum Caganus a Bohemis, Moravisque pulſus, iſthic alicubi ſederit, ut ita locus hic Vetvár nomen ſuum ab Hunnis habere, eisque propulſis, retinere potuerit,*

rit? quem Svatoplugum Scriptores intelligant? Junioremne, an Seniorem? Et ſi Svatoplugus Veſzprimii Regiam habuiſſet, num ideo Sedes etiam Epiſcopalis illic erat? quis illam fundavit? quos habuit limites Diœceſanos, cui Archi Epiſcopo paruit? Vere, ille Lupinos iſtos pro ære habet, & provulgat. Ego ſcripſi: Geyſa, Parens S. Stephani Regis, videtur Veſzprimienſem Epiſcoparum erexiſſe. Ille quærit: quis Epiſcopus ſub Svatoplugo? & tamen cum ita Logicam labefactat, non veretur me e Logicorum Catalogo putida criſi exterere: & non eſt hoc extra orbitam ſaltare? utique; reducam ego. Sciat itaque, Geyſam nec natum fuiſſe, cum Svatoplugus regnavit. Sciat Svatoplugum integro ſæculo Geyſæ præmortuum fuiſſe. Sciat me nec per otium ſomniaſſe, quod Epiſcopatus Veſzprimienſis ſua incunabula Svatoplugo debeat. Sciat poſt debellatum Anno DCCCXCII. ab Arnulpho, & fœderatis Svatoplugum, Pannoniam, quam poſſedit, majore, & nobiliore parte ad Bojoarios rediiſſe: Svatoplugum trans Danubium nihil deinceps tenuiſſe: poſt biennium e vivis exceſſiſſe: ejus filios non multo poſt diſſenſione Regnum peſſumdediſſe. Unde, ſi hæc rite expendiſſet, nota enim ea illis etiam ſunt, qui ſolum a limine Hiſtoriam ſalutarunt, facile poterat intelligere, de ſeniorene, an juniore Svatoplugo nobis ſit ſermo, nec ſupervacaneis quæſtiunculis Libellum farcire, me onerare, legentibus fucum obtrudere debebat, aut Doctorum Virorum patientia abuti. Quemadmodùm igitur nullo jure ſciſcitatur: quis erat ſub Svatoplugo Epiſcopus? & an ſenior, vel junior Svatoplugus Regiam Veſzprimii habuerit? ita in Logicæ principia vehementer inpingit, quando ex his meis: *Complures Scriptores credunt & Regiam Svatoplugi, & Sedem Epiſcoporum Veſzprimii fuiſſe*, hanc conſequutionem ſubinſert: *Ergo, quia Regia fuit Veſzprimii, ideo etiam Sedes Epiſcopi illic erat.* Eheu! quorſum deviat mortalium imbecillitas, qui cum erraſſe ſe fateri erubeſcunt, ſua usque ad pertinaciam tueri non penſi habent.

Similia inanimenta ſunt etiam cæteræ Adverſarii interrogationes. Jam dixi, quibusdam Eruditis videri, Geyſam eſſe Fundatorem Veſzprimienſis Epiſcopatus, & quidem, ut mihi perſuaſum eſt, id ultimis vitæ ſuæ annis egit. Quantumvis vero

primum ſub Geyſa Epiſcopum nominare nequeamus, id nemini ſane mirum videbitur, ſi modo vel auribus excepit varias Hungariæ converſiones: Et nonne jam pridem ego a Critone noſtro peto, ut ſiquidem S. Stephanus, quod ille male putat, eſt Conditor Varadinenſis Epiſcopatus, dicat mihi, quis fuerit primus Epiſcopus? Quid ajo? Non primum jam poſco, ſed tempore S. Stephani, Petri, Abæ, Andreæ, Belæ, Salomonis, Geyſæ, & S. Ladislai octo Divorum Hungariæ Regum, hoc eſt, per integri ſæculi curriculum vel unicum Epiſcopum Varadinenſem nobis exhibeat. Nullum certe, niſi improſpere hariolari velit, in lucem proferet: Si modo ſibi aliquem ex Pumice exſculpere, aut ex mantica excutere nolit.

Objectiones Adverſarii diluuntur.

At urget Noſter: *Cui Archi-Epiſcopo paruit?* Non erant tum adhuc erecti Hungarici Archi-Epiſcopatus, idcirco poſſumus dicere, Patavienſi, aut ſi mavis Laureacenſi ſubjectum fuiſſe. (*a*) Certe, Anno adhuc DCCCXXIV Eugenius II. Pontifex Urolpho antea Patavienſi Antiſtiti, Laureacenſis Archi-Epiſcopi inſignia, & Legati Apoſtolici per Pannoniam, Mæſiam, Moraviamque munus detulit: (*b*) arbitror itaque tempore Geyſæ, nam de vetuſtiore ætate nonego hic ago, paucis illis annis, usque dum nempe Strigonienſem Metropolim S. Stephanus condidiſſet, Laureacenſi paruiſſe: ſi tamen illius erectionem Roma jam tum probavit; id enim necdum in liquido eſt. Quidquid autem ejus ſit, alicui ſane Archi-Epiſcopo Veſzprimienſem Epiſcopatum ſubjectum eſſe oportuit: quod autem certis, & irrefragabilibus documentis cum plurimis aliis rebus ignoremus, aut nequeamus demonſtrare, cuinam præciſe Archi-Epiſcopo paruerit; id ut vitio nobis dari non poteſt, ita male ex hinc arguitur: *ergo non erat conditus.*

Illud

(*a*) Scitum eſt, & Iuvavienſem, & Patavienſem Archi-Epiſcopos jurisdictionem ſuam in Pannonias porrexiſſe: de Laureacenſi pariter non eſt dubium. Is ſæculo IX. petiit a Pontifice pro Pannonia Epiſcopos deſignari, quia, inquit, *oneroſum mihi eſt, ut mei Archi-Epiſcopatus Parochias ſolus prædicando circumeam.* Igitur Veſzprimienſis tempore Geyſæ probabilius Archi-Epiſcopo Laureacenſi paruit. Vid. Epiſt. Piligrini in Diſſ. mea pag. 33.

(*b*) Vid. Barou ad Anno. DCCCXXIV.

Illud autem prorsus inficetum est, quod Crito noster rursus Svatoplugum in scenam producat, idemque olus toties recoquat, (a) atque etiam a scopo, toto, ut ajunt, cælo, aberret. Ego sub exitum sæculi X. per Geysam conditum esse Episcopatum Veszprimiensem verisimiliter affirmo: Ille sæculi IV. aut IX. Episcopum sibi statui identidem petit; nam ad IX. sæculum spectat, quod de Joanne VIII. PP. Theotmaro, Methodio scribit: Septem vero vetusti illi Episcopatus sæculum IV. respiciunt, ut dilucide probat Epistola S. Piligrini Laureacensis Episcopi circa Annum DCCCCLXXVIII. ad Papam Benedictum VII. exarata. Quis jam dicet Cl. Pray sincere agere? an id non est legentibus palpum obtrudere? & hoc ad Critices regulas? παχύδερμος, (b) qui hæc non capit (c)

In

(a) Diatr. pag. 15. & 16

(b) *Crassa cute est.*

(c) Salagyius Lib. III. pag. 249. rejecta Aventini, Otrokotzii, & Timonis de Vetvaro conjectura, ita scribit: *Altenburgum* (Austriæ Oppidum) *cum in veteris Carnunti ruderibus situm sit, ea tempestate* (sub initium sæculi IX.) *extitisse, prope exploratum est, indeque dictum Altenburgum, quod ex ruderibus veteris Carnunti esset excitatum - - Vetvarum congruere cum Altenburgo - - Carnuntum antiquissima Colonia Romana fuit.* Et pag. 151. *Sedem Episcopalem Sæculi IX. sub initium Urolphus Laureacensis restituit, ac Vetvariensem a nomine, quo locus vocabatur, appellavit.* Jam, si Oppidum isthoc initio sæculi IX. Altenburgum vocabatur, quomodo Urolphus itidem sæculi IX. initio idem Oppidum Vetvárum nominavit? ubi habetur hujus vestigium? Etsi enim Vetvár, si vetus Castrum significat, idem indicet, quod Altenburg, quæstio tamen est: an locus is in ruderibus Carnunti erectus, prius Altenburgum, vel Vetvárum dictus fuerit? utrumque enim hoc Germanicæ, & Hungaricæ significationis nomen inditum eodem tempore fuisse, docebitur nunquam: doceri tamen deberet, quando Nomen Teutonicum Altenburg in Vetvárum migraverit? quando Hungaricum Vetvár defierit? denique utriusque Nomenclaturæ origo. Nam nudis opinationibus non credimus, quarum veteres ne verbulo meminerunt. Sed nec id exploratum est, quod Altenburgum in loco Carnunti stet, quando illud alii Petronellæ, alii Hamburgo, alii plagæ inter Hamburgum, & Petronellam indefinite, congruere docent. Illud autem falsum etiam est, quod *Carnuntum antiquissima Colonia Romana* fuerit; hujus enim apud veteres vestigium frustra quæsiveris. Fuit tamen vastum Oppidum, quod Plinius Pannonica Hiberna vocat, ubi nempe miles Romanus hibernabat. Male tamen hinc, seu ex prostantibus ruderibus Salagius infert. *Urbem fuisse ampliſſimam, augustam, splendidam, & magnificam.* Pejus ex his falsis principiis deducit, Sedem Episcopalem Carnunti eversam, ab Urolpho restitutam, & Vetvariensem appellatam esse. Solidiora momenta ad idmodi novitates persuadendas requiruntur. Sola dictatio non convincit.

In aliis ſæpius itidem noſter Criticus exerrat; ſequamur errantem, &, ſi correctioni locus eſt, corrigamus. Ego ſcripſi: *Cum Geyſæ Germanus Michaël appellaretur, fieri potuit, illius ut in ſolatium, ac perpetuam memoriam Archangelo Ædes illa poneretur.* Quid hoc aliud ſignificat, quam: *Geyſa in ſolatium fratris Michaëlis, atque in perpetuam memoriam, & venerationem Archangeli Sacram Ædem Veſprimii poſuit.* Quid autem Noſter? more ſibi familiari depravat ſenſum, & poſt vocem: *Memoriam*, ſubdole adponit *coma*, ac ſic verba mea detorquendo, utrumque, videlicet & *ſolatium*, & *perpetuam memoriam* ad Geyſæ fratrem Michaëlem præpoſtere refert: quaſi vero ego dixiſſem, Geyſam in ſolatium, atque perpetuam memoriam fratris ſui Templum Veſzprimienſe conſtruxiſſe. Et audet inſuper mihi inſultare, hiſce ludicris verbis: *Solentne Templa, ac Epiſcopatus in ſolatium, ac perpetuam memoriam viventium ſtrui? id profecto novum Fundationis genus ſit.* (a) Eſſet quidem novum, ſed calumnia, non enim dicere licet, malitia, Noſtri non eſt nova. Hui! quam id turpe eſt, & Scriptoris fidem meritiſſime labefactat.

Texit porro telam ſuam, & infelici conatu, quin ſe purgaſſet flumine, Juris Canonici atria ingredi parat. (b) Sic autem ait: *Jus Patronatus ex communi regula, eorum cenſetur eſſe, qui Eccleſiam ſtruxerunt--Conſtat autem Reginas Hungariæ corona incinctas, Jus Patronatus peculiari titulo in Eccleſiam Veſzprimienſem habere: Igitur Eccleſiam Veſzprimienſem oportuit ab aliqua ex Reginis Hungariæ eſſe conditam.* Doctiſſime! at rident ad iſta Juriſconſulti. Quid Archi-Crito noſter hoc argumento velit, quis novit? vapulem ego, ſi ille ipſe. Mihi, ut, quod ſentio, aperte dicam, videtur Cl. Pray melius verſatus eſſe in Hiſtoria, quam in Jure Eccleſiaſtico. De plano hoc affirmo: judicent illi, qui gnari talium, poſſunt arbitrari. Iccirco compendio dabo ſenſum Legis: Jus Patronatus Juris periti ita definiunt:

Eſt

(a) Diatr. pag. 17.

(b) Diatr. pag. 17. & 18. ſic nempe: Ὀρνίθες δέ τε πολλαὶ ὑπ αὐγὰς ἠελίοιο. Φοιτῶσ', ἡ δὲ τε πάσσες ἐναίσιμοί.

Sunt multæ quidem aves ſub clari lumine Solis
Non tamen auſpiciis aptæ omnes: nec ipſe ille eſt inter auſpicales.

Eſt poteſtas præſentandi inſtituendum ad Beneficium vacans. Jus Patronatus non aliter acquiritur in aliqua Eccleſia, quam ipſam de novo fundando, & conſtruendo, aut jam erectam, quæ tamen ſine ſufficienti dote fuerit, de ſuis propriis bonis competenter dotando, ut decernitur a Concilio Tridentino. (*a*) Jus Patronatus quatuor modis transferri in alios poteſt: *Succeſſione* ſcilicet, ſive jure hæreditario; *Translatione*, ſive donatione: *Permutatione*; & *Venditione.* (*b*)

Primo, & ante omnia debuiſſet Adverſarius, ſi inter Juris peritos locum mercari cupivit, docere, quod Reginis Hungariæ competat poteſtas, uſu ſtabilita, præſentandi inſtituendum ad Epiſcopalis Eccleſiæ Veſzprimienſis Beneficium vacans; hoc eſt, quod Reginæ Hungariæ habeant jus quempiam præſentandi Romano Pontifici pro Epiſcopatu Veſzprimienſi. At, at *conſtat*, inquit noſter Jurisconſultus, *Reginas Hungariæ - - jus patronatus - - in Eccleſiam Veſzprimienſem habere.* Unde conſtat? ubi hoc jus ſcriptum eſt? quis id perhibet? cujus ævi Scriptor? quo loco Operum? ubi documentum? Teſtes, non verba poſco. Quid opus eſt teſtibus, ſi adſit exemplum? Quod illud? Agnes Conjux Andreæ III. ita argumentatur Crito noſter, fatetur ſe Eccleſiæ Veſzprimienſis ſpecialem Patronam eſſe. Siccine? Agnes eſt ſpecialis Patrona, ergo jure Patronatus gaudet? Apud Logicos claudicat hæc conſequutio. Omnes enim Benefactores ſunt Patroni; ſed non omnibus Benefactoribus jus Patronatus competit: illorum duntaxat ex lege Eccleſiaſtica hoc eſt, qui Eccleſias aut erexerunt, aut nondum dotatas dotaverunt. Hæc eſt Juris Patronatus definitio. Dotavitne iſto ſenſu Agnes Veſzprimienſem Eccleſiam? quando? ubi, & quæ illa Dos eſt? Et nunquid audebit Noſter dicere, a S. Stephano Eccleſiam Veſzprimienſem non fuiſſe ſufficiente dote proviſam? Næ! miras ideas habuit tum Hypercriticus Noſter, cum iſta in chartas conjecit.

(*a*) Trident. Seſſ. XIV. de Reform. Cap. XII. cui conſonat apud Gloſſ. in Cap. *Piæ mentis* XXVI. qu. VII. ſequens verſiculus: *Patronum faciunt Dos, Ædificatio, Fundus.*

(*b*) C. *Quoniam* de Jur. Patron. Clement. II. eod. C. *Ex inſinuatione* de Jur. Patr. C *ad quos* VI. & C. ult. de Rer. permut. C *cum ſæculum* XIII. Videſis Phæbei Sacræ Juris Prudentiæ Elementorum Lib. I. Tit. XV.

Sed nec jure Succeſſionis, hoc enim ille videtur arguere, Jus Patronatus in Agnetem devolutum eſſe doceri poteſt. Nunquam ſane Reginæ Noſtræ Epiſcopos, imo ne Parochos quidem Veſzprimienſes nominarunt: nunquam Pontifici ad Beneficium vacans præſentarunt: quod tamen nec poterant, nec debebant negligere. Reges Hungariæ hoc jus ſibi eſſe reſervatum voluerunt, & etiamnum exercent. (a) Iſthinc ex ſe ſe in nihilum abit, quod Adverſarius hariolatur, videlicet ea de cauſa *Cancellarii Reginalis* prærogativa, & Reginas coronandi poteſtate Veſzprimienſes Epiſcopos ornatos fuiſſe, quia Reginæ extruxerunt iſthanc Eccleſiam. Non id eruitur e Diplomate Belæ IV. quod noſter profert: verum id ſolum, quod Reginas corona incingant *ex ſingularis privilegii prærogativa*: quæ verba magis generalia ſunt, quam ut absque idoneo teſte, ex illis Veſzprimienſis Eccleſiæ extructio evinci poſſit. Sinamus tamen Reginas Hungariæ aliquando hoc jure Patronatus uſas fuiſſe; numnam propterea etiam Eccleſiam erexerunt? non poteſtne Jus Patronatus alio titulo acquiri? non poteſtne in alios transferri? Et nonne, quod Regina de conſenſu Regis ex Regiis proventibus facit, utique Rex feciſſe cenſetur? (b) adeoque Jus Patronatus Regi ſalvum eſſe debet. Et ſi quis Reges Apoſtolicos certo hoc jure privare nititur, is apud omnes bonos ſeditioſiſſimus habeatur oportet. Hoc Legum peritis ex legibus Eccleſiaſticis ſufficiet; quas ſane nemo ſine periculo contrectaverit, qui his Sacris initiatus haud fuerit. Ego vero ſpero fore, ut Cl. Pray, qui me (c) e Juris Canonici ſchola exterminavit, poſthac Studioſum eſſe patiatur.

Ultro progreditur Adverſarius, & qui antea firmus ſibi ipſi ſtare videbatur, jam titubare incipit. Prius ſemper pro Giſela depugnabat, modo ait: *Eccleſiam Veſzprimienſem ab aliqua ex Hungariæ Reginis fuiſſe conditam* Et iterum: *a quacunque demum Reginarum condita fuerit.* Verum eſt, etiam hoc loco in Giſe-

(a) Et quid, ſi in principio Jus Electionis Canonicæ in Eccleſia Veſzprimienſi viguit? quod non pauci tuentur. Sed hæc nolo pertractare.

(b) Id ipſemet Noſter fatetur in ſua Diſſ. de S. Ladis. pag. 94. in Not.

(c) Diatr. pag. 165.

Giſelæ partes inclinat, ſumpto argumento ex lapide Sepulchrali, quem ego poſtea in examen vocabo, & ex Chartuitio; ita enim ſcribit: *Inſtar omnium Chartuitius, illis temporibus vicinus de Giſela ſcribens*: præ cunctis tamen, verba iſtius ſunt, Domus Epiſcopatus Veſzprimienſis, quam ipſa a fundamento cæptam, omnibus ſufficientiis ad ſervitium Dei in auro, & argento, veſtimentisque multiplicibus nobiliter adornavit. (*a*) Vereor ego, ne hic aliquid non bonæ fidei non lateat. Variantes certe lectiones reperio. Chartuitius in Vita S. Stephani ad primam editionem Surianam recognita, & emendata, inter Scriptores Rerum Hungaricarum ſtudio Cl. Schvandneri edita, iſta hoc tenore verborum conſignavit: *Eccleſia Veſzprimienſis, quam illa* (Giſela) *a fundamentis conſtructam, rebus omnibus, quæ ad Dei miniſterium ſufficiant, in auro, argento, multigenisque veſtibus præclare ornavit.* (*b*) Eadem plane verborum forma illa lego in Actis Sanctorum Hungariæ. (*c*) Quis non videt plurimum differre binas has lectiones ab ea, quam Cl. Pray ad nos tranſmittit? Ex mea nedum non apparet, Eccleſiam Veſzprimienſem a Giſela fuiſſe ædificatam, quin potius, ab alio aliquo extructam, luce meridiana clarius patet, & a Giſela ſolum aurea, & argentea ſuppellectili, veſtibusque pretioſis ornatam eſſe. Chartuitius enim ait, Eccleſiam Veſzprimienſem *a fundamentis conſtructam*, Giſela *rebus omnibus ornavit.* Conſtructam igitur ab alio, Giſela ornavit. Neque enim dicit Chartuitius: *quam Giſela a ſe conſtructam ornavit*; quod tamen, ſi id opus eſſe Giſelæ putaſſet Scriptor accuratus, non erat omiſſurus. Id quia non fecit, ſi verba, ut ſunt, & ſine detorſione ſumantur, ſane manifeſtum evadit, illum ſignificare hoc ſolum voluiſſe, quod Giſela Eccleſiæ Veſzprimienſis jam ædificatæ, ſpecialis Benefactrix fuerit, illamque ſacra ſupellectili locupletaverit.

Non me autem latet, Vitam S. Stephani a Chartuitio conſcriptam, olim inter Sanctos Auguſti Menſis, Tomo IV. ſtylo

(*a*) Diatr. pag. 18 habet: *In Vita S. Stephani R. Cap. II.* Editio Schvandneriana non eſt in Capita diribita. Acta vero SS. Hungariæ id Cap. III. referunt.
(*b*) Chart. edit. Schvandtn. Tom. I. pag. 418.
(*c*) Acta SS. Hung. Menſis Auguſti pag. 199.

Authores mutato a Laurentio Surio editam fuiſſe; ex qua fortaſſe Adverſarius poſt Stiltingum ſuam lectionem ſumſit. Sed ſi recto tramite, illæſa fide, procedere, ſi ſincere, atque ingenue diſputare, & non per anfractus deſultoriis argutationibus divagari vult; cur non dignatur Editionibus recognitis, & emendatis, nam ſecundas curas, ajebat Philoſophus, ſemper prudentiores exiſtere, in rem ſuam uti? An exiſtimat nos tam imperitos eſſe, ut molitiones ejus primo obtutu non animadvertamus? Ex his ſatis, ut opinor, liquet, Eccleſiam Veſzprimienſem non fuiſſe a Giſela ædificatam, verum locupletatam ſolum: prudentem ab adverſo conjecturam eorum eſſe, qui credunt id operis Geyſæ tribui oportere.

Tabulæ Fundationis Abbatiæ S. Montis Pannoniæ ſatis indicant, Veſzprimienſem Eccleſiam ante S. Stephanum ſtetiſſe.

Quid porro? acerrime me Crito noſter arguit, quod ſtatuam ex Literis S. Stephani, fundatæ ab ſe Abbatiæ Sacri Montis Pannoniæ, Anno MI. elargitis, ſatis videri, Veſzprimienſem Eccleſiam ante tempora Sancti hujus Regis ſtetiſſe, eo, quod erectos Epiſcopatus Hungaricos Roma Anno M. probaverit; vix autem credibile ſit, unius anni ſpatio magnificam Baſilicam erigi potuiſſe, Epiſcopatumque ſtabiliri. Hæc poſtquam ille deriſit, prorſus mira argutatione elevare nititur. Sic vero habet: *Templum Veſzprimienſe intra unius anni curſum exſurrexiſſe vix eſt credibile, igitur neceſſario* (hæc vocula: *neceſſario*, impertinens eſt, ut ſupra oſtendi) *Templum a Geyſa exſtructum eſt.* Ita ſane; ſed objicit: *Cur a Geyſa, & non a Stephano, qui jam Anno CMXCVII. regnare cæpit? non poteſt quatuor annorum intervallo regiis ſumptibus Eccleſia conſtrui?* Imo vero poteſt: ſed, oro, ubi ſunt illi quatuor anni, quos ſui immemor Noſter memorat? Etſi in confeſſo eſt, S. Stephanum Regni gubernacula Anno CMXCVII. tenere cæpiſſe, attamen neque id inficiari poſſumus, quod ab adita Regni poſſeſſione, Sancto Regi pacato haud diu eſſe licuerit. Nam CMXCVIII. Anno, oborta inter Hungaros, & Germanos ſeditio Rempublicam fere perditum ibat. (a) Hac ſopita, eodem adhuc anno bel-

(a) In Literis Fundationis Abbatiæ Sacri Montis Pannoniæ S. Stephanus hi verbis utitur: *Ingruente nempe bellorum tempeſtate, quæ inter Theutonicos, & Hungaros ſeditio maxima excreverat.*

bellum adverſus exteros, &, ut ex Dithmari verbis (a) conjicio, adverſus Boleslaum Bohemiæ Ducem collimitii cauſa geſtum erat. Ex Bohemis relata per S. Stephanum victoria, mox conſequente Anno CMXCIX. grave bellum S. Regi ab domeſticis conflatum eſt, horum caput Cupam Simegienſis Provinciæ Præfectum fuiſſe, noſtri Scriptores perhibent. Is Veſzprimium Urbem, ſuæ ditioni proximam, obſidione circumdederat, & demum occuparat. S. Stephanus comparato exercitu, cui Vencelinum præfecit, in Cupam movet, collatisque ſignis poſt diutinam, & acrem pugnam refractarios ſubigit: Cupa in acie cæditur. (b) Poſt profligatos hoſtes, res ſacras incredibili zelo complecti cæpit S. Stephanus. Ubi, inquam, ſunt quatuor illi anni, quibus Eccleſia Veſzprimienſis exſtrui poterat? Anno CMXCVIII. cum domeſticis, & exteris S. Rex belligerabat: anno mox inſequente cum Cupa potente Comite Simegienſi pone Veſzprimium negotium habuit, armis, & multorum ſanguine diremptum. (c) Quæ res arduæ dubio procul S. Regem ita diſtractum tenebant, ut quamvis optime animatus eſſet, res ſacras curare, Epiſcopatus erigere, Templa exſtruere, & cumprimis Veſzprimii in tanta Simegienſis Comitis vicinia profecto nequiverit: amplæ id modi res quietius tempus depoſcunt.

Annus M. ille felix erat, quo pax in Hungaria, quiesque haberi cæpit, tuta erant omnia. Anno iſto cæpit S. Stephanus de Religione Chriſtiana in tuto collocanda cogitare. Anno iſto Regnum omne in certas portiones diſcriminare, erigere Sacerdotia, Paſtores eligere, Templa, & Monaſteria ſtruere inchoavit. (d) Anno iſto Aſtricum Legatum Romam deſtinat, & mittit, qui Regnum, gentemque univerſam protectioni Summi in Orbe Antiſtitis commendaret, peteretque, quæ S. Stephanus apud animum ſuum de Epiſcopatibus deſtinarat, judicio Romano con-

(a) Dithmar. Lib. VIII.

(b) Thurotz. Chron. Cap. XXVIII. Bonfin. Dec. II. Lib. I.

(c) Nec dubito Cupam cum exercitu ſuo, Æthnicæ ſuperſtitioni addicto, Epiſcoparui Veſzprimienſi ingentia damna intuliſſe, quæ deinde S. Rex ſarſit. Hinc in Diſſer. mea ſcripſeram: *Tametſi primus non fundaverit, fundavit tamen, ſi prima illa in ruinam acta, priſtino rurſum flori reſtituit.*

(d) Id etiam Cl. Pray agnoſcit Annal. Par. I. pag. 6.

firmari. Adhucne mire argutari Critoni noſtro videbor, quod ſcripſerim, vix eſſe credibile, ut unius anni ſpatio tam ſuperba Baſilica, qualis Veſzprimienſis erat, exurgere potuerit? adhucne audebit oggerere, Veſzprimienſe Templum ab S. Stephano primis quatuor regiminis ſui annis ædificatum eſſe? Adhucne audebit Annalium Compilator iſthæc in dubium vocare? Adhucne (a) dicet: *An ex poſito Templo, rite Epiſcopatus, & viciſſim ex hoc Templum Cathedrale infertur?* Id ego quidem ne per ſomnium ſenſi. Fruſtra igitur a ſcopo devius per duas paginas jactat. (b) Quinque Eccleſienſem, & Jaurinenſem Epiſcopatus, horumque Templa.

Adverſarii argumentum convellitur.

Proſequitur ſua Adverſarius, & ut exiſtimat, rem evictam nobis dat: *Audiamus*, inquit, ſi *libet S. Stephanum Regem - - Is in Literis fundatæ ab ſe Abbatiæ Sacri Montis Pannoniæ ita loquitur: Dumque poſt cogitatum victoria potirer, quod omnino volueram, operis efficacia complere ſtudui; necdum enim Epiſcopatus, & Abbatiæ, præter ipſum locum, in Regno Hungariæ ſitæ erant.* (c) Hoc, ejus fortiſſimum argumentum. O Achillæum! Chryſippe, Stagyrita adeſte, expedite ex his laqueis. Aſt quæro: quorſum referuntur voces illæ: *Præter ipſum locum.* Adverſarius, ne ſuum ipſe jugulum petat, ſine ambagibus dicet, eas referri debere ad Abbatiam. Si vero hujus criticam rationem poſcam; neſcio ſane quorſumnam ſit delapſurus? fortaſſe hærebit aqua. Videamus, quid de hoc ſtatuendum. In iliis Literis S. Rex meminit voti, quo ſe obſtrinxit, videlicet, quod ſi de hoſtibus victoriam retulerit, Decimas in Provincia Simegienſi ad rationem Veſzprimienſis Epiſcopi deſtinatas, Abbatiæ Sacri Montis Pannoniæ addicere velit. De his agens ſic loquitur: *Ne Parochiano Epiſcopo pertinere videretur, ſed magis Abbati ejusdem Monaſterii, ſub teſtimonio præfatorum Ducum, multorumque Comitum absque ulla mora ſubjugarem, dumque poſt cogitatum, - -* ut ſupra, & illico ſubjungit: *Quod ſi licuit mihi, quo volui loco Epiſcopatus, & Abbatias ſtatuere, an non licuit, cuipiam loco, quod*

(a) Diatr. pag. 19.
(b) Diatr. pag. 20. & 21.
(c) Diatr. pag. 22.

quod volui, ut facerem? Deinde mox declarat, ne ex ablatione illarum Decimarum Ecclesia S. Michaelis, aut Episcopus Vesprimiensis damnum sentiant, a se illi in compensationem alios redditus attribui. Hæc si modo rite expendantur, satis clara apparent esse ad affirmandum voces illas: *Præter ipsum locum*, ad Episcopatum referri debere, ut sensus sit: *Necdum Episcopatus, & Abbatiæ, præter ipsum locum, hoc est: præter Episcopatum Vesprimiensem, a quo Decimas Simegienses aufero, in Regno Hungarico fuerant.* Id ipse nexus Literarum indicat; cur enim a iis S. Rex immediate subjecisset: Licuit mihi Episcopatus condere, cur non liceat partem reddituum avellere, si damnum emergens alio pacto sarciam? Certe, quidquid post verba: *præter ipsum locum*, dixit, quod ad *meritum*, ut dicimus, spectat, id omne ad Episcopatum Vesprimiensem refertur. (*a*) Deinde, suspicor, Literas, de quibus nobis est sermo, Vesprimii scriptas esse, ut quo loco Cupam cum refractariis cecidit, eodem concepta pia vota expleret. Quod si ita, ut verisimilius est, paullo manifestius evadit, per verba: *præter ipsum locum*, Vesprimiensem Episcopatum intelligi: atque Literis illis Cl. Pray narrationem nedum non confirmari, quin potius sententiam nostram apprime roborari. (*b*)

Re-

(*a*) Nolim, quis mihi oggerat, memoratas Literas Anno MI. Abbatiæ Sacri Montis Pannoniæ collatas esse, Episcopatus vero Hungaricos jam Anno M. per Sylvestrum II PP. confirmatos fuisse, atque ideo consectaneum esse, voces illas: *præter ipsum locum*, non posse ad Episcopatum pertinere, cum falsum sit Anno MI. nullum præter Vesprimiensem fuisse in Hungaria Episcopatum. Istud tamen non recte opponeretur. Nam etsi Literæ illæ Anno MI. confectæ sint, attamen S. Stephanus loquitur ibidem de tempore ab se concepti voti, hoc est de Anno CMXCIX. quo certum est, præter Vesprimiensem, ut ego reor, nullum alium in Hungaria fuisse Episcopatum. De Sirmiensi, & Nittriensi alias videro. Unde etiam apparet, quam vehementer hiet locus ille apud Cl. Pray in Spec. Hier. Eccl. ubi Episcopatum Vesprimiensem eodem cum Quinque Ecclesiensi tempore, hoc est Anno MIX. fundatum fuisse affirmat: magis, quod Diploma S. Stephani, quo hunc Episcopatum insigni auctario ditat, Tabulas Fundationis nominet. Quod si verum est, dicere oportebit, Literas Sacri Montis Pannoniæ Abbatiæ elargitas omnino commentitias esse, quod tamen prorsus temerarium esset, in his enim Literis Parochianus Episcopus dilerte nominatur, qui non poterat esse a Vesprimiensi alius, ut ipsa verborum constructio non obscure indicat.

(*b*) Vid. de his plura in meo *Libello Castigato*; quem MDCCLXXIX. edidi, ubi Sycophantam Anonymum, Diplomatis S. Stephani, Monachis S. montis Pannoniæ concessi authentiam sophistice impugnantem refello, & pro merito castigo.

Reſtat, ut argumenti hujus humaniſſimum Epilogum ex Diatriba recitem, *Audin*, inquit Archicrito noſter, *ante victoriam ex Cupa Simegienſi, poſt Geyſæ obitum relatam, necdum Epiſcopatus in Regno Hungarico erant; igitur nec Veſzprimienſis fuit?* Audio, ſed & video, ejus Gigantem jam ſe flectere: atque una vehementiſſime admiror, Virum, quem ætas, inſtitutum, doctrina, conditio gravem eſſe jubent, audere, quod niſi τοῦγέιας κεφαλῆς ἀπόγονοι. auderet, prorſus incompoſito calamo hæc talia de me leviter ſcribere: *Niſi forte Cl. Author neget Veſzprimium in Regno Hungarico, aut Cupam ante obitum Geyſæ profligatum fuiſſe affirmet, aut, quod denique tertium reſtat, Epiſcopatum a defuncto Geiſa conditum eſſe, tueri velit.* Quam hoc ſcitum, & elegans eſt! Digna ſcilicet tam egregio, & ultra ſe abrepto Doctore ratiocinatio. Eruditum ego hic Lectorem arbitrari lubens, & libens ſuſtineo.

S. Stephani Anni MIX. Diplomate non fundatur, ſed ſolum dotatur Eccleſia Veſzprimienſis.

Denique Adverſarius noſter, æſtu, an frigore nimium agitatus? in me inſilit, *(a)* quod Diploma Belæ IV. Regis Anno MCCLVII. elargitum, quo ad preces Pauli Epiſcopi Veſzprimienſis Privilegium S. Stephani Regis de Anno MIX. confirmat, nolim Tabulas *Fundationis*, ſed ſolum *Dotationis* nominare: & prius quam vel leviſſimæ ſuſpicionis umbram ſuæ in obverſum opinationi obtendiſſet, inclamat, me *ex ſeveri ſupercilii Critico repente Orbilium* factum eſſe. *(b)* Eleganter! ſed ſi ad rem loqueretur. Fruſtra enim, & leviter ſibi perſvadet, a me defendi: *Neminem dici poſſe Fundatorem, niſi in Donationis Literis exerta fiat mentio Fundationis.* Talia ne tum quidem, cum ſomnus me capit, tueri ſoleo. Unde rurſum optima fides Critonis

---

(*a*) Diatr. pag. 23.

(*b*) Scio Orbilium Beneventanum, qui Romæ profitebatur Ciceronis tempore, ætatem ad annos centum adduxiſſe, & in extrema ſenectute memoria excidiſſe. Unde Bibaculus: *Orbili! ubinam eſt Literarum oblivio?* Quam phraſim qua ratione hoc loco Noſter in me uſurpet? non video. Certe, ita appoſite huc eſt collocata, ut pugnus ad oculum. Suadeo ego bono Viro, ut poſthac ejusmodi phraſibus cautius utatur; ne dum Eruditionis famam quærit, Eruditis riſum excutiat, ſibi nomen minuat. Niſi forte male condito hoc verborum luſu, indicare voluerit, Orbilium in Diſcipulos, me in ſe plagoſum eſſe. Si ita? ut nihil ultra meritum, ita libenter ſum, dummodo emendare poſſim.

nis noſtri elucet. Illud duntaxat ego ſcripſi, quod ipſe contextus Literarum, *in quibus nihil prorſus de Fundatione memoratur, quin potius ſupponitur, jam antea Epiſcopatus iſte fundatus fuiſſe*, clare indicet, illas haud poſſe dici Tabulas *Fundationis*. Verumne hoc? quam quod veriſſimum. Verba, & nexus Literarum, quas in Diſſertatione mea integras dedi, videantur: illius refellent, mea confirmabunt. In illis S. Stephanus his verborum formulis utitur, *Ut animi culmen - - Eccleſiarum poſtulationibus acclinemus - - Veſzprim, in qua ipſius Epiſcopatus ſedes eſt conſtructa, - - quam Stephanus Sanctiſſimus regit Epiſcopus - - nec non præfato Stephano Epiſcopo, cujus ipſa eſt regimini commiſſa.* Ex his injuriane infertur, Literas S. Stephani non eſſe *Fundationis*, ſed ſolum *Dotationis*? injuriane infertur, quod, dum iſtæ Literæ, hoc eſt, Anno MIX. confectæ ſunt, jam erectus erat Epiſcopatus, & Templum Veſzprimienſe? Jure ſane. Non dicit S. Stephanus: *Cui Stephanum præficio Epiſcopum*; verum: *quam Stephanus regit Epiſcopus*. Non dicit: *Veſzprimii, in qua ipſius Epiſcopatus Sedem conſtituemus, vel conſtituimus*: verum: *in qua Epiſcopatus Sedes eſt conſtructa*, neque addit: *per me*. Non ſunt igitur hæ Tabulæ Fundationis. Solum poſſeſſiones quasdam S. Stephanus Eccleſiæ, & Templo Veſzprimienſi donat: quod poſtea etiam S. Ladislaus, aliique fecerunt, quin propterea Fundatores audiant. (a)

Non eſt autem, cur Adverſarius Literas Epiſcopatui Quinque-Eccleſienſi, Abbatiæ de Beel, & Monaſterii S. Benedicti juxta Granum datas, in ſubſidium ſuæ ſententiæ advocet. Qui has cum illis contendere voluerit; animadvertet, per illas conjecturam meam, potius mirum in modum roborari, quod vel minimum labefactari. In Literis Fundationis Epiſcopatus Quinque-Eccleſienſis, S. Stephanus hujus modi verbis utitur: - - - *Electionem Epiſcopatus, qui vocabitur Quinque-Eccleſienſis, ſtatuimus in honorem Dei.* (b) In Abbatiæ de Bakon-Beel

(a) An Geyſa, qualemve dotem Epiſcopatui Veſzprimienſi tribuerit? nihil certi poſſum ſtatuere; ob id tamen nequit illi negari gloria conditi Epiſcopatus. Alterum ex Lege Eccleſiaſtica patet, alterum iniquitas temporum nobis eripuit.

(b) Fragmentum Literarum hujus Fundationis edidit Inchoffer. Annal. pag. 290.

(a) Tabulis Fundationis ita loquitur: *In illo loco, qui Beel dicitur in ſylva Bakon - - Monaſterium incæpi conſtruere, quod & per Dei adjutorium conſummavi, Regiis quoque munificentiis, ſicut potui, ditavi,* (b) Tabulæ Monaſterii S. Benedicti juxta Granum non abſimili tenore exaratæ ſunt. Satine hæc clara? Audin: *Electionem Epiſcopatus, qui vocabitur Quinque-Eccleſienſis, ſtatuimus - - - Beel Monaſterium incæpi conſtruere, quod - - conſummavi - - ditavi.* Has Literas eſſe Fundationis Tabulas nemo, niſi vecors ſit, negaverit. Ubi autem ſimile quidpiam in Literis ab eodem S. Rege Veſzprimienſibus elargitis? Viden' non ego ad Tabulas Fundationis, quod mihi ſumma injuria appingitur, requiro, ut iis hæc vocula: *Fundatio*, inferatur, rem ipſam, ſenſum conſtructionis verborum, ac nexum narrationis in examen voco. Unde non aſſequor, qua confidentia Noſter has cum illis contendere nihil penſi ducat, & propter ea inſuper in me incurrit, & inclamat: *Quam hoc ſcitum, ac eruditum eſt?* Iterum: *Cui jam credemus? Cl. Ganotzy, an Divo Stephano?* Si hic oggerendi modus Virum doctum, & vel mediocriter politum decet; vapulem ego.

Adverſarii enormes aberrationes.

Nondum finis: tanquam ex tripode porro pronuntiat: Epiſcopatus Veſzprimienſis ſua incunabula *Cui* debet, *niſi S. Stephano? qui eundem inſigniter dotavit, ac, quod hinc efficitur, fundavit.* (c) Siccine? dotavit, ergo fundavit. Rideo! nam noſter celeberrimus Jurisconſultus rurſum Canonicas Sanctiones improſpero eventu contrectat. Quam quisque norit artem, in hac ſe exerceat. Alias ex Phæbei Jurisprudentiæ Elementorum Libro, quem ut noſter Legulejus adeat, opto, monui: Jus Patronatus in aliqua Eccleſia non aliter acquiri, quam ipſam fundando, conſtruendo, aut jam conſtructam, ſed nondum ſatis dotatam, ex ſuis bonis dotando. *Patronum faciunt: Dos, ædificatio, Fundus.* En! clare diſtinguunt Leges Fundum a Dote: & revera Fundare, Ædificare, Dotare diverſiſſima ſunt. Ut quid ergo neceſſum

---

(a) Si de hac eſt quæſtio, quam quidem S. Stephanus Anno MXXXVII fundavit, non vero circa Annum MXXX. ut habet Synod. Pazman. pag. 102.

(b) Iſtas manu S. Stephani ſignatas vulgavit Péterfi Conc. Hung. Par. I. pag. 5.

(c) Diatr. pag. 25.

ſum erat tanta verborum pompa vociferari: *S. Stephanus dotavit, &, quod hinc efficitur, fundavit.* Jurisperiti paullo meliores conſequutiones faciunt. Et nonne palam eſt, hanc ipſam Eccleſiam Veſzprimienſem, ut de multis aliis taceam, etiam ab S. Ladislao inſigni nova dote cumulatam fuiſſe? *ergo quod hinc efficitur, etiam fundatam.* Habemus jam, ſi Critoni noſtro credimus, & ſi quæ ejus argumento vis ineſt, tres Eccleſiæ Veſzprimienſis Fundatores, videlicet Geyſam, Divos Stephanum, & Ladislaum: nec operæ foret, plures invenire. At de his nihil plus, non enim cum Juriſconſulto mihi res eſt.

Redeo, unde digreſſus eram, quo magis pateat, Scriptorum, quos recenſui, de inſtituto ante tempora S. Stephani Regis Veſzprimienſi Epiſcopatu, conjecturam, nedum vacuam non eſſe, quin potius prorſus veriſimilem. S. Piligrinus Laureacenſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopus ſub Annum CMLXXVII. ad Benedictum VII. PP. dederat Literas, in quibus cætera inter hæc habet: *Quondam Romanorum, Gepidarumque tempore proprios VII. Antiſtites eadem Orientalis Pannonia habuit, & Mœſia meæ Sanctæ Laureacenſi, cui ego indignus miniſtro, Eccleſiæ ſubjectos, quorum etiam quatuor, usque dum Ungari Regnum Bavariorum invaſerunt, ſicut præſenti cognitum eſt ætati, in Moravia manſerunt.* (a) Ex his elucet, in Moravia quatuor Epiſcopatus olim ſuſcitatos, perduraſſe usque ad tempus illud, quo Hungari Bojoariam deprædati ſunt. Bojoariam vero Anno CM. vaſtatam eſſe, locuples teſtis eſt Scriptor Annalium Fuldenſium. (b) Sic autem habet: *Avari, qui dicuntur Ungari, tota devaſtata Italia - - ex improviſo cum manu valida, maximo exercitu, ultra Aneſum fluvium, Regnum Bojovaricum hoſtiliter invaſerunt, ita, ut per quinquaginta milliaria in longum, & in tranſverſum igne, & gladio cuncta cædendo, & devaſtando jam una die proſtraverint.* Tum reverſi in Pannoniam, Moraviæ Magnæ terras, quæ in eadem Pannonia ſitæ erant, infeſtaverunt, & occupaverunt. Nam Continuator Annalium Fuldenſium, Hermannus Contractus

(a) Vid. hanc Epiſtolam Conc. Tom. VI. edit. Harduin. Tom. IX. edition. Labb.
(b) Annal. Fuldens. ad h. a. Analect. Vindob. Tom. I.

ctus (a) ſcribit: *Ungarii hoſtes novi - - Pannonia depopulata occupant.* Nempe: veriſimillimum eſt, Moymirum Moraviæ Ducem, cum videret, vaſtata Bojoaria, atque ſub tributum redacta, univerſas Hungarorum vires in ſe unum converti, exercitum ſuum ad tutiora loca reduxiſſe, relicta in prædam hoſtium furori Pannonia ſua, ultra Danubium porrecta: atque hac occaſione victores Hungari, quatuor illos Moraviæ veteres Epiſcopatus, qui ex ſeptem reliqui erant, ac quorum S. Piligrinus meminerat, everterunt.

Jam vero, certum eſt, Svatoplugum Regem tractum illum, qui a Danubio verſus Dravum extenditur, poſſediſſe. Certum eſt, ea ætate hunc tractum nomine Moraviæ, quam Porphyrogenita *Magnam* appellat, (b) veniſſe. Certum eſt, in iſta plaga Veſzprimium extitiſſe. Certum eſt, in eadem plaga quatuor Epiſcopatus usque ad hæc tempora perduraſſe. Unde conſequitur, a tempore Romanorum, & Gepidarum, hoc eſt: circiter a ſæculi IV. exitu (c) usque ad ſæculi X. principium, atque ideo etiam ætate Svatoplugi quatuor illos Epiſcopatus ſtetiſſe. Mortuus eſt autem Svatoplugus Anno DCCCXCIV. ut nos docent vetuſtiſſimi Annales, & Scriptores. (d) Tametſi autem non ſit plane expeditum, neque disquirere vacet, ubinam locorum erecti, quove nomine quatuor hi Epiſcopatus vocitati fuerint; prudens nihilominus, ut ex iis, quæ hucusque retuli, nullo negotio videtur, memoratorum Scriptorum conjectura eſt, Unum eorum, uti & Regiam Svatoplugi Veſzprimii fuiſſe; quod jam tum nobilis Urbs fuerit. Certe, nullum eſt dubium, Veſzprimium Svatoplugo paruiſſe. Quod, ſi quis perfricta fronte negare auſit; ſecurum illum eſſe jubeo, quod nunquam ſit futurus potis, quatuor illa loca, ubi Epiſcopales Sedes conſtructæ erant, atque usque ad everſionem Moravici Regni permanſerant, nominandi: quod tamen qui hujusmodi conjecturas duro ſupercilio explodit, ac Criticen ad ſum-

(a) Herm. Contr. ap. Canis. ad h. a.
(b) Conſtan. Porphyr. de admin. imper.
(c) V. Diſſ. meæ pag. 34.
(d) Añal. Francofuld. ap. Cl. Kollar Tom. I, Regin ad. h. a. Añ. Metens. ad h. a.

ſummum apicem ab ſe adductam eſſe, ſibi perſvadet, præſtare omnino neceſſe habet (*a*)

Verum igitur eſt: non omnes Eruditos Veſzprimienſem Epiſcopatum S. Stephano Regi deberi, confeſtim agnoſcere. Verum eſt: Complures Scriptores tradere, Regiam Svatoplugi Moraviæ Regis olim Veſzprimii fuiſſe. Verum eſt: prudentem conjecturam eſſe, Epiſcopatum Veſzprimienſem, & Templum, everſa, a Geyſa Duce, Patre S. Stephani, erecta fuiſſe. Verum eſt: Literas, de quibus egimus, non eſſe Tabulas Fundationis, ſed Dotationis. Atque iſta ſolum ego in Diſſertatione mea de S. Ladislao Rege aſſero, tueorque. Gerras porro, ad Doctos de trivio relegandas, quibus Noſter pene Mimice Cupam Simegienſem Comitem, Veſzprimienſis Epiſcopatus Conditorem facit, quibusque officioſiſſimam ſuam orationem coronat, memorare, ut indignum eſt, ita me pudet, pigetque. (*b*) Cæterum: Jovis epulum a celeberrimo Anticritico noſtro jure expectabamus, ſed Hecales cænam nobis appoſuit: Aſt alius jam forte miſſus lautior: videamus.

§. III.

In Epiſcopatu Nittrienſi Cl. Adverſario nimium prolixus fuiſſe videor; eo, quod meam de illo narrationem a ſæculo IV. exordiar, quam a ſæculo XI. ut ejus guſtulus eſt, inchoare debuiſſem. *Fuiſſe enim olim Nittriæ Epiſcopum*, ſunt ejus verba, *& hunc ob crebras Barbarorum incurſiones obſoleviſſe, etiam Doctorum de trivio vulgus novit.* (*c*) Præcox in re ancipiti criſis! Siccine? novit vulgus? ſed novitne etiam, quis primus, & quo tempore Nittrienſem Epiſcopatum

Item circa Epiſcopatum Nittrienſem ſupervacuæ criſes.

(*a*) Ego exiſtimo in ditione Svatoplugi inter quatuor illos Epiſcopatus præter Veſzprimienſem, etiam Nittrienſem fuiſſe, ut paullo poſt docebo. Dum vero de Moravia, cui Svatoplugus dominabatur, loquor, utramque intelligo, videlicet Cis, & Transdanubianam, licet hic cauſa Veſzprimii de ſola Cisdanubiana loquar.

(*b*) In illis tamen nugis ita ſibi complacuit R. Katona, ut eas pag. 143. & ſequ. velut tripudians recoquere non erubeſcat.

(*c*) Diatr. pag. 26.

condidit? novitne quando is everſus, cujus beneficio reſtauratus? an rurſum everſus? & quomodo reſtitutus ſit? id profecto, ut inter Eruditos controverſum, ita haud usque adeo planum eſt, ut neminem lateat: imo auſim affirmare, cum Doctorum de trivio vulgo idipſum & mihi, & Cl. Pray non prorſus exploratum eſt; multa enim, ut poſt brevi oſtendam, quæ ille in hanc rem affert, enormiter hiant, & cenſoream virgulam merentur. (a) Etſi vero hic paullum, quam in aliis Epiſcopatibus prolixior ſum, nec tamen tam prolixus, ut ipſe ille, querelas promens. Nam ego Argumentum iſthoc, orſus ſim licet a ſæculo IV. univerſe paginis XXII. complector: ille ab ſæculo XI. initum ducit, nihilominus per paginas XLV. diffundit usque ad

---

(a) Nihil mirum, quod Cl. Pray, aut quisquis alius in initiis, & progreſſu Epiſcopatus Nittrienſis exerret: ipſa multorum ſæculorum ætas id excuſat. Sed quod Crito noſter in rebus præſentibus, nobisque fere contemporaneis tam aperte hallucinetur, quis ferat? Erubeſco ſane enormes errores, adeoque inſignem ejus oſcitantiam commemorare, oportet tamen, tum ut palam admiſſi, palam corrigantur, & ſecutura ætas adverſus ejus hallucinationes præmuniatur, tum ut orbi Literato clare pateat, non omnibus violenti hujus Oraculi effatis fidem habendam eſſe, quæ profecto perſæpe vacillat. Nolo autem hoc loco de aliis, quæ innumera ſunt, ejus ſpiſſioribus ſphalmatibus agere, ſed cum de Nittrienſi Epiſcopatu hic ſermo ſit, ea ſolum recenſebo, quæ circa hunc in poſtrema ætate, ultra quam peritum Scriptorem deceat, palpabili ſomnolentia errat. Itaque Specim. Hier. Hung. Par. I. pag. 362. in Not. 6. dubitat, an Cathedralis Eccleſia Nittrienſis in honorem S. Emmerami Epiſc. erecta ſit, & addit: *Etſi cæteroquin Patroni Templi ſint SS. Andreas Zoërardus, & Benedictus.* At nullum de eo dubium eſt, nam S. Emmeramus ejusdem Eccleſiæ Patronus ſemper fuit, & eſt. Andreas Zoërardus vero, & Benedictus nunquam erant, neque ſunt illius Eccleſiæ Titulares Patroni, ſed Diæceſis; quod etiam ipſa plebecula novit. In Catalogo Epiſcoporum Nittrienſium etiam, multimodis impingit. Sic pag. 374. exmiſit Jacobum Hasko, ex Præpoſito Vág-Ujhelyienſi a morte Petri Korompay ad Epiſcopatum promotum, qui non expleto anno, dimiſſo Epiſcopatu, ad ſuam Præpoſituram rediit. Succeſſorem nactus eſt Blaſium Jaklin, Regni Cancellarium. Igitur ejus Catalogi hiatus corrigendus eſt, & inter Petrum Korompay, & Ladislaum Matyaſovſzky ponendi Jacobns Hasko, & Blaſius Jaklin. Pag. 375. ex uno Epiſcopo Erdödy fecit duos. Adamum ponit Anno MDCCVII. Epiſcopatum conſequutum, Ladislaum vero Anno MDCCXX. At unus idemque is erat, qui in Baptiſmate Ladislai Adami nomen ſortitus eſt, & Nittrienſibus ab Anno MDCCVII. ad MDCCXXXVI. præfuit, ac die XII. Maji Nittriæ obiit. Huic, Carolus VI. Imperator die VII. Martii. MDCCXXXVII. Succeſſorem nominavit Com. Joannem Erneſtum ab Harrach, ſuum Romæ Oratorem. Obiit Romæ ex variolis die XVII. Decembris MDCCXXXIX. ætatis annorum XXXV. Hunc Catalogo Prayano reddimus. Eritne jam quispiam adeo temulentus, ut in iis, quæ ad remotiorem ætatem ſpectant, confeſtim fidem tribuat Scriptori, quem in præſentiſſima tam graviter hallucinari videt? Quid fiet, ſi cætera ejus in examen revocavero.

ad tædium orationem, quæ nihilomiuns, ſi ea, quæ ad argumenti rationem haud pertinent, ſecernamus, non difficulter ad tres pagellas redigi poſſet. Id tamen ego illi non ſuccenſeo; aſt illud ægerrime fero, quod quamvis copioſe, & legitime de his diſſeruerim, ille attamen non usquequaque probabilis ſui ſenſus tenaciſſimus, velut mappa miſſa, in convitia currit, tamque implexe rem ſuam perſequitur, ut videri debeat, legentibus de induſtria tenebras offundere voluiſſe, quo neſciant demum, quid credere oporteat.

Utor ego, quod etiam palam pronuntiavi, illius argumento, hoc eſt: armis illius propriis, quæ ad proterendum Adverſarium, ut aptiſſima, ita jucundiſſima eſſe cenſentur. Nempe: aut non totum Regnum ab S. Stephano in Epiſcopatus fuiſſe diſtributum, aut Epiſcopatum Nittrienſem ſerius ex aliis Diæceſibus conflatum fuiſſe: prius nullam veri ſpeciem habet; poſterius non dubiis momentis doceri debet, quod videlicet ſub id tempus Tractus Nittrienſis alteri alicui Epiſcopo ſubjectus fuerit. Ad iſta Noſter confidentiſſime reponit: *Nittrienſem Epiſcopatum ex Strigonienſi Diœceſi -- avulſum fuiſſe.* (a) Cur ita? quia, inquit, ſub Colomanno, *ut Lex XXII. habet, Major ſolum Præpoſitura, & Poſonienſi ſimilis erat.* Male hac argumentandi ratione conſulitur Logicæ; quis enim non perſpicit, quam elumbis ſit, ex hoc Antecedente: *Nittriæ ſub Colomanno ſolum Præpoſitura fuit*, deducta Conſequentia: *Ergo ſub S. Stephano Nittriæ Epiſcopatus non fuit.* Caſco huic argumento in Diſſertatione mea nervos antea ſuccidi. Juvat tamen hic ea, quæ ibi diſſerui, ſuccinctius regerere.

Omitto jam, præcipiente Noſtro, vetuſtatem Epiſcopatus Nittrienſis memorare, (b) quod tamen ad illuſtrandam hanc ipſam Hi-

Ex Colomanni Lege XXII. non ſequitur, ætate S. Stephani non habuiſſe Nittriam Epiſcopum.

(a) Diatr. pag. 27.

(b) Szalagvius poſtquam pag. 255. hæc mea: *Methodii, ac Cyrilli ſub adventum Eccleſiæ Nittrienſi ſuum non defuiſſe Antiſtitem, rationi admodum conſonum eſt*, retuliſſet, incompoſito, ut fere ſolet, calamo hæc ſubjunxit: *Imo vero id rati ni admodum diſſonum eſt.* Quam id erudite, videamus. Ille ipſe eadem pagina adſtruit Epiſcopatum Nittrienſem ab Urolpho inſtitutum, ab Eugenio Papa ſub Annum DCCCXXXVII. con-

Hiſtoriam non parum confert, & ſolum ad tempora Regum Hungariæ me refero. Ex Colomanni Lege XXII. Cl. Author inferre contendit, ævo Divi Stephani Epiſcopalem Sedem Nitriæ haud fuiſſe (a) Péterfius, cui lubens conſenſi, in hanc legem ſcitiſſime animadvertit, (b) tempore Colomanni fuiſſe Nitriæ Præpoſituram, vel potius Vicariatum, idque injuria bellorum, agrum Nittrienſem vaſtantium, quo Epiſcopatum Nittrienſem a S. Stephano ſeu reſtauratum, ſeu fundatum per intervalla aliquot annorum cum dignitate quieviſſe probaretur: interea autem per Vicarios gubernaretur. Id mirum in modum confirmant domeſticorum pariter, & exterorum Scriptorum teſtimonia. Joannes de Thu-

---

confirmatum fuiſſe. Methodium vero, & Cyrillum in Moraviam ante Annum DCCCLVI. adveniſſe Henſchenius Comm. præv. ad vit. SS. Cyrill. & Method. §. IV. affirmat, quod alii ad Annum DCCCLXIII. affigunt. Igitur a tempore inſtituti, & confirmati Epiſcopatus Nittrienſis fluxerunt anni XIX. vel ad ſummum XXVI. Rationi itaque conſonum eſt, exiſtimare, pauculis his annis Epiſcopatum Nittrienſem ſtetiſſe; adeoque ſub adventum Cyrilli, & Methodii non defuiſſe Nitriæ Epiſcopum: ac quod hinc conſequitur, rationi diſſone eos agere, qui id obfirmate inficiantur, niſi irrefragibili argumento evincant, intra modicum hoc tempus Epiſcopatum Nittrienſem erectum, confirmatum, ac ſimul everſum fuiſſe. Pari illiberalitate pag. 258. me perſtringit, quod in Diſſertatione mea legerit: *Methodii, & Cyrilli adventum Bollandus* (Henſchenium dicere debebam, ſed errantem Pagium ſecutus eram) *cum aliis refert ad Annum DLVI.* Hoc utique etroneum eſt, ſed ſi mea liquidis oculis legiſſet, certe errorem in Typographum rejeciſſet. Nam eodem loco univerſa oratio mea de ſæculo nono agit, & eadem ipſa pagina ſæculum nonum quater nomino: proinde reſcribendus eſt Annus DCCCLVI. Epiphonema vero, quod ille his ſubnectit, prorſum leve eſt: *Tam craſſus*, inquit, *anachroniſmus ab aliis imperitis committi potuit, a Bollando, vel Henſchenio non potuit.* Dictio, nihil minus, quam gracilis. Aſt, quid mirum, ſi in me adeo ferox ſit, qui adverſus integram Epiſcoporum Bavariæ coronam ſupercilium attollere audet. Hi ſunt: Theotmarus Juvavienſis Archi-Epiſcopus, Waldo Friſingenſis, Erchenpoldus Euſtatenſis, Zacharias Sæbonenſis, Tuto Ratisbonenſis, Richardus Patavienſis Epiſcopi, quorum, una & univerſi Cleri, populique nomine ad Joannem IX. Papam ſcriptam Epiſtolam poſtquam retuliſſet, demum pag. 273. exquiſita intemperantia virulentum ſtomachum in illos effundit hiſce convitioſis verbis: *Quam ob rem teſtimonium Bavarorum tot mendaciis corruptum nequaquam valere adverſus Ditmarum cognoſcitur.* Hoc equidem plus quam temerarium eſt: & tamen, præprimis in Epiſtola Nuncupatoria, ubivis ſibi, ſuæque Opellæ laudes identidem occentat, tanquam ſi nihil craſſe ſcripſiſſet.

(a) Diſſert. ſuæ de S. Ladisl. pag. 53.

(b) Tribus locis mihi objicit noſter, quod iſtud argumentum ex Péterſio ſumſerim. Atqui id ego ipſe diſertis verbis affirmavi, imo locum etiam, unde ſumſi, citavi. Quid ergo vult trina hac oggeſtione indicare? Non credo, illum eo audaciæ prolapſum eſſe, ut exiſtimet, Péterſium Scriptorem egregium, indignum eſſe, a quo quidpiam argumenti deſumatur.

Thurotz ad Annum MXLVII. affirmat, cum D. Gerardo etiam Beſtertum Epiſcopum nobili Martyrio coronatum fuiſſe. Beſtertum vero Nittrieſem fuiſſe Antiſtitem, Scriptores paſſim teſtantur: igitur ante Colomanni tempora Nittria ſuum habuit Epiſcopum. (a) Timon poſtquam Legis Colomanni meminerat, nimium ſevera criſi ſubdit: *E qua Lege quisquis ſapiens liquido intulerit, non fuiſſe Sedem Epiſcopiam Nittriæ ævo D. Stephani.* (b) Neſcio ſane, cur inſipientes pronuntiet eos, qui in adverſam opinionem abeunt. Deinde ſubnectit: *Dico Præpoſitum eum* (Beſtertum) *fuiſſe, non autem Epiſcopum.* De hoc paullum poſt agam. Ad confirmandam Péterfii ſententiam, varia bella recenſui, quibus docere conatus ſum, agrum Nittrienſem vaſtatum, Epiſcopatum everſum, & munificentia S. Stephani reſtitutum, aut fundatum fuiſſe. Tum ab obitu S. Regis rurſus bellorum turbinibus, reſtauratum Epiſcopatum, ita attritum fuiſſe, ut in Præpoſituram, ſeu verius Vicariatum deſinere debuerit: dum denique Hungariæ Regum liberalitate iterum ſibi redditus, ſtabilitusque evaderet.

His meis male contentus Adverſarius noſter, Epiſcopatus Nittrienſis in Vicariatum deſitionem *Mirum effugium* vocat, & mi-

Nam ante conditam illam legem bellorum turbinibus everſus fuit Epiſcopatus Nittrienſis.

K

(a) Is Beſtertus, ſeu Beztritus erat, quem ipſemet Cl. Pray diſertis verbis affirmat fuiſſe Epiſcopum Nittrienſem, ſic enim Annal. Reg. Hung. Par. I. ad Annum MXLV. pag. 51. ſcribit: *Neque unius Gerardi morte ſatiari impia plebs potuit; eadem die ingentem Chriſtianorum multitudinem, inter quos præcipue Viri Religioſi, & duo Pontifices, quos Thurotzius cum Bonfinio Beztritum, forte rectius Benetham, Nittrienſem, & Buldum Agrienſem nuncupat* (hic ponit Lit. m. & in ima margine citat Thurotzii Chronicæ Caput XL.) *religionis cauſa trucidatum.* Heu pudendam metamorphoſim! & non audeam ego illum Orbilium, aut Vertumnum dicere? imo utrumque, nam & Literarum ſuarum oblitus eſt, & omnes formas, ut fert libido, induit: mavult nempe ea quoque, quæ vera ſcripſit, perperam recantare, quam ſibi diſſentientem non laceſſere. Sed hoc fortaſſe ob diuturnam conſuetudinem diſſimulari poſſet, & quia ipſum ſolum attinet; aſt illud iniquiſſimum foret ſubticere, quod Annaliſta noſter non vereatur legentibus palpum obtrudere, cum ſcribit: *Pontifices, quos Thurotzius cum Bonfinio Beztritum Nittrienſem, & Buldum Agrienſem nuncupat.* Siccine? nuncupat? ſed Nittriæ cum de Beztrto agunt, nec Thurotzius, nec Bonfinius meminerunt: etſi enim hi Beſtertum nominent Epiſcopum, tamen nuſquam affirmant Nittrienſem fuiſſe: & nihilominus *Thurotzius cum Bonfinio Beztritum Nittrienſem Pontificem nuncupat.* Hæc ſunt ipſiusmet verba, quibus me pag. 42. carpit ob hoc idem, ſed revera appoſite in illiusmet caput recidunt: oſtendam autem poſt pauca me recte ſcripſiſſe, & falſimoniam ejus producam.

(b) Timon. Imag. Nov. Hung. pag. 66.

miris ideis ipſe plenus impugnat. (a) Quærit primum ex me: An id temporis, dum hoſtes Diæceſim Nittrienſem vaſtarunt, -- Nittria ſuum Epiſcopum habuerit? ſi habuit, nec Epiſcopus, nec Epiſcopatus propterea, quod fundi Epiſcopatus everſi ſint, & Templa profanata, deſierunt. Imo vero; ſcitum ſiquidem eſt ſub Annum MXLVI. Hungaros permittente Andrea Rege Ethnicos ritus reſumſiſſe: Duce Vatha in Sacra & Sacrorum Antiſtites bacchari crudeliter occepiſſe: & anno conſequente in Gerardum Chanadinenſem, Buldum Agrienſem, & Beſtertum Nittrienſem, Epiſcopos rabiem effudiſſe, quos denique die XXIV. Septembris martyrio affecerunt: igitur ut tum, cum hoſtes iſti domeſtici graſſabantur, Nittria ſuum habuit Epiſcopum, ita illo occiſo, furore barbarorum Epiſcopatum quoque ejus everſum, atque ad tempus ceſſaſſe, deſiiſſeque, omnino par eſt credere: quæ ceſſatio etiam ætate Colomanni Regis perdurabat, certum enim ex Lege XXII. eſt, tunc Nittriæ Majorem duntaxat Præpoſituram fuiſſe. Hanc calamitatem exceperunt alia domeſtica, & externa bella, & quod hinc conſequitur, variæ Hungariæ converſiones: quod ego in Diſſertatione mea prolixius pertractavi. Iſta agrum Nittrienſem ita afflixerunt, ut bonis, & fundis Epiſcopatus everſis, Templis profanatis, demolitis, Epiſcopatus in Præpoſituram, vel potius Vicariatum migraverit, & per complures annos cum dignitate Epiſcopi quieverit. Nec id mirum videri debet. Nonne enim etiam indoctum vulgus novit, ante tempora S. Stephani Regis Nittriam ſuos habuiſſe Epiſcopos, imo etiam Archi-Epiſcopatus dignitate cumulatam fuiſſe? & tamen, ſi verum eſt, quod noſter opinatur, ætate S. Stephani Majorem ſolum Præpoſituram, Poſonienſi ſimillimam, Nittriæ fuiſſe: neceſſario conſequitur, Nittrienſem Epiſcopatum, aut Archi-Epiſcopatum penitus deſiiſſe, ceſſaſſe. Quæ hujus cauſa? non alia ſane, quam multiplices turbæ, diuturna bella, Sacrorum everſiones, latifundiorum devaſtationes, & his ſimilia, quibus Hungaria miſerandum in modum miſcebatur. (b) Eccur igi-

(a) Diatr. pag. 28.

(b) Poſſem & alia multa omnium fere Regnorum, & Nationum ejus modi exempla adferre, ubi everſi Epiſcopatus, eſſe deſierunt; ſed ne Noſtro rurſus prolixior eſſe videar, omitto.

igitur in admirationem ſe Crito noſter rapi ſimulat, quod cum Peterſio aſſeram, eundem Nittrienſem Epiſcopatum, quem S. Stephanus denuo reparavit, poſt ejus obitum, iisdem plane ex cauſis eſſe deſiiſſe, ac in Præpoſituram, vel Vicariatum commutatum, atque poteſtati Archi-Epiſcoporum Strigonienſium ſubjectum fuiſſe?

Iſthinc non difficulter colligitur, arenam ſine calce eſſe, quod porro Noſter diſputat, (a) & hoc modo argutatur: Si everſis Epiſcopatus fundis, Epiſcopatus deſinunt, poſt exinanitam per Tartaros Anno MCCXLII. Hungariam, pauciſſimi in ea Epiſcopatus eſſe debuiſſent. Quæ hæc conſequutio? ex particulari ad univerſale nullum eſt argumentum. Et cur quæſo Reges, & Pontifices ad hoc aut illud agendum cogere audet? Bela IV. poſt Tartaricam cladem petivit a Romano Pontifice, ut Eccleſiis Strigonienſi, Colocenſi, & Jaurinenſi, quarum Antiſtites per Tartaros interempti ſunt, de novis idoneis Paſtoribus provideat: ergo id ipſum alii quoque Hungariæ Reges, quod ad everſum Nittrienſem Epiſcopatum attinet, facere debuiſſent. Quis imponet Pontificibus, & Regibus agendi neceſſitatem? novimuſne nos omnes illorum temporum rationes, ac circumſtantias? hoc profecto nemo, niſi inſipiens ſit, ſibi arrogaverit. Belæ placuit poſt funeſtam Tartarorum incurſionem vacantibus Epiſcopatibus non multo poſt novos Epiſcopos dari: Aliis Regibus non placuit bellorum turbinibus everſum Epiſcopatum Nittrienſem reſtaurare, verum potius Strigonienſis Archi-Epiſcopi curæ committere, atque per Vicarium, qui una Præpoſitus eſſet, gubernari libuit. Utrorumque voluntatem, ut credere convenit, Summus in Orbe Antiſtes ratam habuit: nos autem utrorumque actiones probare debemus, non ſcrutari, aut curioſe rimari. Certe, pientiſſimi illius ætatis, maximam partem, Reges Hungariæ id egerint, quod commune bonum, ſalus populorum, Dei Maximi gloria expoſcebat.

Fruſtra obnititur Adverſarius.

At Hypercriticus noſter in Belam I. Andream I. & S. Ladislaum incurrit, quod, ſi Epiſcopatus Nittrienſis vaſtatus fuit,

(a) Diatr. pag. 29.

eidem non illico de novo Episcopo providerint: imo immodica audacia addit: *Geysa I. sapientius erat facturus, si Episcopatum Nittriensem, omisso Vaciensi, instaurasset.* (a) Quare sapientius? in promptu est causa, quia, inquit, *facilius vetera instaurari, quam nova condi solent.* En! Achilleam causam: ideo videlicet sapientius facturus erat, quia facilius vetera instaurantur, quam nova condantur. Quæro ego; an intelligat Cl. Author quemnam hoc, veneno imbuto, telo petere audeat? Petit nempe Sanctissimum Regem Stephanum. Nam, ut verba illius sunt, Doctorum ex trivio vulgus novit, ante S. Stephanum Nittriensem Episcopatum stetisse, & etiam collapsum fuisse: si igitur sapientius agunt, qui vetera instaurant, quam qui nova condunt; certe S. Stephanus minus sapienter, ex sententia Critonis nostri, egisse censendus erit, cum decem novos in Hungaria Episcopatus incredibili zelo condidit, & veterem Nittriensem instaurare neglexit, in Præpositurам, hæc enim est Adversarii mens, desinere voluit. Hoc equidem impium est. At quis, oro, illi ad arculas sedit, ut tam atrocia suggereret & dictaret? Quis Scrutarius frivola ista pro gemmis illi obtrusit? Sic Hercules, ut Omphale placeat, fusos, & lanas tractat. Ego vero isthic ea, quæ olim scripsi, repeto: Non satis castigate, ne dicam irreligiose, de Sanctissimo Rege Stephano sentiunt, qui affirmare non verentur, illum novos Episcopatus incomparabili zelo condidisse, vetustissimum vero, & quondam florentissimum (b) qualis dubio procul Nittri-

---

(a) Diatr. pag. 30 Idem fere regerit in Hist. Ducum Hung. Tom. I. pag. 744. R. Katona, qui Prayana tibia est, & ait, mihi non videri irreligiosum, quod Geysa, & Ladislaus novos Episcopatus erexerint, & Nittriensem non restaurarint. At ego certum eversi hujus Episcopatus tempus nuspiam definivi, imo scripsi etiam sub Colomanno plus simplici vice Nittriensi agro fœdam vastitatem illatam fuisse; idcirco ejus objectio supervacua est. Uti & illud, quod hi Reges minus religiosi fuissent, si novos potius Episcopatus condidissent, quam Nittriensi avulsos fundos restituissent. Ridiculum! quod eversum, vastatum, pessumdatum est, id non est avulsum, nec restitui potest. Nemo dixit, fundos Episcopatus Nittriensis ab aliquo Regum in suos usus conversos esse.

(b) R. Katona, cui omnia mea vel hoc solo nomine, quod mea sunt, displicent, ægerrime fert, quod Nittriensem Episcopatum *Vetustissimum*, & *Florentissimum* fuisse nominarim. Hinc pag. 744. oggerit: *Nec vetustissimum, nec florentissimum fuisse Nittriensem Episcopatum ex iis, quæ jam alias disputavimus, apparet.* Disputat autem num. 245. & 246. de hujus Episcopatus Conditore, quem Urolphum fuisse Anno DCCCXXVIII. statuit; tum de Metropolita, cui hic Episcopatus subjectus erat. Unde

trienſis fuit, ſed iniquis converſionibus collapſum, neglexiſſe, nullaque ratione habita alteri cuipiam Epiſcopo ſubjicere voluiſſe: præſertim cum id nec ad utilitatem populorum, nec ad decorum conduxiſſet. Demus itaque S. Stephano Regi, quod citra piaculum negare non poſſumus, & Epiſcopatus Nittrienſis poſt liminio Parentem agnoſcamus. (a) Sed reſtant adhuc quipiam Adverſarii arietes. Luſtremus, quam ſolidi ſint?

§. IV.

In Vicariatum abiit Epiſcopatus Nittrienſis.

Cum ſatis certum ſit, ætate Colomanni Regis non extitiſſe Nittrienſem Epiſcopatum, & nihilominus ſat ſuperque docuerim, ab S. Stephano conditum fuiſſe; etiam id in Diſſertatione mea probandum mihi fuerat, quonam pacto Epiſcopatus iſte in Præpoſituram, aut potius Vicariatum deſierit? Hoc a variis repetii bellis, quorum frequens, & vehemens turbo Nit-

de ſane non apparet, nec *vetuſtiſſimum*, nec *florentiſſimum* fuiſſe. Antiochenum Nittrienſi vetuſtiorem eſſe ſcio; ſed mihi res fuit de Hungariæ Epiſcopatibus a S. Stephano, aliisque Regibus noſtris conditis, aut reſtauratis. Quis autem tam hebes eſt, ut ignoret, hos inter Sirmienſem, & Nittrienſem vetuſtiſſimos eſſe! de illo poſtea videro: *Nittrienſis vero initia* verba ſunt Cl. Pray Hier. Eccl. pag. 359. *plerique figunt ad Annum Chriſti CCCLXIX.* Rurſus: *Erectus eſt plerorumque opinione a Frigedilda Moravorum Regina.* Sed miſſo hoc, de quo nonnulli dubitant; id tamen certiſſimum eſt, initio ſæculi IX. Nittriam ſuum habuiſſe Epiſcopum: qua vetuſtate nullus alius Hungariæ Epiſcopatuum, ſi Sirmienſem, ut dixi, excipias, gloriari poteſt; Vetvarienſis enim opinione R. Katona Ovárienſi reſpondet, cujus nulla ſub Regibus noſtris extat memoria. Igitur Nittrienſis Epiſcopatus *Vetuſtiſſimus* eſt, & cæteros Hungariæ Epiſcopatus vetuſtate ſuperat. *Florentiſſimus* etiam fuit: ad quod comprobandum, etſi cætera deeſſent, id ſolum ſufficit, quod Wichingus deſerta Arnulphi Imperatoris gratia Nittria, Patavienſis Epiſcopus, & Cæſaris Cancellarius effectus, hanc ſuam ſtationem dimittere, & ad Sedem Nittrienſem redire voluerit, imo ut aliis placet, etiam redierit: tum in Moravia, aut Sclavia, quæ hoc tempore ultra Danubium jam non erat porrecta, Sedem Metropoliticam erigere meditabatur, quæ probabilius Nittriæ locanda fuit, & deinde per Joannem IX. PP. locata fuerit; hæc enim Urbs in ditione Moymiri Moraviæ Ducis una ex celeberrimis erat: quod ipſa hæc adjuncta ſvadent. Hæc vero ſatis indicant Epiſcopatus Nittrienſis florentiſſimum ea ætate ſtatum, quo tamen illum R. Katona de nihilo ſpoliare contendit. Mihi non parum dolet, quod in illum mei duntaxat cauſa deſæviat; neque enim id ad ejus argumenti rationem pertinet.

(a) Reliqua, quæ ſequentibus duabus paginis pertractat, æquus Lector leviſſimas eſſe paleas facile animadvertet, quæ ſuapte in auras abeant.

trienſem plagam vaſtavit, Templa proſtravit, latifundia peſſumdedit, populos diſperſit, Epiſcopatum ipſum evertit. Unde nihil mirum videri debet, ſi Epiſcopatus, a S. Stephano conditus, in Vicariatum abiit. Crito noſter, ut ex his pedicis ſe expediat, omnes, ſed inani contentione, colligit vires, quo oſtendat per bella, a me memorata, aut nullum plane, aut modicum ſolum damnum agro Nittrienſi illatum fuiſſe; adeoque non eſſe cauſam, cur Epiſcopatus Nittrienſis in Vicariatum deſinere debuiſſet. Neſcit, quo ſe volvat. Non Hercules: ego in hoc luto utroque pede hæreo. Tamen os etiam extat, & Adverſario ad ſingula reſpondebo; prius notum proverbium inclamo: *Venare, venare; teſtudo non capies hunc leporem.*

Orſus ſum in Diſſertatione mea hoſtium incurſiones ab obitu S. Stephani. Hungariam, ſub Petro, & Aba Regibus, Germani vaſtarunt Anno MXLII. & MXLIV. Rurſus Henricus Imperator turbavit Hungariam, graveque bellum intulit Andreæ I. Anno MLII. (*a*) Profligato bello Germanico repente odii ſemen jactum eſt inter Andream, & Belam fratres, quod in cruentum bellum poſtea erupit. Anno MLVIII. Salamon bellorum procellis miſcuit Hungariam, & modo Germanorum copiis ſtipatus, modo Cumanorum agminibus adjutus, Regnum vaſtabat. S. Ladislaus multiplicia bella geſſit adverſus Bohemos Moravos, Sileſios. Sub Colomanno Rege Cruce ſignatorum agmina, in Palæſtinam tendentia, ipſi Nittrienſi agro fædam vaſtitatem intulerunt Anno MXCVI. Svatoplugus cum ſuis Bohemis tractum, qui inter Danubium, & Vagum porrigitur, vaſtavit Anno MCVIII. Idem Nittrienſem agrum fæde diripuit, & exuſſit Anno MCIX. Quid ad hæc Noſter? grandi animo ait; partim nihil bellorum iſtorum ad Nittrienſem provinciam attinere; partim, poſtquam probatorum Scriptorum teſtimonia fere ad lumbifragium detorſiſſet, perexigua, ut leviter ſibi perſvadet, detrimenta agro Nittrienſi per hæc bella illata fuiſſe. Videamus.

Abæ,

(*a*) Hujus belli in ſuis Annalibus Cl. Pray nullam facit commemorationem, adeoque lacuna expleatur.

Abæ, inquit, *cis Danubium in Insula Cituorum res cum Germanis fuit.* (a) *Andreas I. ab Henrico circa Jaurinum impetitus erat. Salamon cum Geysa, & Ladislao ad Tybiscum, & Vaciam signa contulit. Ladislaus -- Provinciam Nittriensem certo non vastavit.* Quid tum postidea? *Itaque nihil verisimilis quidem causæ est, cur Episcopatus Nittriensis - - ob hos belli motus vacasse, & in Vicariatum desiisse censendus est.* Illi satis est, hæc tàm magna pompa narrasse; & dum me inscitiæ vult, se ipsum fraudis damnat. Nos sane unius hujus Xenocratis testimonio non credimus: Sunt, οἱ μὲν φέρτεροι εἰσι νοῆσαιτε, χρῖναιτε, (b) eos adeamus, vel advocemus potius, & audiamus, nam iste non est μαντεῖον (c) illud, quod consulamus, neque enim sincere, ut decet, nobiscum agit. *Abæ cis Danubium*, inquit, *& in Insula Cituorum res cum Germanis fuit.* Bene habet: sed quo anno? semelne tantum res illi cum Germanis fuit? Consulat vel suos Annales, & comperiet abs se hic subdole agi. Admiserim Anno MXLIV. Henricum cum Aba ad Jaurinum dimicasse, atque istum, militum perfidia, profligatum, & in fuga cæsum fuisse. Sed redeamus ad Annum MXLII. Hermannus Contractus scribit: *Henricus quoque autumno petens Heimenburg, & Brecesburg evertit; in Septemtrionalem Danubii partem - - usque ad Grana flumen vastavit.* Ex hoc suam texens Historiam Cl. Pray, sic loquitur: *Septemtrionalem Danubii plagam - - procursum est, & ad Granum usque vastitas circumlata - - quidquid Posonio ad Granum usque tenditur, Petro asseruere.* (d) Vastarunt igitur Germani Septemtrionalem Danubii plagam; atqui Septemtrionalis plaga a Danubio versus Moraviam, proinde etiam Nittriensem, & Threnchinienſem Provinciam porrigitur, nemoque ignorat, has Provincias in Hungaria Septemtrionali sitas esse: igitur has quoquo Henricus Imperator vastavit. Præterea, a Posonio, quod tunc Henricus expugnavit, *ad Granum usque vastitas circumlata* est. Jam vero ex positu locorum manifeste apparet, inter Posoni-

Adversarii Objectiones convelluntur.

(a) Diatr. pag. 34.
(b) *Qui meliores sunt hæc noscere, & arbitrari.* (c) *Oraculum.*
(d) Annal. Lib. I. pag. 47. Non possum credere, quod ista ab se scripta fuisse Cl. Author oblitus fuerit; sed dissimulavit, ut aliquid pigmenti sua narratiuncula nanciscatur. Nebulæ! Tenebræ! Animi adfectio.

nium, & Granum flumen, Nittrienſem, & Threnchinienſem Provincias eſſe: igitur Diœceſis Nittrienſis, quæ per has duas Provincias extenditur, vaſtata eſt: igitur *Abæ* non ſolum *cis Danubium, & in Inſula Cituorum res cum Germanis fuit*, quod nobis Adverſarius infeliciſſime perſvadere voluit; & tamen nobiſcum eadem, niſi quod jactitans, ſcribit. Si vere, quid inſultat?

Porro: *Andreas* I. inquit, *ab Henrico circa Jaurinum impetitus erat.* Minime ſolum ad Jaurinum, verum etiam ad Poſonium, quod nullo operæ pretio obſedit, & re infecta redivit. (a) Audiamus, quid Scriptores de bello inter Henricum, & Andream teneant. Cl. Ulmannus narrat, quod poſtquam facinoroſi quidam Hungarorum, Petrum Regem oculis crudeli auſu orbaſſent; Henricus Imperator indoluit miſerandæ ſorti Petri, & quamvis in Italia occuparetur, tamen adverſus Andream, electum Regem, Bretislaum Ducem Bohemorum, & Adalbertum Auſtriæ Marchionem cum exercitu ire juſſerit. Paruerunt illi, & Bretislaus quidem iræ plenus usque ad Granum flumen, Adalbertus vero

---

(a) Cl. Pray in Annal. Par. I. ad Annum MXLIX. idem narrat, ſed in anno, Aloldi teſtimonio deceptus, errat. Hermannus Contractus ad Annum ML. refert Hamburgi per Germanos reparationem, Hungarorumque cladem: Poſonii vero per Henricum intentatam, atque ſine fructu ſolutam obſidionem ad Annum MLII. Hinc Noſter in Annal. Par. I. pag. 53. pro Critico non ſatis perite conſignavit, Hermannum Hamburgi reparationem ad annum MLI. collocare, & errare: quod omnino falſum eſt. Vid. Script. Germ. Rer. apud Piſtor. Tom. I. pag. 292. & ſequ. Alterius incurſionis meminit Hermannus ad annum MLI. ſed quæ ad Arabonem fuit, non ad Poſonium. Error igitur in anno a Cl Pray notato, cubans, corrigendus eſt. Certe illa anno MXLIX. contingere haud poterant. Nam moles negotiorum, quibus Henricus anno iſto diſtinebatur, omne illi cum Hungaris arma conferendi tempus eripuerunt. Anuo MXLVIII. Imperator Natalem Domini Friſingæ, & anno ſequente Purificationem S. Mariæ Ratisbonæ egit, Bojoariæ Ducem Conradum conſtituit, ut teſtatur Herm. Contr. ad h. a. Menſe Aprili Goslatiæ morabatur, ubi Epiſcopo Paduano monetæ cudendæ privilegium contulit, ut nos certos facit Carolus Sigonius de Regno Italiæ pag. 205. ſequente æſtate adverſus Godefridum Lotharingum, & Balduinum Comitem Flandriæ bellum geſſit, ut rurſus Herm. Contr. loc. cit. nos docet. Menſe Julio die XI. Aquis Diplomate, Bona, & Privilegia Monaſterio Rhinovienſi confirmavit apud Cl. Hergott Geneal. Diplom. Habsb. pag. 120. Menſe Octobri venit Moguntiam, ut perhibent Herm. Contr. loc. cit. Wibert. Cap V. Schannat Concil. Germ. Tom. III. pag. 115. Iſthinc ſuopte conſit, ea, quæ Noſter Hermanno Contracto appingit, ut & omnem ejus hac de re narrationem, inter majora hiſtorica ſphalmata merito reponi debere.

vero usque ad Arabonem pervenere; & quidquid in progressu Ditionis Hungaricæ obvium habuere, id totum hostilem in modum vastaverunt. (a) Rursum (b) scribit, Bretislaum Henrici fœderatum cum suis Bohemis, & Moravis omnia usque Granum populatum fuisse. Denique, Bretislaum, Moraviæ vicinam, Hungariam infestasse. (c) Itaque Dux Bohemorum jussu Henrici Cæsaris usque Granum omnia hostiliter vastavit: & ex Moravia ad flumen istud pervenit: Nonne autem Nittriensis, & Threnchinienſis Provinciæ inter Moraviam, & Granum positæ sunt? atque adeo istas etiam Provincias vastavit, ac, quod hinc efficitur, Episcopatum Nittriensem. Situs locorum id palpabile facit.

Objicit deinde Crito noster: Salamon cum Geysa, & Ladislao ad Tybiscum, & Vaciam signa contulit. Id certum est: sed ubi ego scripsi, quod Salamon cum Geysa, & Ladislao non ad Tybiscum, & Vaciam, sed in Diœcesi Nittriensi signa contulerit? nuspiam sane. Unde Adversarius miris ideis agitatus fuerit, cum talia in chartas perperam conjecit: Illud solum affirmavi, quod multis bellorum procellis miscuerit Hungariam Salamon, jam Germanorum, jam Hungarorum copiis adjutus.

(a) Ulman. in Geogr. Chronol. Hist. Morav. Vet. ad Annum MXLVI. Cap. VIII. pag. 434. ita scribit: Stunden die Hungarn wider ihren König Petrum auf, und letztlich entaugeten Sie ihme. Anstat seinem aber erhoben Sie auf dem Königlichen Thron einem gewissem Andreas: aber als es zu Ohren des Königs Hennerici kam, bereuet er, daß er in selbst eigenen Person wieder die Hungarn nicht ziehen kunte, zumahlen er schon würklich in dem Zug in Welschland begriffen ward: jedoch befehl er diesem Krieg dem Böhmischen Herzog Brzecislao, und dem Oesterreichischen Marckgraf Adalberto ernstlich an, und setzte seinem Zug gen Rom fort. Brzecislaus und Adalbertus saumeten nicht, theileten ihre Wölcker in zween Haufen: und Adalbertus kam mit seinem Haufen gar bald bis zum Raab, und Brzetislaus bis zum Gran: neben dem währenden Zug verwüsteten diese beyde, was ihnen am Weeg lege.

(b) Ulm. loco cit. pag. 438. postquam narrasset Henricum in Hungariam irrupisse, cætera inter ad Annum MLI. sic habet: Den Herzog Brzetislaus mit seinem Böhmen, Mähren, und obbenennten Deutschen Wölckern, gösse sich bis über die Gran aus, schlug aber, und abermahlen die Hungarn.

(c) Ulm. loco cit. pag. 440. ad annum MLV. hæc scribit: Glimmete der alte Hatz zwischen dem Hungarischen König Andrea, und dem Herzog Brzetislao: man thete manche einfälle beyder seits in die angräntzenden Orten, und fügete da, und dorten manche Schäden, und Unbilden zu. Scitum autem est, Moravis vicinam esse Diœcesim Nittriensem. Interim, Ulmanus, ut mihi videtur, in Chronologia paullum exerrat.

Rectius judicium feret de ſenſu narrationis meæ, ſi Ranzani verba legerit, ea ſunt: *Salamon geſſit bellum cum Boëmis, quæ & ipſa efferata, immanisque natio eſt, quæ irrumpens in Hungariam, perque multa loca habitatoribus frequentia excurrens, ingentem prædam domum reportavit.* (a). Audin? Bohemi cum Moravis, nam hi tum ab eorum fere nutu pendebant, irrumpunt in Hungariam, ingentique præda potiuntur; quod terram vaſtare, latifundia evertere eſt. Eſt vero admodum credibile, illos in Provinciam Threnchinienſem impetum feciſſe, ut exiſtimant Peſſina, & Ulmannus, Moravos nempe in Threnchinienſem Provinciam irrupiſſe, quæpiam loca expilaſſe, homines, & jumenta ſecum abduxiſſe. (b) Quid vero a fera, immanique gente, ut Ranzanus loquitur, expectandum erat, quam fæda vaſtitas? Igitur Salamon, & ejus Duces Geyſa & Ladislaus dum bellum cum Bohemis geſſere, Epiſcopatus Nittrienſis vaſtabatur. Hujus etiam ipſemet Adverſarius noſter meminit hiſce verbis: *Vratislaus Bohemiæ Princeps - - incertum ob quas cauſas, eam Hungariæ partem, quæ in Threnchinienſi tractu ad Septemtrionem porrigitur, infeſtis armis populabatur.* (c) Horum impetum Geyſa, & Ladislaus Duces ſtiterunt, Bohemos ſolum vertere coëgerunt, & Moraviam ingreſſi, ferro, ignique graſſabantur. Lambertus Schaffnaburgenſis (d) narrat Henricum infeſto exercitu ingreſſum eſſe Hungariam, & nonnullas ejus regiones hoſtiliter peragraſſe. Quas vero Provincias Henricum peragratum eſſe memorat Schafinaburgenſis, eas Noſter illam, quæ trans Vagum fluvium Vacium usque porrigitur, fuiſſe perhibet. (e) Inter Vagum vero, & Vacium poſitas eſſe etiam Nittrienſem, & Threnchinienſem Provincias, adeoque Epiſcopatum Nittrienſem, nemo neſcit. Hinc Adverſarii noſtri animadverſiones non eſſe rite ſubactas, & a vero quoque non parum abhorrere, palam fit: quando nempe ſcribere audet: Iſtorum

(a) Ranzan. Fpit. Rer. Hung. Ind. X. pag. 359. ap. Schvandn.

(b) Ulman. loco cit. ad An. MLXXI. pag. 460. ſic ſcribit: Fielen einige Mahren in das Hungariſch-Trentſchiniſche Gebiet: blünderten einige Flecken aus, nahmen Viehe, und Menſchen gefangen, und führten ſie weg.

(c) Annal. pag. 67. in Salamone Rege.

(d) Lamb. Schaffn. in Chron. ad An. MLXXIV.

(e) Annal. pag. 73 in Geyſa Rege.

rum bellorum *nihil prorſus ad Nittrienſem Provinciam attinebat:* imo vero omnia illa Provinciis Nittrienſi, & Threnchinienſi plurima maleficia attulerunt. Itaque nihil veroſimilius eſt, quam quod hi belli motus Epiſcopatus Nittrienſis, ab S. Stephano conditi, Oppida, villas, latifundia, Templa everterunt, proſtraverunt, quibus ſecuturi turbines acceſſerunt, indeque factum, ut Diæceſi Strigonienſi ad tempus ſubjici, & in Vicariatum, ſeu Præpoſituram abire debuerit, ita ut ſub Colomanno Rege Præpoſitura ſolum fuerit.

Errores produntur

Similes aberrationes ſunt, quas Noſter porro in choreas ducit. Ait: *aliquid pigmenti illud habet - - Salamonem Henrici Imperatoris auxilio fretum, a Vago flumine cum triplici agmine Nittriam Urbem tentaſſe.* (a) Vix ab hoc ſcribendo reſpiravit, continuo humaniſſime in me inſilit: *Falſum eſt, quod Adverſarius de ſuo adjecit, eum omnia hoſtiliter depopulatum fuiſſe.* Superius jam ex Cicerone monui, prudentem conjecturam ex cauſa, ex perſona, ex facto ipſo capiendam eſſe: idcirco etſi Thurotzius, & Bonfinius liquidis verbis non ſcribant, Salamonem omnia hoſtiliter depopulatum fuiſſe, res tamen ipſa ſvadet, id credi debere; niſi enim prudentibus conjecturis in re Hiſtorica locus præbeatur; profecto Cl. Pray Annalium Tomi VI. in paucularum plagularum volumen migrabunt, nam præter ea pauca, quæ ab aliis fideli opera mercatus eſt, fere conjecturis agit. (b) Thurotzius, & Bonfinius teſtantur, Salamonem cum triplici Germanorum agmine ſupra Nittriam procurriſſe. Credemusne hoſtem iratum, & vindictam ſpirantem in terra inimica manus in ſinu tenuiſſe? Nimis politos facit hic Noſter Hoſtes. Geyſa Rex in plaga hac cum ſuis tum non aderat. Sola Urbs Nittria a ſuis defenſa, & conſervata erat, reliqua furori Salamonis pervia erant. Credemusne Salamonem cum

(a) Diatr. pag. 35.

(b) Neſcio, cur Adverſarius tam acerba criſi me laceſſat: Nuſpiam ſcripſi, Thurotzium dixiſſe, quod Salamon Henrici auxilio fretus, ad Nittriam *omnia hoſtiliter depopulatus ſit*, neque id *curſivis*, quod ajunt, Literis exaravi; mea proinde illa ſunt. Quo igitur valent illa Noſtri: *Falſum eſt, quod Adverſarius de ſuo adjecit, eum omnia hoſtiliter depopulatum fuiſſe.*

Germanis nihil hoſtile in agro Nittrienſi exercuiſſe? *Cras credimus, hodie non.* Et quare, ut vult Thurotzius, Salamon ultra Nittriam procurrit? Utique ſi ex cauſa, ex perſona, ex facto ipſo conjecturam capimus, non aliam ob rem, quam ut vaſtitatem ultro circumferat, ut mihi quidem perſuaſum eſt; non venerit illuc cum triplici agmine, ut Arcem Nittrienſem aſpectando oculos paſcat; ſed ut manu, robore, conſilio, repugnantes ad ſibi parendum cogat: Regnumque ſibi denuo vindicet. Quid autem cum illis fieri aſſoleat, qui potenti, & ambitioſo inimico parere nolunt? cumprimis ſi eorum defenſor non adſit præſens; etiam illi norunt, qui arma nunquam tractaverunt: ferrum, ignis, populatio, vaſtitas tales manet. Quod certo Salamon impigre exequutus fuerit eo magis, quod ab Henrico Imperatore non obſcuris indiciis intellexerit fruſtra a ſe Regni recuperationem ſperari. At Cenſor noſter belliſſime exclamat: *Tota clades ad Nittriam intra unius militis, equique cædem, ac paucos vulneratos conſtitit.* Hoc quidem habet Thurotzius, ſed dum de ſola Urbe Nittrienſi loquitur, quam Salamon expugnare voluit: quod ut verum eſt, ita de nihilo eſt argumentum, ſi hinc velimus extundere, agrum Nittrienſem per Germanos non fuiſſe vaſtatum: imo quia Nittriæ Urbis cuſtodibus Salamon cladem inferre non potuit; ex hinc dubio procul furor ejus accenſus fuit, & Nittriæ circumjacentem plagam tanto majori cupiditate populatus eſt. Nec officit, quod id dilucide Thurotzius haud memoret, res ipſa loquitur. Ad hæc multa ille præterit, quin ea ob id falſa eſſe arbitrari poſſimus.

Detorſiones detegunturur.

Felix Nittrienſis Provincia, quam inter tot bellorum procellas, inter acerrimas hoſtium incurſiones, ſolam ſine vulnere, ſine damno, ſine ruina ſemper perduraſſe, Adverſarius ſibi perſuadet: felix, inquam, ſi hujusmodi perſuaſio a vero longiſſime haud abſit. Sed enim Adverſarius noſter nec authoritate graviſſimorum Scriptorum, nec rebus ipſis patitur ſe a præjudicata opinione ſua dimoveri. Annaliſtæ Saxonis, & Coſmæ Pragenſis, quæ attuleram, teſtimonia, lacinia denormat, & emollit. (a) Ille ſcribit, Duodecim millia Cruce ſignatorum Folkmaro Du-

(a) Diatr. pag. 36.

Duce in ſuperiori Hungaria ad agendas prædas ſe vertiſſe, quos deinde Sclavi, & Hungari ad defenſionem rerum ſuarum coorti, ad Nittriam internecione pene deleverunt. Quid Noſter? Umbram captat. *Si*, inquit, *internecione pene deleti ſunt, liquet non fuiſſe tantum damni agro Nittrienſi - - illatum.* Unde liquet? quia *deleti ſunt.* Siccine! At prius quam Sclavi, & Hungari coorti ſunt, Cruce ſignati prædas egerunt, & duodecim millia Virorum profecto non minimas prædas agunt, quibus agrum Nittrienſem non difficulter exinaniverunt. Plus ſe torquet in deformando Coſmæ Pragenſis teſtimonio, & demum in ridiculam conjecturam delabitur. Coſmas de Svatoplugo, cum Henricus Poſonium obſideret, ita loquitur: *Dux - - cum ſuis Boëmis, quidquid erat ex parte hac Vag fluminis, quoad usque prædictus amnis influit Danubium, nihil reliquerat incombuſtum.* Noſter Author, ut ſe, qua licet, extricet, ſic ſcribit: *Procurſio Svatoplugi - - tempore obſeſſi ab Henrico Poſonii contigit, quæ præcipue ad Poſonienſem Provinciam, & partem Comaromienſis - - pertinuit.* (a) Quæ hæc Logica? qualis conſequutio: Cum Henricus obſedit Poſonium, Svatoplugus quidquid ad Vagum eſt, vaſtabat, ergo Provinciam ſolum Poſonienſem, & neutiquam Nittrienſem vaſtavit. Si rectam voluit eſſe coſequentiam, prius teſtimonio probatorum Authorum demonſtrandum fuiſſet: Svatoplugum cum Henrico ad Poſonium fuiſſe, inde divulſum cum ſuis Boëmis recta ad Vagum tetendiſſe: ferrum, & ignem per plagam, quæ inter Vagum, & Poſonium interjacet, usque Oppidum Gutta, ubi Vagus in Danubium illabitur, circumtuliſſe. An neſcit hoſtibus in inimicam terram plures vias patere? & ſæpe belli ſtratagemate eas amplectuntur, quæ inacceſſæ videntur.

Quid? ſi Svatoplugus per Trenchinienſem Provinciam, ut ſupra ex Peſſina, & Ulmanno de Moravis tempore Geyſæ memineram, in Hungariam irrupit, & infeſtis armis per Nittrienſem Provinciam ad Vagum penetravit, ac usque ad Confluentem Vagi, & Danubii omnia protrivit? Nullumne tum maleficium ſenſit Nittrienſis Diœceſis? Ne tamen ſolis conjecturis depugnare videamur; audiamus ex Scriptoribus, quam inanis ſit

(a) Diatr. pag. 37.

Adverſarii opinatio. Dubravius (a) de incurſione Henrici, & Svatoplugi in Hungariam ita habet: *Cæſar cum Nationibus Germanis terra, Danubioque ad expugnandum Poſonium, arcemque illius Oppidi transibat. Svatoplugus cum Bohemis, & Moravis ultra Vagum fluvium progreſſus, Nittriam vi cæpit, & propterea mille equites ſubſidio venientes, per inſidias oppreſſit. At Cæſar in obſidione Urbis Poſonienſis cum a Julio menſe usque ad Septembrem nullo profectu, ſed magno cum tædio perduraſſet, illa tandem omiſſa, miſſum quoque exercitum fecit: revocans & Svatoplugum a populationibus, quas ultra citraque Vagum in obvios Hungaros exercebat.* Huic narrationi Jordanus, Dubravii editor, haud eſt adverſus. Satine hoc etiam clarum? & adhucne iſtorum bellorum *nihil prorſus ad Nittrienſem Provinciam attinebat?* adhucne *procurſio illa Svatoplugi - - præcipue ad Poſonienſem Provinciam - - pertinuit - - qua parte Diœceſis Epiſcopatus Nittrienſis nequaquam porrigitur?* Ad hæc, ut arbitror, hærebit Noſtro aqua, & ſiquidem frontem non projecerit, pœnitebit certo, quod clara veterum teſtimonia nullo penitus ſibi prælucente, enormiter detorquendo, non ſat ſincere interpretando, hac illac pro libidine trahendo, prorſus arbitrarie adulteraverit. Poſſem hic alia docta: cur apud illum oleum, & operam perdam? utcunque enim prævideo Cl. Authorem, ut facilis eſt, præſtantiſſimos etiam Scriptores ſomnia, commenta, falſimonias, & mendacia chartis illeviſſe, pronuntiaturum.

Nihilo felicior eſt in emolliendo Coſmæ Pragenſis teſtimonio altero. Is de Svatoplugo, & Nittria in hæc verba ſcribit: *Depopulato igitur, & ſuccenſo ejus* (Nittriæ) *ſuburbio, redeuntibus occurrunt eis agmina multorum in curribus, & in equis fugientium ad prædictam Urbem, quibus inſimul quaſi manipulis in agro collectis, villis eorum combuſtis, omni illa regione devaſtata, maxima onuſtati jumentorum, & cæterarum rerum copia, hilares ad proprios reverſi ſunt Lares.* Quid poteſt eſſe his magis perſpicuum? Nittrienſi ſuburbio ſuccenſo, & direpto, agminibus fugientium interceptis, villis combuſtis, omni illa regione vaſtata, Bohemi cum

(a) Dubrav. Hiſt. Bohem. Lib. X. pag. 260.

cum ingenti hominum, & jumentorum, aliarumque rerum præda ad ſua redierunt: & nihilominus Crito Noſter refragatur, atque obfirmate reclamat, multiplicia hæc damna *ad Strigonienſem, non item Nittrienſem Diœceſim ſpectaſſe.* Eſtne Nittria in Diœceſi Strigonienſi? ex hacne venerunt illa agmina in Nittrienſem, hoc eſt in hoſtium fauces? ex Strigonienſine ſalutem Nittriæ quærere voluit fugientium turba? & Nittriæ, ad quam hoſtilis exercitus? O quam nimium a centro hic Noſter aberrat. Et nihilominus ſine teſte, ſine cauſa, ſine aliquo præeunte, non modo perſuadet ſibi, verum etiam velut pro Tribunali ſedens audacter pronuntiat: Svatoplugum cum ſuis Nittria ad Vagum rediiſſe, *hac certe,* verba ejus ſunt, *Svatoplugus venit, & rediit.* Aſt, cur *certe*? non patent ex Hungaria in Moraviam plures viæ? Cur oportuit Svatoplugum Nittria ad Vagum redire? non poteratne per Trenchinienſem regionem domum penetrare? Non, non oggerit Noſter, *quia omnes aquæ erant congelatæ valde (a)* idcirco *non per Trenchinienſes ſaltus, & montes, ſed qua parte Hungaria planior eſt, ex Moravia in Regnum irrupit.* Ut togatus hic belli Dux eſt. Miror, quod hactenus ea, quæ de Hannibale narrantur, inter commenta non rejecerit; facturus utique, ſi occaſio tuliſſet. Is per Pyrenæos montes longe maximos; quorum altitudo, nivesque cœlo prope immiſtæ terrere poterant, ut Livius habet, exercitum, centum & amplius millium, ut quibusdam placet, ingentemque numerum equorum, & aliorum jumentorum transduxit, atque quinto decimo die alpibus ſuperatis in Italiam penetravit. *(b)* Attamen Cl. Authori noſtro videntur Threnchinienſes montes, qui jugis Pyrenæis collati, terræ pugillus ſunt, hyeme invii eſſe? nec credibile Svatoplugum per illos cum minori exercitu in Hungariam pervenire potuiſſe: poterant id ipſum alias Moravi, ut docui, cur modo non poſſint. Arbitror ego a bene animatis militibus, præſertim cum opulentæ prædæ ſpes affulget, ejusmodi colles nec difficulter, nec ignave ſuperari; præſertim cum ſciam unius Capreæ prædam Venatorem ad altiora etiam juga, & hyeme, deducere. Militiæ peritus non ſum

(a) Diatr. pag. 38.
(b) Vid. Liv. Hiſt. Dec. III. Lib. I. Cap. XIII.

ſum, exiſtimo nihilominus, nihil optabilius fore hoſti, quam ſi oppoſitus exercitus id modi belli Duces nanſciceretur, qui ſuos milites ſemper per loca plana, & amæna molliter circumducerent. Ex his nemo non videt, ab hoſtibus tam domeſticis, quam exteris longa annorum ſerie Nittrienſi Epiſcopatui plurima damna illata fuiſſe, ejus Bona, villas, latifundia everſa, itaque attenuata, ut ad congruam Antiſtitis ſuſtentationem haud ſuffectura eſſe cenſerentur; atque ideo optimis Regibus noſtris viſum erat, expectandum eſſe tempus, dum Eccleſiæ huic ab S. Stephano Rege conditæ ſua reparentur latifundia, & reddantur; ac tum demum Epiſcopus præficiatur: interim vero, ne quid detrimenti grex Domini pateretur, Diœceſis Strigonienſis Antiſtitis curæ commiſſa, per Præpoſitum, qui una Vicarius eſſet, regeretur.

Rurſum ad Colomanni legem confugit.

Redit Adverſarius ad Colomanni Legem XXII. Ejus hoc in genere argumentum non aliud eſt, quam:

Durum olus, & populi cribro decuſſa farina. Pers.

Infit ille: *non fuit igitur Epiſcopatus Nittrienſis a S. Stephano ſive inſtauratus, ſeu conditus, ſed ab hinc, quam is Regnum in decem Epiſcopatus diviſit, ſolum Præpoſitura Major--fuit.* Etenim *Colomanni Lex XXII. vetat judicium ferri fieri, niſi in Sede Epiſcopi, & Majoribus Præpoſituris, ut Poſonii, & Nittriæ.* (a) Tædet me eadem toties, & tamen oportet, repetere. Tempore Colomanni Nittriæ ſolum Præpoſitura fuit, igitur Nittrienſem Epiſcopatum S. Stephanus non condidit. Argumentum hoc ne hili eſt: & conſequens, & conſequentia falſa ſunt. Satis, ut reor, docui, Epiſcopatum Nittrienſem a morte S. Regis per multiplicia bella everſum eſſe, & in Vicariatum deſiiſſe: igitur ut verum eſt, ſub Colomanno Nittriæ fuiſſe Præpoſituram, ita falſum eſt, ſub S. Stephano non fuiſſe Nittriæ Epiſcopatum. Quod vero Crito noſter pro adſtruenda ſua opinatione crebra verborum jactatione adducit, alga vilius eſt, & cum eandem incudem tundit, non plus proficit, quam prius.

Ut

(a) Diatr. pag. 40.

Ut illi rem hanc velut manu contrectabilem faciam, sciat non esse apud Historiæ Ecclesiasticæ peritos novum, quod dicamus, per varias hostium incursiones Nittriensis Episcopatus latifundia, ac quod hinc efficitur, redditus, ita attrita fuisse, ut alteri Antistiti Diœcesis subjici, & in Vicariatum migrare debuerit. Possem plures in orbe Christiano Episcopatus recensere, qui, ex iisdem plane causis, eandem cum Nittriensi sortem subierunt: Verum, ne, quam velim, longior evadam, Adversarium solum ad conterminam Nittriæ Moraviam duco. Plerorumque opinione tempore S. Ambrosii Archi-Episcopi Mediolanensis, ut Sunniam Nittriensium, ita Fretellam, seu Fridericum Olomucensium Episcopum Anno CCCXCVI. factum fuisse. *(a)* Quis, & an aliquis ejus Successor fuerit? nemo hactenus certo asseverare ausus est, sed rerum Bohemicarum, & Moravicarum probati Scriptores consentiunt in conjectura, quod Episcopatus Olomucensis bello in primis Attilano eversus sit, & usque ad Annum DCCCXXIV. Moravia proprio Antistite caruerit. *(b)* Hoc deinde anno Mogemyrus Moraviæ

Sed frustra.

 seu

(a) Vide Stredov. Mor. Sacr. Hist. Lib. V.

(b) Szalagius pag. 255. scribit, *Episcopatum Nittriensem ab Urolpho Laureacensi Archi-Episcopo institutum esse, certum est.* Quod ex Eugenii II. PP. Epistola elicere satagit, in qua Ecclesia Nittriensis *Nova* nominatur, tum quia Pontifex ait: *modo constituti vobis Episcopi.* At, at in eadem Epistola hæc habentur: *In quibus partibus quondam - - in septem Episcoporum Parochias Antecessores sui* (Urolphi) *jure Metropolitano obtinuerant Diœcesim:* Item: *quatenus dudum illic constitutorum Episcoporum numerus impleatur.* Vid. Epistolam Tom. VII Concil. Item ap. Hund. Metr. Salisb. Tom. I. pag. 316. Goldast. Append. Docum. pag. 482. Pessina Marte Mor. Lib. I. Cap. III. Schænleb. Annal. Carniol. Par. III. pag. 410. Stredov. S. Morav. Hist. Lib. I. Cap. XI. pag 68. Ex his vero patet, ante Urolphi tempora fuisse erectos Moravicos Episcopatus, quos inter dubio procul Nittria; sed etiam eversos fuisse apparet, quos deinde Urolphus ab Eugenio II. uti Legatus Missus restauravit, & Episcopos postliminio constituit. Certe id Pontifex diserte affirmat hisce verbis: *Ad restaurationem Ecclesiarum - - idoneis Viris ad hoc ministerium electis: maxime in illis locis - - ordinentur Antistites, ubi indicia Ecclesiarum, & ædificiorum Sedes Pontificales olim fuisse demonstrant.* Cum ergo Nittriæ Urolphus constituerit Episcopum, utique indicia Sedem Episcopalem olim illic fuisse deprehendit. Hinc *nova* quidem postliminio erat Nittriensis Ecclesia, & Antistites recenter constituti; falsum tamen, quam quod falsissimum est, Urolphum illas primum erexisse. Alias sequeretur, quod omnes illos Episcopatus, qui in regionibus Hunniæ, seu Avariæ, Moraviæ, Mæsiæ, & Provinciis Pannoniæ, ad quas missus erat Urolphus, primus erexerit, quod omnino ridiculum est. Proinde Episcopatum Nittriensem restituit,

ſeu Rex, ſeu Dux, nam non omnibus idem eſt ſenſus, ad cohortationes Urolphi, Epiſcopatum Olomucenſem, aliosque, per Fritigildam Marcomannorum, & Moravorum Reginam conditos, atque etiam ſubinde everſos, rurſum erexit, & Urolphus Patavienſis Antiſtites Methudium I. non illum S. Cyrilli, alias Conſtantini Philoſophi fratrem, Olomucio, Alvinum Nittriæ, & Annonem Vetvaro præfecit, & conſecravit. Igitur, ut vult Stredovſzkius, Methudius I. erat ſecundus Olomucenſium Antiſtes, qui Anno DCCCXL. e vita migravit. (a) Ab hujus obitu denuo Sedes Olomucenſis deſtituta erat Antiſtite usque Annum DCCCLXI. quo S. Methudius II. datus illi Epiſcopus eſt. (b) Methudio ſucceſſit Slavamirus Anno DCCCLXXIV. & obiit DCCCLXXX. Hunc excepit Joannes I. & mortuus eſt Anno CMIX. Ab ejus exceſſu Olomucium rurſum ob crebras bellorum procellas caruit Epiſcopo usque Annum MLXIII. quo Moraviæ Ordines a Bratislao Duce petiverunt, ſibi dari Epiſcopum. Annuit eorum precibus Dux, & Severum Pragenſem Epiſcopum, cujus jurisdictioni Olomucium, atque adeo everſæ Sedes Epiſcopatuum Moravicorum, ſubjectæ erant, quasque per Vicarios ſuos adminiſtrabat, ſvaſionibus delinivit, ut pateretur ab ſe avelli Moraviam, ac, quod hinc conſectaneum eſt, redditus, qualescunque illi eſſent, ex extinctis Epiſcopatibus promanantes. Poſtquam huic non iniquæ petitioni conſenſiſſet Severus, annuente Alexandro II. PP. Moravis datus eſt Epiſcopus Joannes Canonicus Pra-

---

ſtituit, reſtauravitque Urolphus Metropolita, non autem primus inſtituit. Certe neque, Hanſizius accuratus talium inveſtigator, auſus eſt ita dictatorie, ut facit Salagius, ſententiam pronuntiare; inde eſt, quod Germaniæ Sacræ Tom. I Coroll. II. dubitans, quod in rebus ad liquidum nondum deductis, prudentis Scriptoris eſt, hæc ad nos transmiſerit: *Urolphus Hunnorum, & Moravorum Apoſtolus, ubi Regibus, & Optimatibus converſis, quatuor Epiſcopatus conſtituit, an inſtituit?* Perperam igitur, & prorſum intemperanter ludicris verbis mihi inſultat Salagius.

(a) Stredovſzkio adſtipulatur Peſſina Mar. Mor. Lib. I. Cap. I. & Balbinus Epit. Rer. Bohem. pag. 13. nec diſſentit Hanſizius Germ. Sacr. Tom. I. pag. 152. ſic ſcribens: *At in Moravia Sedes Speculunenſis, cui Methodius præerat, diutius perſtitit. Scribit enim Balbinus, & Peſſina Methodium ad Annum usque DCCCXL. præſedisſe, ubi & adnotant Methodium iſtum fuiſſe natione Illyricum, diverſum a Methodio Græco, qui poſtea cum Cyrillo fratre has in partes venit.*

(b) Stredovſzkius loco cit. Cap. VI. vult SS. Cyrillum, & Methudium non alio, quam anno DCCCLVI. in Moraviam veniſſe. Aliis opinio illius diſplicet. Mihi vero his immorari non vacat.

Pragênſis, (a) qui primum quidem Poleshovii Sedem habuit, ſed quam biennio poſt Olomucium tranſtulit. Ex his liquido conſtat, Moravicos Epiſcopatus primum ab Attila everſos fuiſſe, & deſiiſſe: ac quatuor circiter ſæculorum intervallo Moravos ſine proprio Epiſcopo vixiſſe. Reſtauravit illos deinde Mogemirus Dux, aſt iterum ob varios bellorum motus viginti & uno annis nullus ibi erat Epiſcopus, id eſt ab Anno DCCCXL. ad DCCCLXI. Denique iisdem ex cauſis ab Anno CMIX. ad MLXIII. ſeu ſpatio annorum CLXIV. caruit proprio Epiſcopo infelix Moravia. Illis autem temporibus, quibus nullum apud ſe Antiſtitem habuit, ceſſarunt nomina Antiſtitum Moravicorum, & nihilominus collapſæ Diœceſes Pragenſium Epiſcoporum Paſtorali ſollicitudini commiſſæ erant, quas illi per ſuos Vicarios, & Archi-Presbyteros gubernabant: imo etiam Epiſcopis Patavienſibus pro ratione temporum id oneris incumbebat, ut patet ex ſerie Epiſcoporum apud Stredovſzkium.

Quis jam prudens dubitabit, ſimili plane ſorte etiam Nittriam, quæ viciniſſima Moraviæ, imo aliqua recenſiti temporis parte, Moraviæ portio fuit, afflictam, paribus, aut etiam iisdem cladibus Diœceſim Nittrienſem vaſtatam, Templa proſtrata, Epiſcopatum denique everſum, cum antea, tum poſt obitum SS. R. Stephani? (b) Quid ergo

(a) Iſte poſt tempora SS. Cyrilli, & Methodii primus Olomucenſium Antiſtes erat, & faventibus Vratislao Bohemiæ, Conrado, & Ottone Moraviæ Ducibus circa Annum MLXV. Sedem Epiſcopalem Olomucium Poleſchovio tranſtulit. Fere omnes quidem rerum Bohemicarum Scriptores tenrur, hanc translationem primum ab Andrea Dubravitio factam fuiſſe. Sed id erroneum eſſe Tabulæ authenticæ evincunt. Hammerſchmid in Hiſt. Viſchehrad Lib. I. Cap. I. §. III. pag. 122. producit Tabulas Fundationis a Vratislao II Eccleſiæ Viſchehradenſi ante Annum MLXX. datas, in quibus Epiſcopus Olomucenſis beneficum ſe in dictam Eccleſiam exhibuiſſe commemoratur. Poſtquam vero Vratislaus Anno MLXXXVI. in Regem ublimatus erat, & Privilegia Eccleſiæ Viſchehradenſis novo Diplomate confirmaſſet, ſubſcriptus ibidem legitur Vazilo, ſeu Venceslaus Epiſcopus Olomucenſis, ut eſt apud eundem Hammerſchmid pag. 127. Venceslaus iſte ſucceſſit Joanni, Venceslao vero Anno MXCII. Andreas Dubravitius tertius Olomucenſium Epiſcopus. Præterea Alexander II Papa in Literis de Anno MLXX. quibus ratam habet fundationem Eccleſiæ Viſchehradienſis, meminit Epiſcopi Olomucenſis, qui certe alius a Joanne non erat. Sed hæc Bohemis, & Moravis relinquo.

(b) Scripſi olim Diſſert. meæ pag. 38. cum de Nittria agerem, Adelramum Eccleſiam Nittrienſem conſecraſſe: quodque ea ætate Epiſcopatus Nittrienſis Salisburgenſem

Epi-

go mirum, quod vetuſtiſſima, florentiſſimaque Diœceſis, aut Epiſcopatus Nittrienſis in Præpoſituram abire, Archi-Epiſcopi Strigonienſis curæ, & poteſtati ſubjici, ac per ejus Vicarios ad eum plane modum, quo Eccleſiæ Moravicæ per Archi-Epiſcopum Pragenſem, gubernari debuerit? usque dum videlicet, uti in Moravia, ita & hic, ea, quæ iniquitate temporum everſa ſunt, repararentur. Unde luce meridiana clarius conſit, quod tametſi Eccleſia Nittrienſis ſub Colomanno Rege, ut habet lex XXII. Præpoſitura duntaxat Major, cujus Rector, Vicarius Archi-Epiſcopi Strigonienſis erat, fuerit; nunquam tamen fuit ſimillima, quod Notter manifeſta injuria aſſerit, Poſonienſi; hæc etenim nunquam habuit ſuum proprium Epiſcopum, ſed ſemper ab ſui erectione Præpoſitura ſolummodo erat. Hæc ſi adhuc

---

Epiſcopum, ſuum agnoverit Metropolitam. Id paradoxum videtur Salagio, & pag. 257. immodica licentia me exagitat. Ait ille, Adelramum eodem cum Urolpho Moravorum Metropolita tempore vixiſſe, quod ex Anonymo Scriptore Converſionis Carantanorum probat. Quomodo ergo, inquit porro, hoc tempore Epiſcopatus Nittrienſis Salisburgenſem ſuum Metropolitam agnovit? Si enim tum ſuperſtes fuit Alevinus Nittrienſis Epiſcopus, is Urolphum, non Adalramum agnovit Metropolitam: ſi vero ille jam obierat, incredibile eſt Adelramum vivo Urolpho ſe Nittriæ pro Metropolita geſſiſſe. Hoc Salagii argumentum omnino vacuum eſſe mox demonſtrabo: nunc vero retorqueo. Inſipiens ſit, qui dubitet Eccleſiam Nittrienſem ab Adalramo Juvavienſi, ſeu Salisburgenſi Archi-Epiſcopo conſecratam, quod etiam Salagius ultro affirmat. Jam: ſi tum in vivis erat Alevinus, is ut Urolphum, non Adelramum ſuum agnovit Metropolitam, ita Eccleſiæ conſecrationem Urolpho, non Adalramo deferre poterat, & debebat: ſi vero Alevinus tum jam mortuus fuit, incredibile eſt, Urolphum & Moravos, quorum hic Metropolita fuit, admiſſuros fuiſſe, ut Adalramus Eccleſiam Nittrienſem conſecraret, tanto magis, quod inter hos duos Metropolitas ingens diſſidium jurisdictionis cauſa enatum fuerit. Sed denudanda infirmitas argumenti Salagiani eſt. Mihi, ut, quod ſentio, ediſſeram, valde mirabile eſt, quod bonus ille Anonymum de Convers. Carant. pro ſe citare audeat: quem ſi non ignave legiſſet, vix id auderet. Nam ille diſertis verbis ſcribit, ab Adalramo Archi-Epiſcopo Salisburgenſi Nittrienſem Eccleſiam conſecratam fuiſſe, in quam Archi-Epiſcopi Salisburgenſes perpetuo miſſis huc Archi-Presbyteris jus ſuum *poteſtative exercuerunt*, ſunt verba Authoris, *usque dum quidam Græcus Methodius nomine, noviter inventis Slavinis Literis, Linguam Latinam, doctrinamque Romanam vileſcere fecit cuncto populo*. En! hujus teſtimonio Archi-Epiſcopi Salisburgenſes usque ad adventum Methudii, hoc eſt, poſt tempora etiam Urolphi perpetuo *poteſtative* jus Metropoliticum in Epiſcopatum Nittrienſem exercuerunt. Unde non peritiſſime ſcripſit Salagius *incredibile eſſe, vivo Urolpho Adalramum ſe Nittriæ pro Metropolita geſſiſſe*. Audiat, quid hac de re ſentiat Hanſizius, cujus labore in ſuo opere libenter eſt uſus. Is Germ. Sacr. Tom. I. pag. 150. num. IV. relata decantata Eugenii II. Epiſtola ita habet: *Quibus Metropolis Laureacenſis reſtituta videri poterat, niſi Adalramus Juvavienſis conceſſioni Leo-*

huc pertinaci cerebro quis negare pergat; quid dicam? ſectatur — ὄνειροι ἀμήχανοι, ἀκριτόμυθοι. (a)

Cætera, quæ Hypercriticus noſter ad Legem XXII. pro lubitu commentatur, extra rhombum ſunt. Confundit Sedem Epiſcopalem *Vacantem* cum *Deſinente*. Diverſa ſunt hæc. Sedes Epiſcopalis per mortem, tranſlationem, depoſitionem, ſeu privationem Vacans, a Juriſconſultis nuncupatur: at propterea Epiſcopatus manet, & per Capitulum, vel Capitularem Vicarium adminiſtratur. Deſinit autem Sedes, quando ex legitimis cauſis quæpiam Diœceſis alius Epiſcopi poteſtati ſubjicitur, qui illius Epiſcopus proprius fit, quamque per ſuum Vicarium moderatur. Ita deſinens Epiſcopatus vel retinet priſtinum ſuum nomen, vel amittit, prout nempe illi, quorum intereſt, judicaverint. Taliter cum amiſſione nominis deſierunt veteres illi Epiſcopatus

Epiſcopatum vacantem cum deſinente male confundit.

Leonis III. & Caroli Magni inſiſtens, jus pariter Metropolitanum in Pannoniam, & Moraviam ſibi vindicaret - - Illa ejus (Urolphi) *ad prædicandum, & gubernandum tra smiſſio ni ultra poteſtatis ei contulerat, quam alias ſoleret Archi-Epiſcopis Regionariis.* Audia' & tamen hac ipſa Epiſtola Eugenius Urolphum Metropolitam Moravorum creat. Idem Hanſizius Num. VI. pag. 151. ait: *Eum* (Ludovicum) *ſecutus eſt in Panno niam Adalramus, atque - - ad Privinam Moravorum Nittrienſium Ducem - - Legatus, ibi Officium Metropolitanum exercuit, Eccleſiamque conſecravit.* Rurſum *Urolphus litigandum habuit cum Juvavienſibus, pro quibus Ludovicus Rex ad norma conceſſionis Carolinæ Año DCCCXXIX. ſententiam prouuntiavit, ſtatuitque, uti - - Urolphi autem Metropolis deinceps intra Moraviam ſolum conſtitit.* Adhucne incredibile videtur, Adalramum vivente Urolpho Nittriæ ſe pro Metropolita geſſiſſe? Proinde Salagius illa mea pag 258. nec ſatis perite, nec ſatis urbane *Ganotzii commentum* vocitat, quam ſcribendi rationem vere ſervilem eſſe, nemo non videt. Cæterum ſciat Vir bonus, haberi probatos Scriptores, qui recte libratis antiquis Salisburgenſes inter, & Patavienſes de Pallio Archi-Epiſcopali litibus, & hanc Eugenii II. & poſteriores quasdam Epiſtolas ſubleſtas eſſe volunt, etſi illa a Pagio, aliisque adoptata ſit. Plura adferunt, quibus id evincant, ut: Veterum Francicorum Scriptorum ſilentium: Vetuſtiſſimos Catalogos Epiſcoporum Patavienſium; qui Urolpho non niſi unum circa Annum DCCCVI. Epiſcopatus annum concedunt. Id quod etiam ex Hanſizio diſcimus, qui Concil. V. num. VI. & VII. ſic habet: *Urolphus factus Patavienſis Epiſcopus DCCCIV. Hatto ſuperpoſitus Urolpho DCCCVI. Reginarius ſuperpoſitus Urolpho DCCCXVII. qui obiit DCCCXXXVIII.* Complura item Diplomata adferunt, quæ fidem faciunt, his ipſis temporibus Reginarium fuiſſe Patavienſem Epiſcopum, neque uſpiam nominari Archi-Epiſcopum &c. Vide Paul. & Franc. Mezger Hiſt. Salisburg. Lib. III. Hundius quidem, & Gevoldus nituntur iſta conciliare, non ob id tamen in Salagio illiberalem dicacitatem, & non optimam Hiſtoriæ cognitionem deſinit notare atrox illa contumelia: *Ganotzii Commentum.*

(a) *Fatua, atque expertia ſomnia ſenſus.*

Moraviæ, & Laureacenſibus, Patavienſibus, Salisburgenſibus, ac Pragenſibus Archi-Epiſcopis pro temporum varietate ſubjecti erant, atque ſubinde aliqui eorum etiam reſuſcitati: taliter etiam Nittrienſis conditus, & everſus, reſtauratus, & iterum atque iterum everſus, tandem Archi-Epiſcopo Strigonienſi ſubjectus, atque per ejus Vicarium, qui una Major Præpoſitus erat, procuratus fuit. Ac proinde nullum ſcientibus Leges negotium faceſſit Noſter, cum ait: *Vacante Sede non ceſſat Epiſcopatus, itaque cum Lex clare diſtinguat Præpoſituram Nittrienſem a Sede Epiſcopi, Major ſolum Præpoſitura, non item Epiſcopatus Nittriæ erat.* (a) Bene habet! idem ego teneo. Loquitur autem de tempore Legis ſub Colomanno conditæ, alias ineptiret, quod dicere nolo; & tunc certo non erat Nittriæ Epiſcopatus, ſed ſolum Præpoſitura, & Vicariatus.

Quid ultra? fortaſſe arguet: Ergo etiam tempore S. Stephani Præpoſitura duntaxat, non Epiſcopatus Nittriæ fuit. Manum de tabula: ſecus teſtes poſco. Si Nittriæ tempore S. Stephani Præpoſitura ſolum, & Collegiata Eccleſia, ut illi placet, cum Capitulo fuit; doceat nos, dicat nobis, proferat tandem: Quisnam fundaverit hanc Præpoſituram cum Capitulo? quo tempore? qua occaſione? Marce, non fit hoc verbis: Documenta peto. Hic profecto pedibus, & manibus in luto hærebit, nec unquam emerget. Cæterum, ne Virum doctum nimium adſtringam, ſatis mihi erit, ſi vel veſtigium fundatæ Nittriæ Præpoſituræ, & Collegiatæ Eccleſiæ producat. Difficile eſt rei, quæ vera non eſt, veſtigium invenire. Nam illud prorſus inficetum eſt, quod poſt Wichingum, qui Anno DCCCLXXX. Nittravienſium Epiſcopus factus fuit, (b) Epiſcopatus quidem partim ob gentium, qui circum Nittriam degebant, barbariem, partim ob lites inter Metropolitas Juvavien-

(a) Diatr. pag. 41.

(b) Pray Hier. Eccl. Par. I. pag. 361. Vichingum ab Joanne Papa IX. Ordinem Pontificalem Anno DCCCLXXX. cum Infula Nittravienſi adeptum eſſe, Platinam forte ſecutus, perperam ſcribit. Certum enim eſt, ex ſerie Pontificum Romanorum, & Chronologica ſupputatione, Joannem VIII. Vichingi Promotorem fuiſſe. Vide Fleüri Hiſt. Eccl. &c.

enſem, & Laureacenſem obortas ceſſaverit; Canonici tamen ibi perduraverint, quibus ſubinde S. Stephanus Præpoſitum adjecit. (a) Hoc ipſum enim doceri jure cupimus. Dicat, quis illi veterum Scriptorum facem prætulit; nullus ſane, ſive exterorum, ſive domeſticorum monumenta evolvamus: vacua ſunt ab his næniis Tabularia, quibus certiora aſſervari aſſolent: niſi dicere malit, Literas Fundationis a tineis, & blattis, aut muribus comeſtas eſſe. Scimus aliorum Capitulorum Cathedralium, & Collegialium origines: ſcimus etiam minorum Abbatiarum, & Præpoſiturarum incunabula: & Præpoſituræ Nitrienſis, ac Capituli, atque Eccleſiæ Collegialis, vel hoc ſolo nomine inſignioris, initia prorſus ignoremus? imo nec hariolari audeamus? Dura Lex! ſed illis per quam neceſſaria, qui prius quam rationes, ut oportet, bene librent, æſtu intemperantiæ, aut improbabili libidine Adverſarium ob id ſolum, quod in verba eo-

(a) Hoc Cl. Pray l. c. pag. 362. argumentum eſt, ſed quam infirmum, ſatis apparet. Communis Scriptorum ſenſus eſt, poſt obitum Vichingi nullum amplius Nittriæ ſediſſe Epiſcopum. Poſt mortem enim Arnulphi Imperatoris Hungari Moravorum Regnum, & rem Chriſtianam penitus everterunt, ut locuples teſtis eſt Luitprandus. *Primo*, inquit, *mortis Arnulphi, natique ejus anno Hungari permagno collecto exercitu, Maravanorum gentem - - ſibi vindicant, caſtra diruunt, Eccleſias conſumunt.* Et nihilominus audet Noſter ſcribere, Nittriæ quosdam ex Sacerdotum Collegio usque ad tempora S. Stephani ſuperſtites remanſiſſe: quod S. Stephanus adjecto Præpoſito reſtauravit, quin Epiſcopatum reſuſcitaſſet. Illud hic non omiſero, quod illuſtre membrum Ven. Capituli Nittrienſis ad me peſcripſit, & Deſericius Lib. V. pag. 181. refert hoc tenore verborum: *Divus Proto-Rex Stephanus - - Capitulum equidem Cathedrale conſtituit hic Anno MIV. repertis in Eccleſia S. Emerammi novem Sacerdotibus, citra omnem fundationem Deo famulantibus, & vicinis populis, aqtue Marcomannis etiam ſpiritualia exhibentibus officia, Canonicosque ſemet vocantibus, ne per conquiſitionem victus, & alimentorum a Divinis avocarentur ſervitiis, attribuit, & donavit non ſolum pagos, & prædia, verum & nonnullas Decimas: quin eo decoravit privilegio, ut in publicis Regni Conventibus primum a Capitulo Metropolitano Strigonienſi locum obtineant.* Ex his nequit quidem uti res certiſſima inferri, a S. Stephano & Præpoſituram, & Epiſcopatum Nittriæ conſtitutum eſſe; utrumque tamen præſtitum fuiſſe, veriſimillimum evadit. Quis enim ſibi perſuaſerit, S. Stephanum tam eximio *Præcedentiæ* honore cumulaturum fuiſſe Capitulum, quod Epiſcopo proprio carere voluerit, cuique pagos, prædia, decimas attribuerit. Certum tamen ex iis fit, a S. Stephano Nittriæ *Cathedrale* Capitulum, non vero Collegiatum inſtitutum eſſe, quod collatum præcellentiæ privilegium evidenter oſtendit. Nolim autem quis arbitretur, quod cum Adverſarium adſtringo, velim innuere, Præpoſituram non eſſe a S. Stephano conditam; nihil minus: ſed Præpoſituram junctim cum Capitulo *Collegiatæ* Eccleſiæ per S. Regem fundatam eſſe, quod Noſter vult, doceri poſco. Et hoc ſolum, tamquam falſiſſimum, a me impugnari, declaro.

eorum non juret, aut ſe ſe typis prodere audeat, inſectandi, laceſſendi, criminandi abrepti, ea chartis illinunt, quæ per vanum phantaſma viderunt.

Utinam Crito noſter illa; quæ hoc in argumento nobis inclamat, authoritate quoque firmaſſet, qua ſine rem nulli veterum memoratam ſcribenti, merito fidem non habemus. Quæ enim adfert, majorem etiam nodum efficiunt; quem ipſum adeo ſuis conjectationibus non ſolvit, ut intricet potius, & indiſſolubilibus plexibus conſtringat. Verba autem luxare, ſententias ingratiis torquere, non eſt ex norma Critices ſumptum. Simile eſt illud quoque, quod Noſter ſubnectit, videlicet, Poſonienſis Præpoſitura in memorata Lege XXII. ante Nittrienſem nominatur, itaque illa videtur fuiſſe magis præcellens: proinde Nittrienſis Præpoſitura minus, quam Poſonienſis ex dignitate Epiſcopatus participavit. Quid hoc Criterii eſt? Dum Leges conduntur, non attenditur præcellentia Locorum, & Perſonarum: modo prius nominantur Digniores, alias poſterius, quin ulli inde præjudicium inferatur. En! in eodem Decreto Colomani Lex V. ita habet: *Epiſcoporum, vel Comitum Capellani per ſigillum Epiſcopi, vel Archi-Epiſcopi ad cauſandum cogantur.* Lex XVI. *Piſcinas Monaſteriis, vel Eccleſiis datas.* Lex LXVI. *Presbyteri, & Abbates - - Eccleſiæ decimationem perſolvant.* In Decreto II. S. Ladislai: Lex XLI. *Si quis Nobilium, ſeu Militum, aut Comitum.* Ergo, ſi Noſtrum audimus, quia Archi-Epiſcopus poſtponitur Epiſcopo, Eccleſia Monaſterio, Abbates Presbyteris, Comites Militibus, dicere oportebit, præcellentiores eſſe Epiſcopos Archi-Epiſcopis, Monaſteria Eccleſiis, Presbyteros Abbatibus, Milites Comitibus. Ut præclarum hoc effugium eſt!

In Jurisprudentiam peccat.

Sed obſecro, quid illud ſignificat: *Nittrienſis Præpoſitura minus, quam Poſonienſis ex dignitate Epiſcopi participat?* (a) Quid dignitatis ex Epiſcopatu in Præpoſituram dimanet? in nullo ſane Legum ſeu Eccleſiaſticarum, ſive Civilium Codice, in nulla Theologia, Bio- aut Bibliographo, imo ne in Lexicographis

(a) Diatr. pag. 41.

phis quidem inveneris. Sicubi, profecto in hac ſcena Noſter Heautontimorumenos eſt. Et nunquid Cl. D. Author perſuadet ſibi, vel potius, aliud credens, nobis perſuadere nititur, utramque Præpoſituram, Nittrienſem videlicet, & Poſonienſem, Collegiatæ Eccleſiæ fuiſſe? utramque Archi-Epiſcopo Strigonienſi ſubjectam? etſi igitur plane peregrina illa loquendi ratio hic locum inveniret; non video, cur una plus, altera minus e Dignitate unius ejusdemque Archi-Epiſcopi Strigonienſis participaret? ita quemvis ſani judicii mecum exiſtimaturum arbitror. Inanis proinde Adverſarii argutatio, hallucinationi proxima, nemini, ſi modo inter cordatos ſit, perſuadebit, Præpoſituram Poſonienſem Nittrienſi præcellentiorem fuiſſe, illamque præ hac plus ex Dignitate Epiſcopi participaſſe. Itaque Noſter *ſomnium narravit, purget ſe flumine.*

Supereſt adhuc elegans, hoc eſt, ſuperioribus par, Noſtri oratio. *Cæteroquin*, inquit, *ſi Nittriæ prius fuiſſet Epiſcopus, & tempore Colomanni a Vicario adminiſtratus, ſine omni dubio* (quæ hæc confidentia!) *præponenda erat Poſonienſi.* (a) Doctorum de trivio vulgus novit, Nittriæ non ſolum Epiſcopatum, ſed probabilius Archi-Epiſcopatum etiam fuiſſe: ergo, ſi quæ illius argumento vis ineſt, ſine omni dubio in Lege XXII. præponenda erat: at poſtpoſita eſt: quid tum poſtidea? Erravit Colomannus, errarunt Status, & Ordines Regni Hungariæ, atque jura *Præcedentiæ* ignorarunt. Ita, qui ultra moderatam criſim aguntur, turpiſſime ruunt. Reluctabitur Noſter, & vociferabitur: ſemet ad tempus S. Stephani reflexiſſe, & dicere voluiſſe: Si Nittriæ ætate hujus S. Regis fuiſſet Epiſcopatus, qui deinde bellorum procellis attritus in Vicariatum deſiit, dubio procul præponenda erat Præpoſituræ Poſonienſi Nittrienſis. At hoc quoque inane effugium eſt; quid enim intereſt, ſeu paucis ante S. Stephanum annis, ſive non multis ab ejus obitu, everſus ſit Epiſcopatus Nittrienſis? ſemper verum manet, Nittriam ſuum habuiſſe Epiſcopum, non item Poſonium: ac proinde, ſi Noſter rite argumentatur, ſemper Nittrienſis præponenda erat Præpoſituræ Poſonienſi,

(a) Diatr. pag. 42.

quia illa plus, ut Adversarii verbis utar, ex dignitate Episcopi participavit: & quia Lex XXII. illam huic postposuit; rursum consectaneum est, & Colomannum, & Regni Ordines in condenda Lege, aut ignorantes, aut oscitantes fuisse: quod tamen asserere, & frivolum, & absurdum esse merito existimamus. Unde quid ex hoc ejus Achille extundi possit, facile quivis intelligit. Ita illius Libelli solentes peccant. *(a)*

Per-

(a) Non possum hoc loco non meminisse insignis calumniæ, quam innocuo certe mihi Cl. Pray inurere haud erubescit. Pag. 42. in nota imæ marginis hæc de me scribit: *Cl. Noster Criticus non veretur legentibus palpum obtrudere, cum scribit: Ego autem - - dico Bestertum Nittriensem Antistitem fuisse, ita enim apud - - Thurotzium, Bonfinium, Surium, constanter legi.* Ex his meis subinfert, quod cum nec Thurotzius, nec Bonfinius Nittriæ, cum de Besterto agunt, Besterti vero Surius ne verbo quidem meminerint, ego legentibus palpum obtrudam. Hic in Adversario aut imperitiam, aut non bonam fidem etiam nolens notare debeo: aut enim non intellexit, quod ego scripsi, aut si intellexit, mea sane inique detorquet. Impugno ego Dissertationis meæ pag. 48. Samuelem Timon, qui, ut videtur, primus, nullo veterum præeunte, nil pensi duxit affirmare, Bestertum Præpositum Nittriensem, non autem Episcopum fuisse. Contra hunc Scriptorem ego memorata verba protuli, quorum profecto non alius sensus est, quam: Tu fateris Bestertum Nittriæ Præpositum, & negas Episcopum fuisse. Sed ego apud Thurotzium, & Bonfinium lego, Bestertum istum fuisse Episcopum non vero Præpositum. Rursum, quamvis Surius non nominet Bestertum, scribit tamen duos Episcopos cum S. Gerardo interemptos esse, quos Thurotzius Buldum, & Bestertum vocat, & quia scribit Timon, hunc Bestertum Nittriensem fuisse; tacita confessione Timonis, Bestertus ad mentem Thurotzii, Bonfinii, Surii, Nittriensis Episcopus erat: hoc est, Surius duos Episcopos cum S. Gerardo martyrio affectos esse affirmat: hos duos Episcopos Thurotzius, & Bonfinius pariter Episcopos, & Buldum, ac Bestertum vocatos fuisse ait: & quia Timon Bestertum Nittriensem fuisse agnoscit; certo arguitur ex testimonio Thurotzii, Bonfinii, Surii, Bestertum Nittriensem Episcopum fuisse. Certe, si quis meum ibidem contra Timonem argumentum recto animo expenderit, animadvertet, verbis meis nihil aliud inesse. Et quomodo ego ex illis tribus Scriptoribus, qui ita vulgares sunt, ut ubivis prostent, omniumque terantur manibus, palpum legentibus obtrudere velim? si vel tantillum judicii possideo, vereri merito debebam, ne in mala fide ab ipsis Historiæ tyronibus deprehendar. Ultro porrigitur mea providentia. Unde si perversæ interpretationi, aut curvæ menti præmium aliquod positum; Cl. Pray suo jure hic habeat: & desinat tandem male olente, quali fere ubivis uti assolet, crisi, vera scribentem lacessere. Tale est illud, quo orationem hac de re suam in me coronat: *Et audet*, inquit, *Timoni, qui Bestertum Nittriensem Præpositum fuisse dicit, obstrepere? & tam illiberaliter, & tam non bona fide?* Bonam fidem ipse sententiæ contextus, recte judicare solitis, liquido docet. Cur autem Timoni falsa referenti, non audeam obstrepere? Is egregius Scriptor est, sed Delphos non vidit, estque ævi nostri, & nullo seu veterum, seu recentiorum sibi prælucente, sine teste, sine documento, non est veritus scribere, Bestertum Præpositum solum, nequaquam vero Episcopum Nittriensem fuisse. Hæc dixi: an id est *illiberaliter obstrepere?* tenemurne, si rectam crisim sequimur, Scriptori novo, rem novam, nec ulli antea memoratam scribenti, confestim credere? Insipiens profecto ejusmodi fides esset,

Pergit porro Criticus Noſter inanibus me fatigare quæſtiunculis. *Quæro*, ait, *cur Capitulum Nittrienſe, ſi Epiſcopatus hic a Stephano conditus, vel inſtauratus eſt, non habeat Præpoſitum? cur Diœceſis Epiſcopi ſolo Comitatu Threnchinienſi, & minima particula Comitatus Nittrienſis circumſcribatur? cur item totus fere Comitatus Nittrienſis ſit in Diœceſi Strigonienſi? (a) Cur præterea noluit munificentiſſimus Rex Capitulo Nittrienſi de Præpoſito proviſum? (b)* Nebulæ! Ad primam quæſtionem paulo poſt reſpondebo. Duas poſteriores a paritate Vacienſis Epiſcopatus explano. Hunc Adverſarius a S. Stephano erectum eſſe plenis animis pronuntiat in ſua Diſſertatione; quæro ego, & illius verbis, quod in Prælocutione concedi mihi petivi, utor: Cur Diœceſis Epiſcopi Vacienſis una ſolum parte Comitatus Peſtinenſis, & una parte Comitatus Szolnokienſis, & parvulo Comitatu Cſongradienſi Neogradienſis, atque circumſcribatur? conſtat enim bene magnam, & fortaſſe majorem Comitatus Neogradienſis partem ad S rigonienſem Diœceſim attinere, in quo facile XXX. Paræcias ad ſuam jurisdictionem ſpectantes numerat. Cur item bona hujus Comitatus pars Archi-Epiſcopo Strigonienſi pareat? an S. Rex profuſiſſimus in res Sacras, tam arctos limites huic Epiſcopatui poneret, ut tam parvum terræ tractum in ſua Diœceſi complecteretur? Certe Chartuitius de S. Stephano Fundatore Epiſcopatuum Hungaricorum ſic ſcribit: *Ipſe vero Rex Epiſcopia nuper incæpta - - ampliſſimam ſingulis aſſignans Diœceſim - - regaliter diſpoſuit.* Si ergo S. Stephano non indignum eſſe Noſter putat, quod Vacienſem Diœceſim ita coarctaverit cur indignum cenſeremus Nittrienſem perinde circumſcriptam eſſe? Scimus enim iſtam Paræcias XCIII. in ſe complecti, quot Vacienſis non numerat. Viden? quomodo jacula in caput Auctoris recidant. Etſi autem prius mihi reſponſum dari jure poſcere

Ejus Inanes quæſtiunculæ proponuntur, & diluuntur.

(a) Diatr. pag. 42. Suſpicor partem Nittrienſis Comitatus ad Strigonienſem acceſſiſſe ob geſtam Diœceſis curam tempore ceſſationis. Quo autem jure id factum? non attinet indagare.

(b) Neſcio cur Cl. Pray id quærat? vult cum larvis pugnare? ego enim nuſpiam dixi, ab S. Stephano Nittriæ Præpoſituram non fuiſſe fundatam; imo erat, ſed everſis Sacris, & latifundiis, Epiſcopatus, in Præpoſituram migravit, id eſt: caruit Nittria Epiſcopo, & Diœceſim Præpoſitus, qui una Vicarius fuit, adminiſtravit.

possem, nihilominus ut ostendam, quam nimium famigeratæ sint illius interrogationes, respondere non abnuo.

Præpositura, ut notum est, caruit hactenus Chathedralis Ecclesia Nittrienſis, ejus causas genuinas, & irrefragabiles si quis investigare velit, is sane oleum, & operam, & cum his etiam rationem perdat, necesse est. Mea autem conjectura hæc est: postquam Episcopatus Nittrienſis ab S. Stephano fundatus, multiplici hostium incursione eversus fuit, & in Præposituram, seu Vicariatum desiit: ac rursus restauratus, Episcopum nactus erat, admodum tenues fructus reddiderit, uti id ex Diplomate Belæ III. Noster perhibet. (a) Unde instaurantis Regis pia voluntate, annuente, ut credere par est, Romano Pontifice Præposituræ Nittrienſis redditus adjecti sunt Episcopalibus, ut Antistes congrue vivere possit, & tum, ut antea Episcopatus, Præpositura desiit, quam Anno primum MDCCLXXIX. singularis Augustæ Mariæ Theresiæ pietas restituit. (b) Ineptum certo est affirmare, ideo

(a) Hoc loco Cl. Pray argumento utor: falsissimum tamen est, quod ille pag. 43. ait, videlicet, Uladislaum II. Abbatiam de Dömös Episcopatui Nittrienſi *ob penuriam* in perpetuum conjunxisse; certum enim est, Antonium Verantium hanc Præposituram per Cambium pro Arce Hritso, & Dominio Bittse obtinuisse. Documentum Vir quidam Eruditus propediem, ut spero, vulgabit. Illud etiam hinc patet, Cl. Pray seriem Episcoporum Nittrienſium, & Chronologiam rursum non modice hiare.

(b) Nondum est superatum, quisnam Regum eversum Nittrienſem Episcopatum post ætatem S. Stephani restituerit? Zacharias Mosotzius Episcopus Nittrienſis opinatur, Geysam II. fuisse, sed non optime. Is enim Anno MCLI. regnare cæpit, cum tamen in Literis *Adjudicatoriis* Feliciani Archi-Episcopi Strigonienſis legamus Anno MCXXXIII. adeoque ante Geysam II. Annis XVIII. Nicolaum fuisse Episcopum Nittrienſem, igitur prius jam reparatus fuit Episcopatus iste. Cl. Pray pag. 44. putat a Bela II. instauratum esse sumpto argumento ex memoratis Feliciani Literis. An id ad conciliandam fidem sufficiat? non volo inquirere. Ratio certe per Nostrum addita, minime conciliat, quia videlicet, ita ille, cum Abbas Zoborienſis fundorum Abbatiæ suæ terminos Anno MCXIII. repararet, Episcopus Nittrienſis, aut e us Vicarius, non leguntur adfuisse. Vertebatur enim ejus causa coram Curiali Comite Cepha, cui judicio non oportebat Episcopum, aut ejus Vicarium præsentem esse. Cæterum, neque id exploratum est, an Godefridus Abbas cum Episcopo, vel cum alio finium causa collíserit? si cum alio? Episcopus in pacifico usu suorum fundoru n persistens, nec debebat adesse. In Hier. Eccl. pag. 363. aliam quidem causam reddit, sed quæ perinde jejuna est, *quoniam*, inquit, *anteriorem Nicolao Episcopum, qui Nittrienſi Ecclesiæ præfuisset, nemo hactenus memoriæ prodidit.* Hoc si valet, suopte efficitur, Episcopatum Varadinensem ab Colomanno fundatum fuisse, quoniam anteriorem Sixto Episcopum, qui Varadinenſi Ecclesiæ præfuisset (Colomannum enim Noster rejicit) nemo hactenus memoriæ prodidit.

ideo caruiſſe Præpoſito Capitulum Nittrienſe, quia ex Collegiali factum eſt Cathedrale: nonne enim palam notum eſt, plures Collegiatas Eccleſias in Cathedrales evectas eſſe, & nihilominus Præpoſito etiam potiuntur? (a) Et ſi illa vera eſſent, aliquod ſaltem id confirmans exemplum proferendum foret. Aliunde igitur id repetendum habemus. Sed unde? niſi ab acciſis, attenuatisque Epiſcopalibus proventibus. Si cui vero hæc conjectura noſtra haud probatur, producat, per me licet, ſi poteſt, meliorem. Cur porro Diœceſis Nittrienſis ſolo Comitatu Threnchinienſi, & una particula Nittrienſis circumſcribatur? ſane nec Noſter, etſi Archi-Critonem ſe ſtatuat, nec ego, nec ullus alius cauſam aliam reddet, quam Regum noſtrorum, & Pontificum voluntatem. An non meminit jam Noſter S. Stephanum in Literis fundatæ ab ſe Abbatiæ Sacri Montis Pannoniæ edixiſſe: *Quod ſi licuit mihi, quo volui loco Epiſcopatus - - ſtatuere, an non licuit cuipiam loco, quod volui, ut facerem?* Si igitur S. Regi ita placuit, ut factum ipſum docet, non eſt cur Adverſarii cupidini vellificemur, nosque in illius ſimilibus opinationibus detineamus. Uni Epiſcopo plures, alteri pauciores Comitatus attribuere placuit, quod videmus. Cur autem ita placuerit? noſtrum non eſt indagare.

Poſt hæc percontatur ex me Adverſarius: *Cur noluerit munificentiſſimus Rex Capitulo Nittrienſi de Præpoſito proviſum?* ajo, providiſſe, qui etiam poſt everſum Epiſcopatum perduravit, ut Colomanni Lex XXII. liquido probat. *Quo gentium hæc Præpoſitura poſt Colomanni ætatem translata eſt? quis illam abolevit?* Reſpondeo: non eſt translata, ſed ejus redditus, reſtitutis redditibus Epiſcopatus conjuncti ſunt, & illa ceſſavit. Per illum vero Hungariæ Regem abolita eſt, qui Epiſcopatum Nittrienſem vel fundatum, vel inſtauratum, tum injuria bellorum everſum, reſtituit. (b)

(a) Munificentia Caroli VI. Imperatoris Capitulum Colocenſe poſt liminio Anno MDCCXXXIII. reſtitutum eſt, quin ei Præpoſitus Major usque Annum MDCCXLVII. datus fuiſſet. Quod ſi Cl. Pray illo tempore ſcripſiſſet, & argumentum ejus vel hili eſt, vereor, ut ſcripturus fuiſſet: Eccleſiam Colocenſem per Carolum VI. ex Collegiata in Metropolitanam evectam eſſe, quia nempe caruit Præpoſito. Ita argumenta illius ſolida ſunt.

(b) In imæ marginis nota probare vult Adverſarius, ex Strigonienſi Diœceſi Nittrienſem Epiſcopatum exciſum eſſe, ſequenti argumento: *Liquet id etiam ex hoc capi-*

Ex his noſter ita, ſubtiliter ſcilicet, raciocinatur: *Hæc ſuadent; ſicut Præpoſitura in Epiſcopen migravit, ita ex Præpoſito factum fuiſſe Epiſcopum; proinde Collegiatam Eccleſiam in Cathedralem eſſe converſam.* Cedo; Præpoſitura in Epiſcopen migravit, ſeu converſa eſt: Cedo: ex Præpoſito factus eſt? Epiſcopus: Ergo Nittrienſis Eccleſia Collegiata fuit Ergo ex Collegiata facta eſt Cathedralis? Quæ hæc Logica? an id modi argumentatio non ſit ad Lappones releganda? His de Nittrienſi ſub Regibus Hungariæ Epiſcopatu expeditis, jure cum Horatio in Noſtrum ludo:

\- - - - - - - amphora cœpit
Inſtitui, currente rota cur Urceus exit? *de Art. Poët. v.* 21.

§. V.

Adverſarii quoad Pannoniæ deſcriptionem calumnia convellitur.

Poſtquam Crito noſter ſuperius mihi exprobraſſet, quod narrationem meam de Epiſcopatu Nittrienſi ab exitu ſæculi IV. orſus ſim, modo ipſe ille cancrino more eo regreditur, ut Herculi Lindio amplius ſacrificet: ac cum minatur multa, extricat pauca. (a) Scribit, Pannoniam a me non peritiſſime deſcribi. Valde hic æſtuat, & ſecum, nam ego tacui, per novem paginas diſputat: Initium ſumit a belliſſima exclamatione: *Quis unquam vel per otium ſomniavit, Pannoniam Orientalem trans Danubium, utramque Vagum amnem porrectam fuiſſe?* (b) Re-

---

capite, quod & in Strigonienſi, & Nittrienſi Capitulis detur Archi-Diaconus Nittrienſis, qui in iſto nomen Cathedralis obtinet, quod niſi Epiſcopatus Nittrienſis ex Diœceſi Strigonienſi fuiſſet excifus, nunquam futurum erat. Habemus hominem domi! Hoc argumentum & illummet perimit, & tam inficetum eſſe, ut illi exterendum ſvadeam. An non habetur & in Strigonienſi, & in Vacienſi Capitulis Archi-Diaconatus Neogradienſis? Ergo dicamus Vacienſem quoque Epiſcopum ex Strigonienſi excifum fuiſſe? cum tamen utrumque Noſtri opinione, & fors eodem plane tempore S. Stephanus condiderit. Sed parce dum eſt Viro, cui jura, & conſuetudines Capitulorum ignorare, piaculo dare non poſſumus. Reducam ego illum ad viam. Sciat itaque Hungaricos Archi-Diaconatus nomina ſua ſortiri a Comitatibus, in quibus Epiſcopus jurisdictionem Spiritualem exercet; quia igitur in Nittrienſi Comitatu & Strigonienſis, & Nittrienſis Antiſtites jurisdictionem exercet, conſectaneum eſt, ut & in hujus, & illius Capitulo Cathedrali Archi-diaconatus detur. Idem eſto de Neogradienſi. Hoc equidem in orbita eſt.

(a) Diatr. pag 45.
(b) Diatr. pag. 46.

Rectum habet; at neque ego uſpiam hoc ſomnium narravi. Nuſpiam mihi Pannoniæ deſcriptionem, aut diviſionem ſumſi. Argumentum duntaxat pro aſſerenda vetuſtate Epiſcopatus Nittrienſis ex Epiſtola S. Piligrini Laureacenſis Archi-Epiſcopi ad Benedictum Papam ſub Annum CMLXXV. data depromſi. In ea cætera inter hæc habentur: *Quia & quondam Romanorum Gepidarumque tempore proprios ſeptem Epiſcopos eadem Orientalis Pannonia habuit.* Et hinc eſt ille ingens Adverſarii clamor, quod nempe hujus teſtimonii authoritate Nittrienſem Epiſcopatum in ſeptenario illo Epiſcoporum Pannoniæ numero comprehenſum conjectaverim. Id feci, & non obſcure patere ex ipſa illa Epiſtola etiamnum exiſtimo. Iſta, poſt Verba: *Septem Antiſtites eadem Orientalis Ponnonia habuit,* iſthæc ſubnectit: *quorum etiam quatuor usque dum Hungari Regnum Bojoariorum invaſerunt, ſicut præſenti cognitum eſt ætati, in Moravia manſerunt.* Hæc autem S. Piligrinum ex Epiſtola Eugenii II. ad Duces, & Epiſcopos Hunniæ, & Moraviæ ſcripta, ſumſiſſe, nec dubito; nam eodem ferme tenore verborum Eugenius ſic ſcribit: *In quibus etiam quondam Romanorum quoque Gepidarumque ætate, ut e lectione certum eſt, in ſeptem Epiſcoporum Parochias* - - Igitur de illis ſeptem Epiſcopatibus loquitur Piligrinus, de quibus Eugenius. Iſte vero non ſolam Pannoniam Orientalem intelligit, verum etiam alias Ditiones his expreſſas verbis: *In præfatis Regionibus Hunniæ quæ & Avaria apellatur, ſed & Moraviæ, Provinciarum quoque Pannoniæ, ſive Mæſiæ Apoſtolicam vicem Noſtram -- S. Laureacenſis Eccleſiæ Archi-Epiſcoporum committimus.* Proinde Piligrinus quoque de Plaga etiam trans Danubiana, ultraque Vagum amnem porrecta, & ſignanter de Moravia, quam ſi quis alibi quærat, otio abutetur, loquitur, ad hanc vero Moraviam tum pertinuiſſe Nittriam, plus quam certum eſt. Si quis in Piligrini Epiſtolam error irrepſit, quod ſolum *Orientalem* Pannoniam nominet; ut non meus, ſed Piligrini eſt, ita ob id plane indignum in modum Noſter me laceſſit, (c) ego enim Piligrini verba integre, ni temerarius ſim, referre debui: corrigendi, aut

(a) Szalagius Lib. III. pag. 244. pari ferocia ob id me lacerat.

aut voces vocibus ſubſtituendi poteſtatem mihi ſumere non potui: animadverſionem autem adjicere non placuit, quia id ſcopum meum non attinebat, & Adverſarium Piligrini Epiſtolam recte intellecturum arbitrabar.

Ex Epiſtola S. Piligrini.

Porro: ſcitum eſt illud, quod Luitprandus (*a*) ſcribit; Hungaros intellecta Arnulphi Imperatoris morte continuo Moraviam invaſiſſe: ejus verba ſunt: *permagno collecto exercitu, Maravanorum gentem, quam virtutis eorum adminiculo Rex Arnulphus ſubdiderat, ſibi vendicant, Bojoariorum etiam fines occupant, caſtra diruunt, Eccleſias conſumunt, populos jugulant, & ut magis magisque timeantur, interfectorum ſe ſanguine potant.* Id quoque neminem latet, quod hoc tempore tractus Nittrienſis Moraviæ Ducibus paruerit. Unde ex Epiſtola S. Piligrini liquido conſtat, ad annum usque CM. ex ſeptem illis Epiſcopatibus quatuor in Pannonia, & Moravia ſuper fuiſſe: quos inter etiam Nittrienſem prudenti conjectura numeramus. Id quod mirum in modum memorata Eugenii Pontificis, quam año DCCCXXIV. ſcripſit, Epiſtola confirmat. Ejus inſcriptio ſic habet: *Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Radfredo Favienſis, Methodio Speculunenſis Eccleſiæ, atque Albino Nittravienſis & Annoni Vetvarienſis Epiſcopis.* Ad hæc, palam omnibus eſt, Hungaros ſeu prius, ſeu poſt irruptionem in Bojoarios factam, Moravos invaſiſſe, eorum Regiones vaſtaſſe, & Epiſcopatus, quod etiam Piligrini Epiſtola clare indicat, evertiſſe. Iſthinc conficitur, & S. Piligrinum de Moravicis quoque Eccleſiis, adeoque de plaga & cis- & trans Danubiana, ultraque Vagum amnem porrecta, etſi forte in voce: *Orientalis* Pannonia (*b*) aberraverit, locutum fuiſſe; & verba S. Piligrini prorſus ad Epiſcopatum Nittrienſem attinere: & a me plane appoſite ad firmandum argumentum meum adducta eſſe; nullum item prudentis dubitationis locum iis relinqui, qui notitiam Hiſtoriarum, rectæque criſis uſum habent: mihi denique ab Adverſario falſo dicam impingi. Quid ad hæc? dicet ne adhuc ſomnium? eſt ſomnium, ſed a porta eburnea.

Ni-

(*a*) Luitprandus Lib. II. Cap. I. Vid. etiam Steindel. Chron. ad. an. CM. in Herm. Contr. not. Caniſii. ad. c. an. Reginon. Chron. Lib. II. ſed ad an. CMI.

(*b*) Multa hic, non dicam dubitari, ſed refutari poſſent, ſi animus eſſet minutiſſima quæque ſectari, vel aliena a propoſito.

Nihilo æquius me noſter carpit ob Diploma Ludovicianum. Etſi enim Ludovici Pii, Caroli Magni filii, a me productum Diploma, ad quod eneruandum deſcriptionem Hunniæ, & Avariæ inani opera Adverſarius ex præliminaribus Diſſertationibus II. & III. Hieronymi Pez, tacito nomine, egregie exſcripta, ſi illud ſolum ſpectetur, non plene ſufficiat ad confirmandam opinionem de reſtaurato Epiſcopatu Nittrienſi per Carolum M. ut noſter recte obſervat: quod ſi tamen Diplomati illi cætera, ad rem facientia, adminicula, ut oportet, adjiciantur; poteſt omnino prudens opinio ſtabiliri, quod inter Eccleſias, quas Carolus M. confecto bello Hunnico, reparari juſſit, etiam Eccleſia Nittrienſis fuerit, quodque illi Epiſcopus quoque datus ſit. Totam vim argumenti ſui inde ſumit Adverſarius, *quod tempore Caroli, ea ditio, in qua Nittria eſt, ad Hunniam non ſpectaverit: nec Carolus illo arma unquam protulerit.* (*a*) Videamus, quam vere hæc oſtententur. Item e Diplomate Ludovici Pii.

Bellum quidem Carolus M. adverſus Moravos geſſit, adeoque in ditionem, in qua Nittria eſt, arma protulit. Peſſina (*b*) ſcribit, quod cum Carolus M. anno DCCXCI. bipartito exercitu, Hunnos aggredi ſtatuiſſet, ipſe per Noricum cum Francoribus, & Bavaris in Pannoniam penetravit. Saxones vero, Friſones, & Thuringi, Ducibus Theodorico, & Megnifredo per Bohemiam & Moraviam iter facere juſſi, Mnatam quidem Bohemiæ Principem faventem habuere, & liberum tranſitum impetravere. Sed Samoslaus Rex Moraviæ non tam facilis fuit, qui ſecundo Caroli exercitui ingreſſum in ſuam Regionem denegavit. Theodoricus, & Megnifredus accepta repulſa ferociores effecti, armis ſibi viam paraverunt, & Moraviam cædibus, rapinis, ferro, & igni vaſtaverunt. Teſtes hujus belli Peſſina appellat, Blondum, MS. Comenii, & MS. Erythræi, atque narrationem ſuam hiſce coronat: *Cæſar ratum habuit, ita tamen, ut falſorum Deorum ſuperſtitionibus ejuratis, Chriſtianæ diſciplinæ ſacra amplecteretur, iisque populos ſibi ſubjectos imbui ſineret.*

(*a*) Diarr. pag. 49.
(*b*) Peſſina Mar. Morav. Lib. II. Cap. IV.

Idem de hoc bello sentit Stredovskius (a) & producit ms. Christiani Hirschmenzl: Idem habet Belius (b) non absimiliter Aventinus (c) his adstipulari videtur, cum scribit, quod Carolus Magnus devictam Moraviam & Pannoniam Arnoni Archi-Episcopo Salisburgensi cum Metropolitica dignitate subjecerit. Hanc Caroli ordinationem, ut testes sunt, Magnus Reicherspergerus (d) & Goldastus. (e) Adrianus Papa ratam habuit anno DCCXCII. Pagius id serius factum fuisse arbitratur, & ad annum DCCCXVI. rejicit. Dückerus vero (f) scribit non ab Adriano, sed a Leone III. regiminis anno tertio, hoc est, anno DCCXCVIII. Pallium missum fuisse, & Bullam Pontificiam producit. A prioribus etiam Flaccius Illyricus (g) non dissentit. Taceo plures: utcunque autem hæc sint, de quibus nonnulli dubia excitare volunt.

Et ex Caroli M. bellis contra Moravos gestis.

Illud tamen caret omni dubio, quod Carolus per Sclavorum ditiones anno DCCCV. arma circumtulerit. Annales Metenses, & Moissiacenses (h) testantur, Carolum magnum missso in terram Sclavorum, qui Bohemi erant, Carolo Rege Filio suo, Bohemos armis petiisse, magnaque clade affeciisse. Præcipuam belli hujus causam fuisse vetustissimi Annales Francici (i) perhibent, quod Sclavi finitimi Hunnos Francorum clientes infestarint; adeo ut horum Chaganus, quemadmodum Regino (k) narrat, Thudunus nomine ad Carolum confugere necesse habuerit, petiveritque locum pro habitatione sibi tribui, quia veteri sede crebris vicinorum Sclavorum incursionibus depulsus fuit; quod ipsum Annales Francorum (l) his ver-

(a) Stredovs. Morav. S. Lib. I. Cap. X.
(b) Bel. Notit. nov. Hung. Tom. I. P. Spect. Sect. I. Cap. II. §. VI.
(c) Avent. Annal. Boj. Lib. IV. & V. pag. 391.
(d) M. Reichers. in Chron.
(e) Goldast. Regn. Boh. Libro. V. Pag. 715.
(f) Dücker in Chron. Salisburg.
(g) Flacc. Illyr. in Catal. testium verit. in Method. Illyr.
(h) Annal. Metens. & Moissiac. ad h. a.
(i) Adhelm. seu Ademar. in Annal. Francor. an. DCCCV. in princ. Aimoin. Lib. IV. de gestis Francor. Cap. XCIII. Rudolph. Fulden. in Annal. Francor. ad h. a. Calvisius in Chronol. h. a. cæteri.
(k) Rhegin. Chron. ad h. a.
(l) Annal. Francor. Fulden. ap. Freher. Tom. I. pag. 18.

verbis expediunt: *Caganus. habitandi locum accepit, eo, quod Slavis infestantibus pristinas sedes habitare non potuit.* Jordanus (a) hujus expeditionis etiam alteram causam addit, quia videlicet Bohemi cum Moravis adversus Carolum M. fœdus pepigerunt. Et quamvis exserte non affirmet, exercitum Caroli in Moraviam irrupisse, id tamen in dubium revocari nequit; liquet enim Carolum anno isto arma in Bohemos sumsisse, liquet etiam bellum isthoc ea de causa exarsisse, quod Slavi in fines Thuduni non raras excursiones fecerint: cujus injuriam Carolus ferro vindicare constituit: quis vero sanus nesciet, excursionum istarum magnam partem ad Moravos Hunnis limitaneos attinuisse? id circo hos correptis armis non modo e Thudini ditionibus ejecisse; verum etiam in ipsa Moraviae viscera, arma intulisse. Id, quod ex Annalibus Metensibus eruitur, ubi haec habentur: *Principes diversarum gentium in conspectu Regis Caroli pervenerunt*, qui nempe Bohemorum exercitui, tanquam fœderati se se conjunxerant. Imo Pessina (b) totum hoc Caroli bellum ad Moravos pertinuisse affirmat: etsi malim ad utrosque: quod Goldastus quoque adstruit (c) his verbis: *Bohemi ac Moravi Hunnos Francorum clientes infestant, & sedibus suis pellunt. Ideo Theodorus Hunnorum Caganus ad Carolum Imperatorem confugit, petitque sibi locum in Austria concedi, ubi secure habitaret, quum pellatur a Slavis.* Non me quidem latet, veteres rerum Francicarum Scriptores cum hoc Caroli bellum memorant, Bohemorum duntaxat meminisse. Ast scitum est, quod nomine Bohemiae apud veteres Scriptores non raro non sola Bohemia, sed junctim etiam Moravia veniat: ut apparet ex Helmoldi (d) testimonio. *Bohemia*, inquit ille, *habet Reges & viros bellicosos: plena est Ecclesiis, & Religione Divina: in duos discriminatur Episcopatus, Pragensem, & Olomucensem;* cum tamen Olomucium in Moravia esse, cognitum sit. Idcirco Carolus M. Moravos quoque anno isto perdomuit, sibique subjugavit.

(a) Jordan. Orig. Slavor. Num. MXV.
(b) Pessin. Mar. Mor. Lib. I. Cap. III. & Lib. II. Cap. IV.
(c) Goldast. Regn. Boh. Tom. I. Lib. II. Cap. I. pag. 146.
(d) Helmold. Chron. Sclav. quam in anno MCLXX. finit. ap. Leibn. Scrip. Bruns. Tom. II.

gavit. Unde recte ſcribit Jordanus: (a) Statuendum omnino eſt, Moravos, ſi non citius, ſaltem eodem tempore cum Bohemis, id eſt, DCCCV. poteſtatem Caroli M. reveritos eſſe. Quae omnia Eginhardus (b) fidelis Caroli Biographus egregie confirmat, ita enim habet: *Omnes barbaras, & feras nationes, quæ inter Rhenum, ac Viſtulam fluvios, Oceanumque, & Danubium poſitæ, lingua quidem pene ſimiles, ita perdomuit, ut eas tributarias effecerit.*

Ex his manifeſtum fit: Carolum M. adverſus Moravos anno DCCXCI. & DCCCV. bellaſſe: Moravos ejus imperio ſe ſe ſubjeciſſe: Moravis a Carolo Arnonem Archi-Epiſcopum Salisburgenſem præfectum fuiſſe. Nittrienſem plagam hac ætate ad Moraviam pertinuiſſe, pariter conſtat. Præterea ex Diplomate Ludoviciano certiſſimo tenemus, quod Carolus M. in ditionibus illis, quas ſeu armis, ſuæ ſubjugavit poteſtati, ſive apud eos, quos ultro ſe ſe dedentes, in clientelam recepit, *multas Eccleſias ob Dei reverentiam, & renovari, & a fundamentis exſtrui fecit.* Iſthinc ſuapte conſequitur: ex Ludoviciano Diplomate, quod affirmavi, junctim cæteris adminiculis, omnino prudentem opinionem ſtabiliri poſſe, inter Eccleſias, quas Carolus M. inſtaurari, renovarique juſſit, etiam Nittrienſem Eccleſiam fuiſſe, quodque reſtauratæ Epiſcopus quoque ſit præfectus: præſertim ſi incredibile, quo in dilatanda Chriſtiana religione flagrabat, ſtudium æqua lance libremus. Id ſane tam egregium erat, ut probatiſſimi Scriptores adſtruere non dubitent; multiplicium Caroli M. contra barbaras gentes bellorum præcipuam cauſam fuiſſe Chriſtiana ſacra, quæ pientiſſimus Imperator ultra proferre adlaborabat. Quid? quod Dreſſerius (c) ſcribat, Rombarium, vel Rimbarinum in conuertendis Moravis Anno DCCCVII. ſtrenuam operam adhibuiſſe: quod Carolo imprimis jure, meritoque tribuamus, neceſſe eſt.

Mi-

(a) Jordan. Orig. Slav. Tom. I. Cap. XXIX. §. XXVIII. pag. 222.
(b) Eginhard. in vita Caroli M. ap. Heinec. & Leukf. pag. 138.
(c) Dreſſer in Epiſc. Paſſav.

Mirum in modum confirmat ſententiam meam Aventinus (a) ad annum DCCCXXVIII. in hæc verba ſcribens: *Ludovicus Brynonem, qui & Privina quoque, Moravorum Regulum, qui trans Danubium in Aquilonari ripa habitabat, cum filio Hezilone ad ſe venientem benigne ſuſcepit, eundem in religione Chriſtiana inſtituit, Traiſmæ - - ſacro fonte abluit, & Rathobodo Legato ſuo commendat. Erant Brynonis Urbes Nittravia, Piſonium - - & Brinna, quæ adhuc ab eo nomen ſervat. Adelramus Archi-flamen Juvavienſis Nittraviæ Templum dedicat.* Quae de Baptiſmo Privinæ, ſeu Prinninæ, atque conſecratione Templi Nittrienſis narrat, certiſſima evadunt ex teſtimonio Anonymi de Converſione Bojoariorum, & Carentanorum. Igitur Anno DCCCXXVIII. Nittriæ Eccleſia jam etiam conſecrata fuit: & quadriennio ante jam exſtructa fuerit; manifeſtum enim fit ex Epiſtola Eugenii Papæ II. anno DCCCXXIV. Albinum, ſeu Alevinum Nittrienſium Epiſcopum fuiſſe. Quis vero Eccleſiam Nittrienſem exſtruxerit? Adverſario conjecturam meam nude repudianti, incumbit docere, quod tamen docebit nunquam. Non me quidem latet, eſſe nonnullos, qui arbitrentur, ab iſto Moraviæ Regulo, ſive Dynaſta Brynone Nittriæ Eccleſiam ædificatam fuiſſe; ſed omnino perperam. Nam ipſo illo anno, quo Bryno, ſeu Bruno ſacro latice tinctus erat, Eccleſia Nittrienſis per Adelramum conſecrata fuit: incredibile autem eſt, intra breviſſimum illud temporis intervallum, forte trium, quatuorve menſium ſpatio circumſcriptum, quod ille jam Chriſtianus Nittriæ exegit, elegantem Eccleſiam & conſtrui, & dedicari potuiſſe. Neque id ad veri ſimilitudinem accedit, quod Privina Æthnicæ ſuperſtitioni deditus, eam Baſilicam ædificare cæperit; nam id nec rei circumſtantiis convenit, nec ullo Documento, aut veterum teſtimonio Scriptorum probatur. Proinde recte obſervat Jordanus (b) exploratum eſſe, Brynonem ab anno DCCCXXVIII. quo videlicet Baptiſma recepit, usque annum DCCCXXXVII. nullam in Moravia Dominationem exercuiſſe; verum apud Rathbodum Imperatoris Legatum, velut Hoſpitem, privatam vitam

Hinc conſectaneum eſt, Carolum M. Eccleſ. Nittrienſem reſtauraſſe

(a) Avent. Annal. Boi. Lib. IV. pag. 295. edit. Baſil. MDLXXX. Annal. Fulden. etiam hoc Baptiſma ad an. h. referunt.

(b) Jordan. Appar. Hiſt. Num. CMLXXXIII.

egiſſe: ac ideo res Eccleſiaſticas tractare, Templa ſtruere, aut dotare haud potuiſſe, ac quod hinc efficitur, neque Nittrienſem Eccleſiam erexiſſe. At poſtquam Anno DCCCXXXVIII. ab Ludovico in priſtinam amicitiam interceſſore comite Salachone receptus erat, & Ditionem ad Savum amnem donum acceperat, illic, & non Nittriæ Deo Deique Genitrici Templum poſuit, quod Luitprandus Archi-Epiſcopus Salisburgenſis conſecravit, anno DCCCLVIII. Kal. Februar. in ejus munimento Mosburch dicto erectum (a) Ex his, ut dixi, clarum evadit: Anno DCCCXXIV. Nittriam ſuum habuiſſe Epiſcopum: quadriennio poſt ejus Eccleſiam per Adelramum ibidem conſecratam fuiſſe: Hanc Eccleſiam Brynonem haud ædificaſſe; neque alium. Ejus Conditorem ſtatui poſſe. Conſtat etiam Carolum M. anno DCCCXIV. e vita migraſſe. Idcirco prudentem hinc conjecturam enaſci neceſſe eſt, quod videlicet Carolus M. poſtquam ſibi cæteras inter gentes etiam Moravos ſubjugavit, Princeps cultus divini, & Chriſtianæ Religionis ſtudioſiſſimus, Nittriæ, quod & alibi magna cum laude factitabat, Eccleſiam olim florentiſſimam, ſed injuria temporum collapſam, rurſus erexerit, atque Paſtore providerit: aut certe cæptum opus perficiendum Filio Ludovico Pio moriturus commendarit, qui Patris ſui ſanctum conatum æmulaturus Baſilicam exædificavit, memoratoque anno conſecrari procuravit. Ad quod Eugenius II. reſpexiſſe videtur, in Epiſtola ad Epiſcopos, Duces, optimates Hunniæ, ac Moraviæ anno. DCCCXXIV. exarata, in qua reliqua inter hæc habet: *Maxime in illis locis, ſi opportunitas, & utilitas commendaverit, ordinentur Antiſtites, ubi indicia Eccleſiarum & ædificiorum ſedes Pontificales olim fuiſſe demonſtrant.* Quia igitur juſſu Pontificis eodem anno datus eſt Nittrienſibus Epiſcopus, omnino credibile ſit, Urolphum iſthic reperiſſe indicia ſedis Pontificalis, quæ etiam Carolus antea invenit, & ideo Templum ibidem erexit. Certe: ſi nec Fridegilda, nec Carolus Nittriæ Eccleſiam condidit, quod noſter vult, affirmandum erit, Urolphum Pontificis mandato haud ſatis feciſſe, eo quod in loco ubi nulla indicia ſedis Pontificalis reperit, Epiſcopatum inſti-

(a) Anonim. de converſ. Bojoar. & Carant.

instituerit. Quod, ut cum tam claris, quæ hactenus adduxi, testimoniis vehementer pugnat, ita prorsus arbitrarium est. Statuendum proinde est, Episcopatum Nittriensem ab Carolo M. restauratum, Ecclesiamque inibi aut plene exstructam, aut incæptum opus Ludovico Pio perficiendum relictum fuisse: Urolphum vero id modi sedis Pontificalis indiciis repertis, Alevinum ab Eugenio II. ordinatum Nittriensem Episcopum, cujus sedes tum vacabat, constituisse. (a)

Idcirco, quamvis verum sit, Diploma Ludovicianum Sacerdotio Passavienſi elargitum, solius Hunniæ memoriam facere, & Hunniam ad plagam trans Danubianam nunquam fuisse porrectam, (b) non tamen hinc confestim argui potest, præsertim si cætera quoque huc facientia spectentur, non posse prudentem opinionem stabiliri, inter Ecclesias, quas Carolus Magnus devictis populis instaurari fecit, Nittriensem quoque fuisse: ma-

---

(a) Balbinus Epit. rer. Bohem. Lib. Cap. X. I. ad annum DCCCXLIV. Scribit, Nittraviæ Regni Sede ab Adelramo Templum dedicatum fuisse. Quod falsum est. Et nec rerum, nec temporum rationi congruit.

(b) Hæc in gratiam solum Adversarii vera esse patiar, nam generatim sumendo falsissimum est, Hunniam, quæ & Avaria dicebatur, nunquam trans Danubium fuisse extensam. Quod more suo eruditissime probat Cl. Gelasius Dobner. Juvat ejus verbis rem proponere: ita autem Annal. Bohem. ad annum DCCXCV. Par. II. pag. 383. habet. *Thudun hic ad Historiam Moravorum pertinere mihi videtur, si scilicet & ea terrarum spatia spectemus, quae posterioribus annis tribui Marhansensibus in coævis legimus. Expensis namque diligentius vetustissimis Francorum Annalibus, palam fit, Thudunum hunc trans Danubianam ripam, atque verosimillime eam circa Waag flumen incoluisse, præsertim cum anno sequenti legantur Hunni omnes ex cis Danubiana ripa ultra Tibiscum remoti, Touduno autem huic sua integra, illæsaque perstiterint. - - Si eruditissimas quatuor dissertationes Doctissimi Viri Hieronymi Pezii, quas Tom. I. Scriptorum Austriæ præmisit, & præsertim Dissert. II. §. 8. & sequ. item Dissert. III. §. 11. &c. & 30. in consilium vocemus, inquiramusque, quænam illa proprie terra Avarorum fuerit? vetustissimis hic monumentis, & cumprimis Diplomatibus rem confectam videbimus: Caroli M. ævo ab Aniso fluvio, & altera parte a flumine Kamp utramque Danubii ripam in inferiorem Pannoniam procurrentem terram, Provinciam Avarorum Avariam, item & Hunniam appellatam, in eaque plures Slavicos sedisse populos, ut ita in propatulo sit, etiam Moravorum terras Danubio adsitas Hunniæ, & Avariæ nomine venisse: atque inde est, quod Eugenii II. Bulla terras Moravorum cum Hunnia his verbis conjungat: Ducibus, & Optimatibus, exercituique Hunniæ, quæ & Avaria dicitur & Moravia.* Hucusque Dobnerus. Liquet autem hinc etiam Moraviæ partem in Diplomate Ludoviciano nomine Hunniæ venire posse: & Hunniam ætate Caroli M. trans Danubium quoque porrectam fuisse: atque adeo Cl. Pray effata non semper certis Oraculorum responsis esse paria; imo persæpe majori pompa, quam veritate fundi.

maxime ſi expendere non pigeat, Carolum non modo in Hunnia, ſed & in aliis, armis occupatis Regionibus, Eccleſias alias quidem inſtauraſſe, alias vero a fundamento eduxiſſe. Non igitur, ut Crito noſter pro inveterata ſua humanitate declamat, (a) ingratiis, ac imperite Ludovici Diploma detorſimus, neque inter majora hiſtorica ſphalmata reponere oportet, ſi Eccleſiam Nittrienſem a Carolo Magno inſtauratam, & inſtauratæ Epiſcopum datum fuiſſe, conjectura aſſequi velimus.

Et certe, a paritate Epiſtolæ S. Piligrini, de qua ſuperius egimus, licet opinari, in Diplomate Ludoviciano nomen Hunniæ in lato ſenſu ſumi; neque enim Ludovicus ibi voluerit ad ſtrictas geographiæ regulas, Ditiones ſuas, aut Patris ſui Caroli deſcribere, ad eum plane modum, quo S. Piligrinus loquitur. Ille, etſi in Epiſtola ad Benedictum Pontificem exarata diſertis verbis ſcribat: *Septem Epiſcopos Orientalis Pannonia habuit*; tamen evidentiſſimum eſt, ab eodem nomen *Orientalis* Pannoniæ in lato ſenſu ſumptum fuiſſe, nec illum voluiſſe innuere ſolam Pannoniam, quam Ptolomæus circumſcribit ab occaſu Pannonia ſuperiore, quæ interdum Prima Occidentalis & Conſularis vocatur, & Arabonis (Ptolomæus Narabonem vocat) amnis oſtio; a meridie parte Illiridis, a Bebiis nempe montibus ad flexum Danubii, infra quem flumini huic miſcetur Savus; a Septentrione denique & Ortu Danubio, ab oſtio Arabonis ad oſtium Savi. (b) Non inquam hanc ſolam Pannoniam nomine Orientalis S. Piligrinus intellexit, verum illas etiam Regiones, quæ trans Danubium, & ultra Vagum excurrunt, atque a Marahenſibus Slavis poſſidebantur: id quod luce meridiana clarius evincunt ipſiuſmet S. Piligrini verba, poſtquam enim dixit: *Septem Epiſcopos Orientalis Pannonia habuit, & Mœſia meæ ſanctæ Laureacenſi cui ego indignus miniſtro Eccleſiæ ſubjectos*, confeſtim iſthæc ſubnectit: *quorum etiam quatuor, ſicut præſenti cognitum eſt ætati, in Moraria manſerunt.*

Au-

(a) Diatr. pag. 47. & 53.

(b) Subjicit hæc oculis in ſua Geographica Tabula Wolfgangus Lazius, quem videſis, uti & Beati Rhenani rerum Germanicarum Lib. I. pag. 25. & ſequ. ac Bilibald. Pirckheü pag. 667. & ſequ. edit. Argent. MDCX.

Audin' in Septenario Orientalis Pannoniæ numero Episcopatuum quatuor Moravici censebantur: & tamen manifestum est, Moraviam trans Danubium sitam esse, ac in Pannonia Orientali minime comprehensam. Non me quidem latet, Moraviam, quam Porphyrogenneta *Magnam* vocat, Sæculo IX. finiente jam multas Pannoniæ, cisdanubianasque Regiones comprehendisse. Id tamen, quod de quatuor perdurantibus in Moravia Episcopatibus Epistola dicit, ad solam Orientalem Pannoniam trahi non potest. Nam præterquam quod nemo sit par docendo, in Pannonia Orientali stricte sumta, ætate Piligrini quatuor exstitisse Episcopatus: præterea Piligrinus Pannoniam a Moravia, adeoque terras cis & trans danubianas exerte distingvit: proinde dum ex Septem Pannonicis Episcopatibus quatuor in Moravia permansisse affirmat, illam Moraviam, quæ trans danubiana, & Slavorum fuit regio, non voluit excluſam. Ad hæc Constantinus Porphyrogenneta (a) Regionem Sphendoploci magnam Moraviam vocat, notum autem est, hujus ditiones usque ad Dravum protensas fuisse; igitur in his Svatoplugi Regionibus quatuor illi Episcopatus permanserunt. Jam quæro: quo loco in terris Svatoplugi hi quatuor Episcopatus erant? quæ eorum nomina? Ego sane existimo, illos ipsos esse, quorum Eugenius II in Epistola sua meminit, id est: Favianensem, Speculi-Julienſem, Nittravienſem, & Vetvarienſem. Si cui hæc mea conjectura non probatur, quærat in Regione Sphendoploci per me licet alios quatuor Episcopatus, qui sub annum CMLXXV. extiterint! ast littus araturum jam modo pronuntio. Hinc consectaneum est, necessario dicendum esse: S. Piligrinum quemadmodum non voluisse geographicam terrarum descriptionem Pontifici obtrudere, ita nomen Orientalis Pannoniæ non in rigore normæ geograhicæ sumsisse, verum & ipsam proprie Pannoniam Orientalem, & vicinas illi Regiones, qualis dubio procul erat Marahensium, indicare voluisse.

Ad istum modum Ludovici Diploma explanare necesse est, quamvis enim illud solius Regni Hunnorum meminerit, & quam-

(a) Constant Porphyr. de admin. Imp. Cap. XIII. pag. 52. edit. Venetæ. Est autem eruditus hic Imperator ejusdem cum illa Epistola sæculi X. scriptor.

vis liberaliter demus eam ditionem, in qua Nittria eſt, ad Hunniam non ſpectaſſe, nihilominus ſi ex cauſa, & reipſa conjectura capienda eſt, ſi item eæ, quas retuli, rerum & temporum circumſtantiæ bene, ut oportet, librentur, neceſſum erit affirmare, ab Ludovico nomen *Hunniæ* in latiori ſenſu uſurpatum fuiſſe, nec aliud intentum, quam quod Pater ſuus Carolus M. ſicut Regnum Hunnorum, ita & huic vicinas Provincias, atque adeo etiam Moraviam, in qua Nittria ſita eſt, ſuæ ſubjiciens poteſtati, in honorem Dei Eccleſias, alias *renovari*, *alias a fundamento exſtrui fecerit* (a) Ac proinde, quod hinc efficitur, verba Ludoviciani Diplomatis ad Nittrienſem Epiſcopatum non detorquentur, quod Adverſarius injuria mihi appingit, quin potius prudenti conjectura appoſite referuntur. Unde ſemel ſevero Critoni noſtro dicam, raro divinationes noſtras, aut hæſitatiunculas temerarias eſſe, (b) Hæc quidem externa.

§. VI.

(a) Quod non obſcure ex Eginhardo Caroli M. Secretario, ſeu Cancellario, & deinde Genero colligi poteſt. Is in vita, & geſtis Caroli apud Reuberum Cap. XVII. pag. 28 hæc adnotavit. *Præcipue tamen ædes ſacras ubicunque in toto regno ſuo* (talis fuit etiam, quam ſeu armis ſibi ſubjugavit, ſeu in clientelam recepit, Moravia) *vetuſtate collapſas comperit - - ut reſtaurentur imperavit.*

(b) Non poſſum hoc loco ſilentio præterire inſignite falſam calumniam, quam Adverſarius in me Diatr. pag. 47. in nota conjicit, cum ſcribit: quod in Admonitione *ſequenti anno impreſſa ad meum MS. recurram, & mijer Typographus, in quem errorem detorqueo, de nihilo vapulet.* Nihil intemperantius in Virum honeſtum jactari poteſt, quam ſi mendacii poſtulatur. Non ſum ego ita eductus, ut talia patrem. Et quis illi ſuggeſſit, quod mea Admonitio *anno ſequente* ſit impreſſa? profecto non erubeſcerem fateri errorem, ſi modo res ita haberet, nunquam enim, ſero corrigitur error. Sed alibi, ubi ſimilem cantillenam rurſus occentat, hanc calumniam refellam, modo ajo in Ms. meo eſſe: *annis illis*, & incuria Typographi factum, ut ſubſtitueretur: *anno illo.* Res de qua agitur, in eo eſt, quod Carolus M. Ludovicum Filium ad ſedandas, quae inter Sclavos, & Hunnos exortæ erant, controverſias, in Pannoniam miſerit: id anno DCCCXI. eveniſſe, locuples teſtis eſt Pithæus, ſive Annales Francorum Fuldenſes ap. Freher. pag. 20. ubi ad hunc annum notantur ſequentia: *Tres quoque exercitus in totidem partes - miſſi - - alter in Pannonias ad controverſias Hunnorum, & Sclavorum finiendas.* Sed quæritur: an Adalramus Juvavienſis Pontifex fuerit in comitiva Ludovici? & dico, non potuiſſe eſſe; deceptus videlicet eram teſtimonio Authoris Hiſtoriæ converſionis Carentanorum, ſcribentis, ab Adalramo Nitervi, ſeu Nittriæ ædem Deo dicatam fuiſſe: & quia id ad propoſitum meum parum attinebat, Chronologiam inveſtigare intermiſi, opinabarque Adalramum ſacram hanc cæremoniam tum peregiſſe, cum Ludovicus juſſu Patris Pannoniam inviſerat, cum tamen certum ſit, id poſterius eveniſſe. Cæterum: quid adtinet

ad

§. VI.

IN domeſticis ſæpius itidem noſter Criticus exerrat. Fruſtra ejus veſtigium inter orbitas quæro; invenio tamen, ſed pone viam: iis ille curis, & occupationibus mentem diſtinet, quæ ego velut per tranſennam memoravi; & ideo raro centrum attingit: pedibus titubat, palpitat ſolum manibus. Acerrime me accuſat (a) quod Gyulam *Avunculum* S. Stephani: quod omiſſo veteri vocabulo *Chanadinam* Eccleſiam non *Moriſenam:* quod Belam I. *Pium* nominarim: plura alia his ſimilia protrudit. Iſte eſt ſcilicet ſcopus, & meæ & illius Diſſertationum. Sed ordinate procedamus, ſi tamen ejus Diatriba, quempiam ordinem, qui rectus ſit, admittat. Dixi: *Gyula Daciæ, & ripæ Iſtri præerat. Gyula ad ritus ſuos rediiſſe videtur.* Primum eſt affirmantis, alterum dubitantis: neutrum reſpicit Nittriam. Ille ait: *quæ de Iſtri ripa dicuntur cum conſtantini Porphirogeniti Thematibus omnino non cohærent: de Gyula autem ad ritus ſuos reverſo, manifeſtus error eſt.* (b)

In rebus domeſticis Adverſarii aberrationes.

Ad prius licebit mihi cum Ammiano Marcellino (c) dicere: Parcimus opinioni magnorum Authorum, quos toties in contradictionibus deprehendimus, de iis tantum, quæ veritati magis conſentanea videntur, in præſentiarum ſuccinctim dicturi. Ut res variant ſubinde, ita cum rebus Gentium, & Regnorum mutationes, ac deſcriptiones. Enim vero non pauci veterum ignorantia magis, quam malignitate ingenii falſi ſunt, & fefellerunt. Advertit id etiam Joſephus Flavius, qui contra Appionem vetuſtatem Judææ gentis docere volens, non eſt mirum, ait, ſi Græcorum priſci nullam Judæorum mentionem fecerint, cum vel vicinia illis ignota fuerit. Conſtat ſane Gallos & Hiſpanos

ad probandam Nittrienſis Eccleſiæ, de qua nobis lis interceſſit, vetuſtatem, an Adalramus fuerit in comitiva Ludovici nec ne? Unde eruat Lector, quam operoſe noſter in minutulis deſudet, nec tam ad ſtabiliendam ſuam opinionem argumenta conquirit, quam totus in eo eſt, ut in minimis magnus videatur, & odio, ac vindicta, non ratione, intentis viribus depugnat.

(a b) Diatr. §. V. a pag. 54. ad 70.

(c) Ammian. Marcell. Lib. XXVII. Cap. III.

adeo a Græcis ignoratos fuiſſe, ut Ephorus accuratiſſimus alioqui Scriptor, Hiſpaniam, unam Urbem eſſe putaverit. Utendum tamen eorum teſtimonio, ſed non ſine penitiori examine. Unde, quia terrarum limites illos eſſe duntaxat ſcimus, quos victoris, & fortioris voluntas, aut victi, & debilioris fixit impotentia, Daciæ nullos terminos ſtatuo: dicam ſolummodo, quid de illis Antiquitas. Eutropius (a) ait: Nervæ ſucceſſit Ulpius Trajanus natus in Hiſpania, is Daciam Decebalo victo ſubegit, Provincia trans-Danubium facta, in his agris, quos nunc Thaiphali, & Victophali, & Tervinghi habent. Ea Provincia decies centena millia paſſuum in circuitu tenuit. (b) Sextus Ruffus (c) Trajanus Dacos ſub Rege Decebalo vicit, & Daciam trans-Danubium in ſolo Barbarico Provinciam fecit, quæ in circuitu decies centena millia paſſuum habuit:

Addo his Lazarum Soranza hæc (d) ſcribentem: Habentur procul dubio Tranſylvani pro bellicoſiſſimis populis. Iſti cum Moldavis, & Valachis ſunt antiqui Daci, tantopere a Ro-

---

(a) Eutrop. Lib. VIII.

(b) Scitum eſt Dacos, qui etiam Tranſylvani, olim generali Scytharum nomine veniſſe. *Trebell. Poll. in Gall.* nominabantur Gothi. *ibid.* Gethæ. *Dion. in Domit.* Victophali, & Tervingi *Eutropius. Lib. VIII.* Pannones, Boſphori Accolæ, Traciæ vicini Barbari, Barani, Carpi, *Zos. in Valer. & Gal.* Peucini, Trutungi, Auſtrogothi, Sigipedes Heruli *Trebell Poll. in Claud.* Jaziges, Metanaſtæ. *Cario. lib. IV. & V. Chron.* Thauro-Scythæ *Zon. in Joan. Zim.* Marcomanni, Quadi, Jul. *capitin. Maxim.* Pannodaci *Laonic. Chalcocond. de rebus Turcicis Lib. V.* Taiphali *Paul. Diac. in Grat. Valent. II. & Theod. VII. Aurel. Vict. in Grat & Theod. Rom. in Conſt.* Gothi, Hypogothi, Gepidi, & Vandali, *Paul. Diac. in Theod. II.* Gantunni. *Flav. Vopiſc. in Probo. Ammian. Lib. XXXI.* Septem caſtrenſes *Philipp. Melancht. Frider. Taubman. ad II. Georg. Virgil.* Comani, *Nicep. Chon. de Imper. Manuel, Comn. Lib. V.* Ardeli, *Laon. Chalcocond Libr. VII. de rebus Turc.* Dacorum Regio vocabatur, Dacia mediterranea. *Ammian. Marcell. Libr. XVI.* cap VI. & IX. Dacia Ripenſis *Juſtinian. in Novell. XI. & CXXXI. Cap. III.* Illyricum, Mæſia, *Aurel. Vopiſc. in Aur.* cap. XI. Dacia tranſalpina. An hæc omnia recte ſtatuantur non eſt mei inſtituti perveſtigare.

(c) Sextus Ruff. Breviar.

(d) Verba Authoris in Ottone Parte III. Cap. LXXXVI. pag. 147. ſunt: *Sonoſenza dubio* i Tranſylvani Stimati de piu bellicoſi popoli, de gli antichi Daci, tanto temuti da Romani, ch havendo vinto ghi eſſerciti di Domitiano furono Sforzati eſſi Romani di pagar loro Tributo ſotto lo ſteſſo Domitiano ſotto Nerva, e nell principio dell' imperio di Trajano accioche à lor danni non paſſaſſero il Danubio.

Romanis formidati, & qui profligato Domitiani exercitu, coegere dictos Romanos, ut tempore Domitiani, Nervæ & initio Trajani, tributa sibi persolverent: ne trajecto Danubio damna illis inferrent. Proinde Cl. Joannes Severinus, Scriptor, ut Libri ejus indicant, acris & non vulgaris ingenii, argute loquitur (a) in hæc verba: *Dacia vero qua Pannoniam attingebat, Istro, qua ad occasum vergebat, Tibisco, ad ortum Tyræ fluviis terminabatur.* Ista mirum in modum confirmat apud Janum Gruterum (b) sub Trajano facta sequens inscriptio.

M. Papirio M. F. Cor.
Præf. Con. I. Pann. in Dacia
Præf. Ripæ Tibissi, Danvvii.
Curatori Pontis Aug. in Mœsia
II. Viro. Pop. plebsq. Ulpiæ Traja.
Sac. Patr. H. M. P.

Ex his manifesto liquebit Lectori, quam infeliciter noster Criticus ad Constantini Porphyrogeniti Themata confugerit. Cæterum immodica confidentia depromptam isthanc Adversarii crisim: *quæ de Istri ripa dicuntur, cum Constantini Porphyrogeniti Thematibus omnino non cohærent*, prorsus improbandam esse declaro. Legi, & non ignave, utrumque de Thematibus Porphyrogeniti librum, & cupio, ut eruditi quoque Lectores eosdem excutiant, & polliceor comperturos esse, omnino nihil illis, quæ de Istri ripa dixi, adversum ab se reperiri, extundive posse. Profecto si quid talium ipsemet noster ibi invenisset, id ad me deprimendum, qui unicus, summusque conatus ejus est, proferre haud neglexisset. Ut quid ergo umbras, ne quid amplius dicam, ostentat? (c)

In iis vero, quæ Crito Noster de Gyula Daciæ, & Istri ripæ Præfecto ad Christianam fidem conversio, & in fide sta- In Gyula Daciæ Præfecto.

(a) Severinus in Pannon. veter. monum. Lib. I. pag. 40.
(b) Gruter in Theat. Inscript. pag. 448. num. 3.
(c) Timon Hung. ant. Lib. III. pag. 365. Gyulam Daciæ, & Istri ripæ Præfectum nominat.

biliter permanente adfert, manifestus error est. Anonymus Belæ Notarius (*a*) sic de Gyula nostro scribit: *Sanctus Rex Stephanus subjugavit sibi terram Ultra-Sylvanam. & ipsum Geulam vinctum in Hungariam duxit - - eo, quod in fide esset vanus, & noluit esse Christianus.* M. Joannes de Thurocz (*b*) *Anno Domini MII. Beatus Rex Stephanus cepit Gyulam Ducem, cum uxore & duobus filiis ejus, & in Hungariam transmisit. Hoc autem ideo fecit, quia sæpissime admonitus a beato Rege Stephano, nec ad fidem Christi conversus.* Petrus Ranzanus: (*c*) *Suscepit, gessitque bellum* (Stephanus) *adversus Gyulam Avunculum suum non eo solum sed quod etiam abhorreret a cultu Christi.* Ladislaus Thurotzius (*d*) *Subinde Gyulam Avunculum suum Transilvaniæ Ducem, eundem acerrimum Christiani nominis hostem in suam potestatem redegit cum conjuge & liberis.*

Igi-

(*a*) Anonym. Hist. Hung. Cap. XXVII.

(*b*) Joann. de Thurotz Chron. Hung. Cap. XXIX.

(*c*) Petrus Ranzan. Epitom. rerum Hung. Ind. VIII. pag. 355.

(*d*) Ladisl. Thuroczi Hung. cum Reg. Lib. II. pag. 30. En! ubi auctoritate opus est, non taceo, me hoc, aut illud ab Thuroczio mutuatum esse, aut cum elegantem quampiam phrasim ab eo sumsi, cur nomen ejus non reticeam? Spondanus in Epist. ad Lector. ap. Bonan. dixit. *Quae excerpsimus, ex libris habuimus; quæ publica sunt, nullius sunt, sed fiunt occupantium; nec ad aliud, qui pecuniam spargit in vulgus, quid agit, quam ut fiat arripientis.* Verum A. R. Katona contrarius est, & non uno loco indigne usque ad tædium me lacessit, quod in Dissertatione mea de S. Ladislao Thuroczianis phrasibus, quin fontem coronarim, sæpicule utar, ut &, quod ex Schmittio complura in rem meam transtulerim. Id a me factum esse non diffiteor, nec est cur erubescam: ipsum sane latium sermonem ab egregiis Viris libenter disco: placuit mihi hæc, aut illa phrasis, & quia *quæ publica sunt, nullius sunt*, occupavi, meamque effeci, quod sine ullius injuria etiam cum Ciceronianis phrasibus licere mihi arbitror. Ast fontem ex quo hausi, non corono. Obvii illi Scriptores sunt, quos quemvis adire, atque fontes meos non difficulter detegere posse, haud ignoravi. Poteram ego, ni sincere agere voluissem, voces vocibus, ut alii, cum fraude faciunt, nullo negotio substituere. Et quis, quæso, si modo pauxillum cerebri possidet, volet exigere, ut notem: *hanc phrasim ex Thuroczio, istam verborum constructionem ex Timone, illam vocum periodum ex Schmittio sumsi* Sic non modice delyrus esset, qui Oratorem adstringere vellet, ut signet: *hoc ex Cicerone, istud ex Livio, illud ex Terentio mutuatus sum.* Frustra igitur, & leviter me carpit Katona; plagii autem pag. 741. etiam fastidiose arguit. Ille quidem fontes suos coronat, non ob id tamen corona, quae pretium faciat, dignus est. Quid enim agit? Ex mea videlicet Dissertatione, Cl. Pray Diatriba, & Cornidesii Geneologia Regum Hungariæ quam plurima exscripsit, nostraque sententia protrusit, adeo, ut si ea ex ejus Historia Regum Hungariæ, quam nuper edidit, detrahantur, non magna pars exscriptori tribui, totumque opus alieno labore liberatum

Igitur Belæ Regis Notarius Scriptor ſane egregius, & antiquus, Joannes de Thurocz, Petrus Ranzanus, qui fere ſoli ex vetuſtioribus rerum Hungaricarum Hiſtoriam ſcripſerunt, exerte affirmant, Gyulam Tranſylvaniæ Principem obfirmate Ethnicis ritibus adhæſiſſe, ac ob id a S. Stephano anno MII. armis petitum, victum, vinctumque fuiſſe; nuſpiam tamen meminerunt Chriſtiana Sacra amplexum fuiſſe: igitur aut fidem Chriſti nunquam ſuſcepit, aut ſuſceptam deſeruit. Cui credamus jam, tot domeſticis Scriptoribusne, an Cedreno dicenti: *Gylas quidem in fide permanſit?* ſi iſte vera narrat, utique noſtri Scriptores manifeſte erraſſe dicendi erunt? quod tamen temerarium eſſet. Quid igitur? Nullum eſt dubium, Cedreno, & Zonaræ non de Gyula illo, quem noſtri paſſim Avunculum S. Stephani nominant, quemque S. Rex debellavit, Dominatuque Tranſylvaniæ dejecit, eſſe ſermonem, Audiamus ipſosmet. Cedrenus (*a*) ſic ſcribit: *Gylas ipſe quoque Turcicus Princeps, eodem (* Conſtantinopolim *) ſe ejusdem rei gratia confert, baptiſatusque & eodem, quo prior modo tractatus, monachum ſecum abduxit Hierotheum, quem Turciæ Epiſcopum Theophilactus deſignavit, isque ut in Turciam venit, multos a barbarica fraude ad Chriſtianam Religionem traduxit. Ac Gylas quidem infide permanſit, & neque ipſe in Romanos impreſſionem fecit.* Zonaras

---

ratum in plagulas non multas contrahi poſſit. Juſſus tamen Lectorem hic moneo, hanc phraſim fere illiusmet verbis in ipſummet, a me retorqueri. Sed jam miſſum hoc loco facio A. R. Katona, nec amplius memorabo. De eo Claudianus ceciniſſe videtur. *Pro telo geritur, quidquid ſuggeſſerit ira.* Vereor enim, ne non machæram, quam prægrandem manu verſat, laterique meo ferox immerſit, cervicibus etiam illidat, cædem ſiquidem ubivis meditatur, & minatur. Certe atrociſſimas Cl. Pray, & Cornideſii in me criminationes tam palpabili voluptate, atque incredibili diligentia idemtidem regerit, ut ſuas effeciſſe jure cenſendus ſit. Ad hæc pag. 530. etſi vix aliud magis virulentum, ac ſit Cl. Pray Diatriba, opus ullus viderit; nihilominus *magnam* illius *moderationem* admiratur, mirisque effert laudibus. Et inſuper Dictaturam ſibi arrogat, in cujus poteſtate ſit, reis aut veniam dare, aut pœnam, ut libet, infligere; ita enim ſcribit: *facilius lapſui modeſto venia datur, quam ſi virga cenſoria multorum capitibus acerbius inflicta diffringatur.* At dum hæc ipſa ſcribit, non modeſte labitur, proinde ut veniam non meretur, ita Dictatura dejiciendus eſt. Unde merito hunc devito, ne poſtquam atram ubivis in me ſtomachi pleno alveo effudit bilem, etiam toxicum miſceat: & alioquin Prajanum duntaxat, atque Cornideſianum olus recoquit.

(*a*) Cedren. in Corp. Hiſt. Byzan. pag. 408. edit. Venet.

naras (a) ita habet: *Turci, Ungaros autem sic vocari supra diximus, alias, Romanas Provincias incursare soliti, ad tempus quieti fuerunt. Nam Dux eorum Bologudes, & partis cujusdam Princeps Gylas Imperatorem convenerunt, amboque Sacro Sancto regenerationis lavacro initiati, & arcanis nostræ Religionis imbuti, ac Patricia dignitate ornati, onustique pecuniis, in suas sedes redierunt, abducto Pontifice, per quem ad Dei cognitionem pervenerunt. Ac Gylas quidem in fide permansit, pacemque servavit. Alter (Bulosudes) fœdere, quod cum Deo icerat rupto, arma Romanis intulit.* (b)

Antequam conjecturam meam stabiliam, quæro ex Adversario: An Duum Virorum istorum hæcce Narratio fidem mereatur? Non existimo dubitaturum, alias testimonium Cedreni mala fide adversum me protulisse dicendus esset. Jam vero habemus ex istis 1. Gyulam, & Bulosudem Constantinopoli, adnitente Imperatore, Sacro Baptismate initiatos esse. 2. Duos hos Principes, Turcorum Duces fuisse. 3. Utrumque arcana nostræ Religionis Constantinopoli didicisse. 4. Hierotheum monachum Constantinopoli in Turciam cum reduce Gyula commigrasse. 5. Hierotheum a Theophylacto, qui Constantinopolitanus Patriarcha fuit, Episcopum ordinatum, inque Turciam ad convertendos barbaros missum esse. 6. Ab Hierotheo Episcopo multos in Turcia ad Christianam Religionem traductos esse. 7. Turciæ, & Turcarum nomine Hungariam, Hun-

(a) Zonar. Annal. Tom. II. Lib. XVII. pag. 194. edit. Paris. MDCLXXXVII.

(b) Cl. Pray Diatr. pag. 54. hisce me carpit verbis: *De Gyula ad ritus suos reverso manifestus error est. Nam si Cedrenum, cujus authoritate nititur inspexisset - -* Id autem manifeste falsum esse, quisquis Dissertationem meam adire voluerit, comperiet. Nam Curopalatis, Cedreni, & Zonaræ authoritate tum solum nitor, cum scribo, duos Hungarorum Illustres Duces, Bulosudem, & Gyulam Christo auctoratos fuisse. Dum autem ajo videri Gyulam ad ritus suos rediisse, sane ad Cedreni auctoritatem nuspiam provocavi. Nonne hoc est cum insigni injuria aliorum orationem detorquere? cæterum audiamus, quid Stiltingus in vita Sancti Stephani §. VI. his de rebus scribat: *Tuto*, inquit, *interim asserere liceat, Religionem Christianam in Hungaria non esse cæptam a Baptismo Bulosudis, & Gylæ, seu quod ille Baptismus prorsus sit fictitius, seu quod ficto animo sit susceptus, seu denique, quod illi fidem constanter professi non sint.* Audin', quid Stiltingus dicat? an forte Cedrenum non inspexit? imo vero. Quid igitur? hic Critonem nostrum Corollarium deducere sino, ne quid acerbius proferam.

Hungarosque indicari. Si hæc omnia vera ſunt, nemo ſane inficias ierit, Hungarorum ad Chriſtiana ſacra acceſſionem, magna parte Orientali Eccleſiæ deberi. Nam & Hungarorum iſti Duces Conſtantinopoli ſub protectione Conſtantini Imperatoris baptiſati, inque myſteriis Religionis Chriſtianæ per Græcos Sacerdotes inſtituti ſunt, & Patriarcha Conſtantinopolitanus dedit illis, populisque, quibus imperabant, Epiſcopum, cum quo plures alios Sacerdotes Græcos in Hungariam adveniſſe, nimisquam credibile eſt. Epiſcopus vero *iſte multos ad chriſtianam Religionem traduxit*, ut Cedrenus; per hunc Epiſcopum Hungari *ad Dei cognitionem pervenerunt*, ut Zonaras, teſtes ſunt: & quia iſte Turcorum nomine Hungaros ab ſe vocari diſerte affirmat; bene ſcripſiſſe cenſendus erit Clar. Schvartzius: (a) *Cum Hierotheum Monachum a Theophylacto Patriarcha Conſtantinopolitano Turciæ Epiſcopum inauguratum ſcribunt Cedrenus, & Joannes Curopalates, Hungariæ Epiſcopum inauguratum exiſtimes.*

Ad id enim confugere, quod Hierotheus in ſola Tranſylvania, & apud Valachos, hodiedum Græco ritu utentes, Apoſtolatus munus exercuerit, adeoque ad hos ſolos miſſus fuerit, prorſus violentum eſt. Nam id & cum claris Græcorum ſcriptorum teſtimoniis pugnat, & omnino nullius veterum authoritate conſtabiliri poteſt, ac ideo, veluti res nova, & omnibus antiquis ignorata, merito deridenda eſt. Ad hæc ſeu ad Græcum, ſive Latinum ritum adduxit Tranſylvanos Hierotheus Epiſcopus Græcus; verum manet, illius ſuorumque opera Sacerdotum Chriſto auctoratos, Chriſtianos effectos fuiſſe: quod ſolum in quæſtione verſatur. Tranſylvania autem, ſicut Hungaria ad jura S. Stephani pertinebat; alias enim non eſt, cur Gyulam ad amplectenda Chriſtiana ſacra cogere authoritate voluiſſet, ac renitentem bello aggreſſus fuiſſet? Scitum præterea eſt, quod CMXCIX. anno victi, capti, & diſſecti Cupæ Simegienſis Comitis quartam partem in Tranſylvaniam miſerit (b) Id utique non erat facturus, niſi illa ſui juris fuiſſet. Porro Tranſyl-

(a) Sbhvartz. Init. Rel. Chriſt. inter. Hun. pag. 26.
(b) Vide Joan. Thurocz. Chron. Cap. XXVIII.

Gyulæ ſenioris, cum Buloſude ad Chriſtianam fidem converſi, quod ille, etſi male, putat, quis erit tam excors, ut ſibi perſuadeat Gyulam ſeniorem, Conſtantinopoli ſacro latice tinctum, Gyulam juniorem filium ſuum ſacris undis ablui non procuraſſe? & nihilominus iſte Gyula junior, *bellum movit S. Stephano quod religionem Chriſtianam in regno ſuo propagaret.* Id equidem, niſi me omnia fallunt, clare indicat, Stiltingum in ea eſſe opinione, quod Gyula junior Chriſtianam religionem deſeruerit. Timon (*a*) ita ſcribit de Gyula juniore. *Nihil vero obſtat, quod filius ejus adverſatus fuerit D. Stephano; ſæpe enim liberi deſciſcunt a conſvetudine Parentum.* Igitur ut cum Stiltingo Gyulæ ſenioris prolibus Gyulam juniorem accenſuit, ita hunc ad ritus ſuos rediiſſe ex allatis cauſis exiſtimavit. Schvartzius (*b*) hujus ſententia relata, ſubjungit: *quis ignorat, ſubſecutas interdum integrarum gentium defectiones ad errorem avitum?* Unde iſtum quoque idem cum illis ſenſiſſe liquet. (*c*) Nihil eſt itaque, cur me Adverſarius acrius per ſtringat ob id, quod ſcripſerim: *Gyula quoque ad ritus ſuos rediiſſe videtur.* (*d*)

In Polonorum Scriptorum conſenſu circa tempus baptiſmi Geyſæ Ducis.

Porro ſcripſi: conſentientibus Polonis Scriptoribus Geyſam anno CMLXX. baptiſatum fuiſſe, & hanc notam ad calcem adjeci: *Alii citius, alii ſerius baptiſatum fuiſſe volunt.* Iſthinc omnis prudens Lector nullo negotio animadvertet, quod cum ante dixerim in anno Geyſæ baptiſmi Polonos concordes eſſe, ad calcem de non Polonis Scriptoribus loquar. Verum Crito noſter, ut audax eſt, eam ob rem mei me immemorem facit. (*e*) Profecto, vix vel fidiculis idipſum exquiſierit; quod ſi haud credat, ex obvio quocunque percontetur, & ſentiet huc quadrare

re

(*a*) Timon. Imag. antiqu. Hung. Cap. III. Cap. V. pag. 365.

(*b*) Schvartz. Init. Relig. Chriſt. int. Hung pag. 35.

(*c*) Error apud hos doctos Viros cubat, liquet enim ex Anonymo. Gyulæ juniorem non Gyulæ Senioris, ſed ejus fratris Zomboris filium fuiſſe.

(*d*) Non nego tamen narrationem meam Diſſer. pag. 42 paullum implexam eſſe, quod unum ab altero non diſtinxerim, adeo, ut videri poſſit me de Gyula Seniore, qui cum Buloſude Sacra Chriſtiana amplexus erat, locutum fuiſſe. In re autem vera de juniore conjiciebam, quod videatur ad ritus ſuos rediiſſe. Id quod vel inde manifeſtum fit, quia communem noſtrorum Scriptorum errorem ſequutus, ibidem diſertis verbis declaro, mihi ſermonem eſſe, de Gyula, qui Avus maternus S. Stephani fuit, quod errore communi in juniorem cadit.

(*e*) Diatr. pag. 55.

re illud: *Quid moror, utrum armis contingat palma, dolisve?* Denique queritur, se cum ignariſſimis ignorare, quinam Scriptores Poloni de Geyſæ baptiſmo ad annum CMLXX. agant. Educam ego illum ex nebulis ignorationis, ſi modo omnem medicinam non reſpuat. Ante tamen moneo, non eſſe neceſſe, ut id ſub ſignatura anni CMLXX. ab illis ſcriptum fuiſſe doceamus, Eruditis ſatis erit probare, ex Polonorum ſcriptis, clare apparere, Geyſæ baptiſmum ad hunc annum--affigendum eſſe. Dlugoſſus (a) ad annum CMLXVIII. iſthæc conſignavit: *Adleida Hungariam deducta, Duci Geyſæ copulatur, quæ veluti fœmina religioſiſſima cæpit--tam Virum ſuum Geyſæ Ducem, quam Proceres, & nobiles ſuos ad fidei S. Catholicæ agnoſcendum & amplectendum lumen in vitare--Itaque Duciſſa Adleidis juſſa legis Divinæ--ſæpius Duci Geyſæ, & Conſiliariis ejus inſtillabat--& cum Primoribus, & Baronibus fidem ſanctam ſuſcipiens--baptiſatur, majoremque Regni ſui partem ſacro baptiſmatis fonte ablui procurat.* Nuptiæ igitur inter Geyſam & Adleidem anno CMLXVIII. conciliatæ erant, tum dein Adleidis cæpit Chriſtiana ſacra ſuadere, & id ſæpius facitabat, Geyſæ, & Proceribus regni Chriſti fidem inſtillabat. Quod apud ethnica ſuperſtitione obfirmatam gentem pluſculum temporis requirere, & minimum unum, & alterum annum, nemo cotdatus negaverit. Rurſus Dugloſſus (b) ſic habet: *Mirabili igitur miſeratione Altiſſimi Polonis per Bohemam Dambrowkam, Hunnis per Polonam Adleidem Catholica veritas eadem ætate, licet modicum diſtincto tempore reſplenduit.* Poloni autem ad Chriſtiana ſacra traducti ſunt anno CMLXV. vel certe ſequente, & poſtea Geyſa cum ſuis non interjecta longa temporis mora, qualis dubio procul non eſt, & ex ſecuturis agparebit, quatuor, quinqueve annorum ſeries.

Vincentius Kadlubek (c) Epiſcopus Cracovienſis ita ſcribit: *Anno Domini CMLXVI. Miſzko cum ſua tota gente Lechitica, divi-*

(a) Dlugoſſ. Hiſt. Polon. Lib. II. pag. 98.
(b) Id. ibid.
(c) Vincent. Kadlub. Hiſt. Polon. Lib. II.

referantur: annos facile LXX. a tempore aditi Principatus Tranſylvanici, usque ad ejus obitum fluxiſſe. Quod prorſus incredibile eſt: niſi forte dicamus, illum in tenella ætate ſub Tutoribus, gubernaculis admotum fuiſſe. Aſt, qui id aſſerit, ſolidis omnino rationum momentis aſſertum ſuum demonſtret, neceſſe eſt. Id enim a Veterum Hunnorum conſvetudine plurimum abhorret, qui fortes ſolummodo, & armorum gloria celebres Duces eligebant. Præterea altum omnium Scriptorum de tam diuturno, ac prorſum raro regimine, ſilentium, manifeſto nobis eſt indicio, Cedrenum non de Gyula ab S. Stephano devicto, Ducatuque exuto, verum de illo, qui cum Buloſude Conſtantinopoli Baptiſmum ſuſcepit, locutum fuiſſe, atque ideo perperam in me noſter invehitur, (a) tanquam ſi Cedrenum non inſpexiſſem.

Conjecturæ porro meæ de hoc juniore Gyula ad ritus ſuos reverſo, ratio eſt. Nam Anonymus ſcriptor, hæc notat. *S. Rex Stephanus - - Geulam vinctum in Hungariam duxit - - eo, quod in fide eſſet vanus, & noluit eſſe Chriſtianus.* Ultima verba mihi videntur hunc efficere ſenſum: *eo, quod in fide eſſet inconſtans, vel quod fidei ſit deſertor, & noluerit Chriſtianus perſeverare.* Vanum certe dicimus illum, qui inconſtans eſt, nec in rebus ſuis ſtabilis. Vanitas autem, quam Græci ματαιότην appellant, quamvis mutabilitatem cum defectu complectitur. (b) Id S. Auguſtinus confirmat, dum (c) ſic ſcribit: *Vanitas eſt fallacia. Vanitates autem vel falſi, vel fallentes, vel utrique intelliguntur.* Cicero quoque (d) dicit: *Qui amicum prodit, Vanum ſe fateatur neceſſe eſt.* Rurſus (e) ſic habet: *Qui ſtatuit omnem Cruciatum perferre potius, quam aut officium prodat, aut fidem.* Prodere autem fidem, ſignificat perfide deſerere. Idcirco Anonymi illa verba: Geula *in fide vanus* indicant, Gyulam in ſuſcepta fide inconſtantem, mutabilem fuiſſe, fidei item proditorem, atque

(a) Diatr. pag. 54.
(b) Vide Beyerlinck. Magnum Theſaurum.
(c) S. Auguſtin. de Quantit. animæ Cap. XXIII.
(d) Cicero. Orat. pro Quinct. XXVI.
(e) Cicer. Academ. quae. Lib. IV.

atque perfidum desertorem. Hinc eveniſſe arbitror, ut S. Stephanus Gyulam per feciales admonuerit, amplecteretur rurſum fidem Catholicam, quam temere repudiarat. (a) Certe cauſſa Religionis S. Stephanus adverſus Gyulam arma corripuit, ut Thurotzius diſerte teſtatur. Non eſt autem credibile, S. Regem id facturum fuiſſe, ob eam ſolum cauſam; quod Gyula Ethnicus fidem Chriſtianam amplecti noluerit; ſecus exiſtimandum erit, eadem de cauſa cæteros quoque Ethnicis ſuperſtitionibus implicitos vicinos Principes ab S. Stephano armis petitos fuiſſe: quod tamen nemo hactenus ſomniavit. Igitur merito arbitrari licet, majorem, ac manifeſtius juſtam cauſam bello huic præluxiſſe; doluit nempe S. Regi, quod Gyula fidem, quam in Baptiſmo profeſſus erat, deſeruerit, impieque demutaverit, & populum, ut non incredibile eſt, opera Hierothei Epiſcopi antea ad Chriſtiana ſacra adductum, pravo exemplo ad veterem ſuperſtitionem pertraxerit; idcirco injuriam fidei illatam, nîl proficientibus amicis cohortationibus, ſeriisque admonitionibus, armis vindicare conſtituit; eo magis, quia verebatur, ut malum hoc in ſuam Hungariam, nondum ſatis in fide robuſtam, velut carcinoma quoddam ſerpat.

In hanc opinionem Stiltingus, Timon, & Schvartzius pariter abiiſſe videntur. Stiltingus (b) ſic loquitur: *Quam id improbabile ſit, docet Gyula, iſtius Gyulæ* (hoc eſt ſenioris) *filius, qui bellum movit S. Stephano, quod Religionem Chriſtianam in Regno ſuo propagaret.* Credidit nempe Vir doctus, Gyulam juniorem Gyulæ ſenioris filium fuiſſe. Utcunque id ſit, ex hoc illius teſtimonio apparet, illum exiſtimaſſe: Gyulam juniorem in ſuſcepta fide haud perduraſſe. Si enim filius fuit

(a) Gyulam in captivitate conſtitutum Cl. Pray. Annal. Par. I. pag. 17. ſacro tinctum fuiſſe fonte ſine ambagibus affirmat. Quod tamen nec Anonymus, nec Thurotzius, nec ullus alius, ſive domeſticorum, ſeu exterorum antiquorum Scriptorum memorat. Memorare vero profecto non neglexiſſent, utpote rem tanto meliori memoria dignam, quod plurimi belli ſuſcepti cauſam religionem fuiſſe contendant; cujus utique fructus ut optimus, ita omnino commemorandus fuiſſet, Gyulæ videlicet ad fidem converſio. Primus id nobis Bonfinius neſcio, quo fonte haustum, propinavit.

(b) Stilting. loc. cit. pag. 471.

ſylvani Hungarorum nomine venire ſolent, & de Hungaris ſe loqui Zonaras exerte fatetur. Igitur tametſi daremus Hierotheum in ſola Tranſylvania multos ad Chriſti fidem perduxiſſe, dicendum tamen erit, illum Hungariæ Apoſtolum fuiſſe; tum quia Tranſylvanos Hungaros ad Chriſtianam religionem adduxit, tum quia Geyſam per Sarolram conjugem, filiam Gyulæ, ab Hierotheo Chriſtianis legibus imbutam, Chriſtum colere docuit. Et nonne Buloſudes Princeps Hungariæ, etſi non totius fuit? is eodem pariter tempore Conſtantinopoli Chriſtiana ſacra amplexus eſt, & ob id a Conſtantino Imperatore peculiari honore affectus unde conſit, ut, ne ſeu Imperatorem lædat, ſive ſimulationem animo ſuo inſidentem prodat, in Hierothei miſſionem plena voluntate conſenſerit. Quia vero Stiltingus (a) affirmat, duos hos Hungaros Duces, qui baptiſmum ficte ſuſceperunt, ſimulationem protraxiſſe; dubio procul Buloſudes etiam, quo ſimulationem ſuam magis occultet, Hierotheum in Hungariam admiſerit, imo invitaverit quoque. Iſte autem, neſcius ſimulationis Buloſudis, avide Apoſtolatus officium exequendi occaſionem arripuerit, in Hungariam cum ſuis Sacerdotibus Græcis properaverit, & multos, ut ait Cedrenus, Turcorum, ſeu Hungarorum ad fidem Chriſti adduxerit, quod tanto majori fructu actum eſſe exiſtimare neceſſe eſt quia, plebs maxima contentione Principum ſuorum exempla ſectari conſvevit- Proinde ſi Adverſarius Cedreni, quem contra ſe infeliciſſimo eventu ſuſcitavit, teſtimonium pro ſacro ſancto habet; initia religionis Chriſtianæ inter Hungaros, Orientali Eccleſiæ tribuat, oportet. (b) En! cum minutula Crito Noſter acerbo ſtylo, atque operoſa induſtria fodicare pergit, nedum ſe non extricat, quin potius in majores etiam caſſes incidit. Si vero Scriptoribus iſtis Græcis non habendam eſſe fidem putat: eccur orationis eorum minimam particulam: *Gylas quidem in fide*

(a) Stilting. cit. §. VI.

(b) Ex his nolim quis arbitretur, me in eam ſententiam veniſſe, quod Religio Chriſtiana apud Hungaros ſua incunabula Orientali Eccleſiæ in ſenſu Clariſſ. Schvartz debeat. Verum hac argumentandi ratione idcirco ſolum uſus ſum, ut oſtenderem, quam futilia ſint Adverſarii noſtri argumenta.

de permanſit tanquam irrefragabile veritatis teſtimonium adverſum me prægrandi pompa, nec ferendo ſupercilio attollit? (a)

Nunc ad rem propius. Omnis nobis diſceptatio de illo Gyula eſt, quem Scriptores Patrii prius, quam Anonymi Belæ Regis Notarii Hiſtoria Ducum Hungariæ in publicam lucem protraheretur, plerumque S. Stephani Avum maternum fuiſſe affirmaverunt, quemque S. Rex debellavit. Hunc ad veteres ritus rediiſſe videri, dixi, nec quidquam ejus muto. Nihil autem officit, quod Cedrenus Gylam in fide permanſiſſe adſtruat; certum ſiquidem eſt, illum de Gyula ſeniore, cum quo S. Stephanus nunquam arma contulit, loqui. Illius enim meminit, qui eodem cum Buloſude tempore Conſtantinopoli ſacro baptiſmate luſtratus eſt. Id vero Stiltingus (b) erudite conſtituto rerum, Hungaros inter, & Græcos geſtarum ordine, ad annum CMXLIV. defigit, aliquot vero annis ante ſui converſionem Gyula ad clavum Principatus ſui ſedere cæperit: neque illico ut captus eſt, e vita migravit; Anonymus enim (c) ſcribit: *S. Rex Stephanus - - Gyulam victum in Hungariam duxit, & per omnes dies vitæ ſuæ carceratum tenuit:* quæ ſcribendi formula ſatis indicat longiuſculum vitæ tempus. Liquet etiam Gyulam anno MII. victum captumque fuiſſe. Unde ſi rectum Calculum inire velimus, conſectaneum eſt: ſi videlicet Cedreni verba: *Gylas quidem in fide permanſit* ad illum Gyulam quem S. Stephanus debellavit, & de quo diſceptamus

(a) Juvat ad præſens argumentum l. c. loquentem Stiltingum audire. Ita ille: *floruit poſt medium di i ſæculi X. Luitprandus - - qui res maxime ſui temporis, Hungaricas frequenter deſcripſit. Non multis poſt annis ſcripſit Viticbindus Monachus, & Hiſtoriographus. Eodem ſæculo ad finem decurrente, videtur ſcripſiſſe Continuator Reginonis multique alii hoc eodem ſæculo hiſtorice ſcripſerunt, & de Hungaris meminerunt; at nullus de hac eorum meminit converſione. Sæculo XI. & XII. plurima conſcripta ſunt chronica univerſalia, in quibus Hungarorum converſio narratur. At nul ibi dicitur initium habuiſſe Conſtantinopoli, aut ante medium ſæculi X. Sane ſi vera eſſet hæc converſio, non poterat ignorari a tot ſcriptoribus coævis, aut ſupparibus, nec taceri debebat, præſertim a Luitprando, qui totties in Hungaros invehitur.* Rurſus poſt pauca ſcribit. *Tuto interim aſſerere liceat, Religionem Chriſtianam in Hungaria non eſſe cœptam a Baptiſmo Buloſudis & Gylæ, ſeu quod ille Baptiſmus prorſus ſit fictitius, ſeu quod ficto animo ſit ſuſceptus, ſeu denique quod illi fidem conſtanter profeſſi non ſint.*

(b) Stilting. loc. cit. (c) Anonym. Cap. XXVII.

divina gratia disponente - - sacrum baptisma susceptit. Matthæus Cracovienſis Epiſcopus (*a*) *Primus*, inquit, *Polonorum Rex Miesko gratiam baptismi susceptit.* Joannes Archi-Epiſcopus Gneznenſis (*b*) *Illi* (Mieskoni) *anni fine septimi visus restituitur, nos* (forte nobis) *in quos fines sæculorum devenerant, septiformis lux gratiæ oritur. Uxor illi copulatur, & nos uniter unius, id est, Ecclesiæ amplexibus fœderamur.* Hæc omnia anno CMLXV. congruunt. Iterum Kadlubek (*c*) iſta ſcribit: *S. Adalbertus, postquam fides Catholica in Pannoniam per Dambrowkam allata, quasi triginta annis viguit, in Poloniam venit.* (*d*) Henſchenius vero exiſtimat S. Adalbertum relicta Pragenſi Eccleſia, non ante annum CMXCIV. in Hungariam veniſſe, & veroſimillimum anno conſequente, vel certe CMXCVI. in Poloniam digreſſum fuiſſe. Igitur ſi anno CMXCV. illuc migravit, & tum jam annis quaſi triginta fides Chriſtiana ibidem viguit, conſectaneum eſt, Mieskonem cum Polonis anno CMLXV. Chriſtiana ſacra amplexum fuiſſe. Id, quod Cromerus (*e*) diſerte affirmat: *Mieska*, inquit, *sive Miecislaus Princeps baptismo - - ritu Christianorum initiatur - - anno Christi CMLXV.* Rurſus hiſce verbis: *Sororem ei* (Geyſæ) *suam Adleidam Miecislaus in Matrimonium collocavit, a qua persuasus Geysa cum Hungaris suis Christianam & ipse religionem quinto post Polonos anno susceptit.* (*f*) Id ipſum memorat Vapovius. Boguphalus Epiſcopus Poznanienſis (*g*) ſic ait: *Anno CMLXV. Dombraucam Sororem S. Wenceslai duxit in uxorem* (Mieſzka) *Anno sequente cum tota gente Lechitarum, seu Polonica, uxore suadente - - sacrum Baptisma susceptit.* Idem habet Archi-Diaconus Gneznenſis (*h*) Nicolaus Henelius (*i*) *Micislaus Princeps Sororem suam*

(*a*) Matthæus Epiſc. Cracov. apud Kadlub. Epiſt. X. ſed ad an. CMLXVI.
(*b*) Joann. Archi-Epiſc. Gneſnen. apud Kadlub. Epiſt. X.
(*c*) Kadlub. in Epiſt. Matth. Cracov.
(*d*) Id de ſecundo S. Adalberti adventu intelligendum eſt, ut ex dicendis patebit, & Biographus SS quinque Fratrum Ord. Ben. in Polonia occiſorum, teſtatur, prius Adalbertum in Hungariam veniſſe, Geyſam, & Stephanum in fide confirmaſſe, ac deinde in Poloniam, tum in Pruſſiam iviſſe.
(*e*) Cromer. de reb Polon. Lib. III. pag. 33. edit. Baſil. MDLXVIII.
(*f*) Cromer. ibidem.
(*g*) Boguphal. Cron. Polon. ap. Sommersberg. Script. rer. Siles. Tom. I. pag. 24.
(*h*) Archi-Diac. Gneſn. Chron. Cracov. ap. Somm. pag. 81.
(*i*) Henel. Annal. Sileſ. ad an. CMLXXI.

Juam Adelheydem Gyulæ Hungarorum Principi in matrimonium collocavit, a qna persuasus Geysa, & ipse cum Hungaris suis Christianam religionem suscepit. Joannes Polonus (*a*) *Rex Mesko Baptismi gratiam suscepit. Anno Domini CMLXVI.* Mathias de Michovia (*b*) ita loquitur: *Adducta est Virgo Dambrovka in Regiam Gneznam Mieskonis Anno Christi Domini CMLXV. uno, & eodem die Miesko Princeps Polonorum sacrum Baptisma propitiatione Divina Gneznæ suscepit.* Alexander Guagnini (*c*) scribit in hæc verba: *Miesko itaque cum universa gente sua alacriter baptisatus est anno Domini CMLXV.* Hi fere sunt rerum Polonicarum Scriptores.

Ex his autem liquido constat, concordem Polonorum Scriptorum sententiam esse, Mieskonem Principem cum suis Polonis anno CMLXV. vel sequente Christo auctoratum fuisse: constat etiam Geysam quinto post conversionem Polonorum anno cum suis Hungaris religionem Christianam suscepisse: atque ideo, si hæc recta crisi expendere, ac combinare libuerit Adversario, non difficulter animadvertet, Polonos Scriptores communi consensione Baptismum Geysæ, non quidem sub signo, ut monui, anni CMLXX. neque enim id eorum, qui suæ gentis Historiam scripserunt, instituti fuit, notare; attamen ex illorum testimonio clarissime ad memoratum annum referri debere: & deinceps cum ignorantissimis non ignorabit, Scriptores Polonos, qui Geysæ baptismum ad annum CMLXX. affigunt: neque clamabit, annum istum a Baptismo ad nuptias traducendum esse. (*d*)

Hoc tamen etsi oppido spissum sit adhuc tolerari posset, ast illud plane absurdum, & Geysæ Duci, Patri S. Stephani omnino ignominiosum est, quod Crito noster, postquam retulit hæc mea: *Geysa totus in eo erat, ut populos ab impia superstitione ad sanam religionem traducat*, majoribus, quam conditionem ejus

Etiam in convitiando Geysa Duce Piissimo.

R de-

(*a*) Joann. Chron. Polon

(*b*) Matth. de Michov. Chron. Regni. Polon. lib. II. Cap. I. in Corp. Polon. Hist. edit. Basil. MDLXXXII. Tom. II. pag. 19.

(*c*) Ibidem. ap Alex. Guagnini Chron. Polon. pag. 346.

(*d*) Non volo investigare, aut statuere, an vera sint ea, quæ Poloni de conversione Geysæ per Adleidem suam facta narrant: eo solum testimonia Polonorum congessi, ut Adversarium errorem dedoceam.

deceat, animis subnectit: *nimis exaggerata sunt, nec consentiunt cum veritate Historica (a)* Itane? ostendam ego illa cum veritate historica omnimodo consentire, atque adeo exaggerata haud esse, & læsum Geysæ Ducis honorem certissimis argumentis vindicabo.

Chartuitius *(b)* hæc de Geyza: *Edicto proposito jussit Christianis omnibus in ipsius Ditionem, sive Ducatum ingredi volentibus, hospitalitatis, & publicæ fidei studium, & curam impendi. Porro Clericis & Monachis fecit potestatem in ipsius conspectum veniendi, eosque propenso animo audivit - - credit ipse cum familiaribus suis, undis salutaribus expiatus omnes ditionis suæ homines pollicetur se ad Christianismum perducturum. Cum autem multum esset sollicitus de edomandis rebellibus, ritibus sacrilegis abolendis, ad S. Ecclesiæ profectum, pro sua æstimatione, statuendis Episcopatibus - - Dux procedit obviam servo Christi (Adalberto) cum fidelibus -- deinde jubente ipso fit ubique congregatio indomitæ gentis, per S. Episcopum fiunt conciones, ejus exhortationibus mox illi convertuntur, & baptisantur, multis locis Ecclesiæ conduntur.* S. Pilgrinus Laureacensis Ecclesiæ plane coævus Archi - Episcopus in Epistola sub annum CMLXXVIII. ad Benedictum Papam scripta, hoc est, ipso tempore Ducatus Geysæ, diserte affirmat, vel ex solis *nobilioribus Hungaris Catholica fide imbutos, atque sacro lavacro ablutos circiter quinquies mille fuisse*: addit præterea, Christianis licitum jam esse, proles suas palam, procul metu baptisari curare, Templa construere, laudes Deo publice decantare *(c)* Petrus Ranzanus *(d)* sic habet: *Et ipse* (Geysa ac Sarolta) *& multi viri nobiles multique alii tum mediocris tum humilis generis homines sacro baptismate in Christo renati sunt. Voto se tunc fecit obnoxium, jureque jurando promisit Geicha, quam primum daturum se operam, ut omnes ditioni suæ parentes populi exemplo suo cultores Christi efficerentur, omni itaque via, modo, arte, diligentia curat, ut voti fierit compos.* Ipsemet Cl. Pray *(e)* hæc habet:

Ad-

(*a*) Diatr. pag. 55.
(*b*) Charth. in vita S. Steph.
(*c*) Vid. superius plura de hac Epistola.
(*d*) Ranzan. Epit rer Hung. Ind. VIII.
(*e*) Pray Annal. R. H. P. I. p. 2 & Annal. Vet. Hun. Par. III. Lib. II. pag. 383.

Adveniſſe complures Germanorum in Hungariam, dum Geiſa in vivis ageret, quorum opera partim ad coërcendos refractarios, partim impellendos ad Chriſtiana ſacra uſum fuiſſe conſtat. Rurſus ita ſcribit: *Mirificum Geiſæ apud ſuos propagandæ religionis ſtudium*, hæc in margine, deinde: *Nihil antiquius Geyſa habuit ad mortem usque, quam ut ſuſcepta fides apud Hungaros radices in dies ageret, ſummo ſtudio procurare.* Geyſa certe Eccleſias conſtruebat: fundare cæpit celebrem Abbatiam ſacri Montis Pannoniæ (a) quam deinde ejus filius S. Stephanus perfecit, & locupletavit. Eadem fere habent Scriptores Poloni, unice quod amore gentis, Adleidæ ſuæ plus, quam Geyſæ tribuere videantur.

Igitur Geyſa jubet Chriſtianos foveri amiceque haberi: Clericos, ac Monachos tenero amore complectitur: voto ſe ad propagandam religionem Chriſtianam adſtringit: & omni via, modo, arte, diligentia curat, ut conceptis votis ſatisfaciat: multum ſolicitus eſt de abolendis ethnicis ritibus: Epiſcopatus inſtituere meditatur: populum mira ſolicitudine convenire jubet, monet, hortatur ad amplectenda Chriſtiana ſacra, & zelo ſuo efficit, ut e ſuis nobiliores quique ad quinque mille ſacro lavacro tingantur. Eccleſias condit: Abbatiam Sacri Montis Pannoniæ fundat, ut ſubinde e ſacra hac domo educantur Viri, qui protritis ſuperſtitionibus in Hungarorum plenam converſionem allaborent. Jam vero, non eſt hoc, Geyſam *totum in eo eſſe, ut populus ab impia ſuperſtitione ad ſanam religionem traducatur*? obfirmate inficiatur Adverſarius, & ob id ſolum adverſarius, quia ego ſcripſi. Alias *mirificum* Geyſæ procurandæ apud ſuos *ſtudium* laudat, agnoſcit Geyſam usque ad mortem ſumma contentione curaſſe, ut ſuſcepta religio Chriſtiana in dies radices agat. Modo mavult rurſus palinodiam occinere, quam veritati, per me, & ideo, quia per me relatæ, litare. Nec veretur Geyſæ legitimo Hungaricæ gentis Principi, temeraria, nequid

 plus

(a) Vid. Literas S. Stephani ap. Odor. Raynal. ad an. MCCXXXII. num XXIV. eatenus datas, quas etiam alibi retuli. Iſthoc Diploma anno MDCCLXXIX. ſophiſta quidam parum doctus fide omni deſpoliare conatus erat; ſed tam inepta rationum momenta promſit, ut ab Eruditis prorſus explodi meruerit. Hunc egregie confutarunt, Ill. & Cl. Agamantes Palladius, ac Cl. Chryſoſtomus Novak: ego quoque in *Libello Caſtigato.*

plus dicam, manu Coronam gloriæ de capite decerpere. Si enim nimis exaggeratum, nec cum veritate hiſtorica conſentiens eſt, aſſerere, quod Geyſa totus in eo fuerit, ut ſui ad Chriſtiana ſacra traducerentur, dubio procul aut tenue, aut plane nullum erat Geyſæ propagandæ religionis Chriſtianæ ſtudium, tenuis, aut nullus conatus: Hoc autem apertiſſime falſum, & ab hiſtorica veritate alieniſſimum eſſe norunt, qui in Hiſtoria vel modicum verſati ſunt. Quod vero inſigniter probabili Geyſæ contentioni par fructus haud reſponderit, num ideo Geyſam debita laude privabimus? num ideo aſſerere audebus, im Geyſam Chriſtiani ſacris propagandis non ſtuduiſſe? Nec Apoſtoli omnes gentes, quibus prædicaverunt, ad Chriſtum adduxere, quin propterea dici poſſit, illos non fuiſſe totos in eo, ut gentes ab impia ſuperſtitione ad ſanam religionem traducerent.

Iſthinc conſequitur, ſupervacaneum eſſe Critonis noſtri effugium ad Authoris Monachi coævi teſtimonium, qui ſcribit: *intermiſcetur cum Paganiſmo polluta religio.* (*a*) Nemo enim hactenus ſomniavit, minus affirmavit ab Geyſa Hungaros ita ad Chriſtianam religionem adductos fuiſſe, ut ethnica ſuperſtitio penitus ceſſaverit; alias ejus filio S. Stephano ademta fuiſſet occaſio exercendi zeli Apoſtolici; quod adſtruere prorſus nugatorium eſſet. Sed nec ullus hactenus aſſerere auſus eſt, converſis per Geyſam Hungaris quosdam, ut rerum initia inſtabilia ſunt, ad priſtinos ritus non rediiſſe, adeoque nullum dubium ſupereſt, intermiſtam fuiſſe ætate Geyſæ, & Sancti Adalberti, imo & poſterioribus temporibus cum *paganiſmo pollutam religionem.* Atque ſicut nemo futurus eſt, qui ob id Adverſario noſtro bellum obmoveat, ita omnino nihil eſt, cur Biographi illa verba in medium protulerit (*b*) Neque alterius S. Adalberti

(*a*) Diatr. pag. 56.

(*b*) Neſcio, cur noſter non totam Biographi Sententiam, huc facientem, recitet. Is enim poſt hæc verba: *intermiſcebatur cum Paganiſmo polluta religio*, illico ſubiicit: *& cæpit eſſe deterior barbariſmo, languidus, ac tepidus Chriſtianiſmus* His mirifice explanatio noſtra confirmatur. Totus videlicet in eo fuit Geyſa, ut ſuos ad Chriſtiana ſacra traducat, & revera plurimos traduxit. At quod ſubinde novellus hic grex Chriſti langveſcere, tepereque cæperit, Geyſæ culpa non erat. Vid. Canis. Antiqu. Lect. Tom. III. pag. 65.

berti Biographi ſententia pluris eſt. Iſte ſcribit: *quibus* (Hungaris) *ab errore ſuo parum mutatis umbram Chriſtianitatis impreſſit.* Quis ignorat novellas plantas non ita firmas eſſe, ac cum adoleverunt? nec poterat ab Hungaris initio converſionis robuſtus fidei fructus exſpectari, tenuibus tum adhuc nixa erat apud illos religio fundamentis: nec ſolent repente demutari inveterata mala. Umbram ergo Chriſtianitatis impreſſit S. Adalbertus, non totum Regnum convertit; hoc eſt: relabentibus paſſim converſis Hungaris ad veteres ritus, adeoque *ab errore ſuo parum mutatis* umbram ſolum Chriſtianitatis illis impreſſiſſe dicendus eſt Adalbertus, nec totum Regnum ad Chriſtiana ſacra adduxit, nec illi omnes, quos adduxit, in fide perſeverarunt, adeoque in re ipſa S. Adalbertus fundamenta duntaxat religionis poſuit. Cæterum, cedo, paucos Hungarorum ſub Geyſa Duce religionem Chriſtianam amplexos fuiſſe, cedo, plurimos, aut ſi mavis, omnes in priſtinos errores relapſos fuiſſe. An, quæſo, hinc legitime arguitur: Ergo Geyſa non erat in eo totus, ut populos ab impia ſuperſtitione ad ſanam religionem traducat? nihil minus: certe ab effectu conatus metiendus non eſt. Geyſa, ut vidimus omnibus viribus connitebatur, ſuos Hungaros ad Chriſti fidem perducere: quod autem effectus conatui haud reſponderit, piæ Geyſæ intentioni nihil derogat. Etiam oratorem celebramus, qui ſolidis ad probandum monumentis inſtructus perorat, tametſi neminem in ſua ſenſa pertraxerit.

Paullum plus difficultatis ineſſe videtur narrationi Ditmari Epiſcopi Merſeburgenſis. Et quia mea cum illius conciliari petit Adverſarius, juvat totam vocum periodum hic ex Ditmaro afferre. Is (*a*) ita loquitur: *Habuit hic* (Boleslaum intelligit) *quandam Urbem in confinio Regni ſuimet, & Ungariorum ſitam, cujus erat cuſtos Procui ſenior, Avunculus Regis Pannonici, a ſuis ſedibus antea expulſus. Qui cum uxorem ſuam a captivitate non poſſet abſolvere gratuitu* (gratuito munere) (*b*) *ne-*

 potis

(*a*) Ditmar. in Chron. ap. Leibnitz. Scrip. Brunsvic. Tom. I. pag. 420.
(*b*) Inter parentheſes ubique addo correctiones Leibnitzianas.

potis sui, quamvis inimici, susceptit eam ex munere. Nunquam audivi aliquem, qui tantum parceret victis, & ab hoc in Civitate superius memorata, sicut in cæteris sedulum. Deus eidem concessit victoriam, hujus Pater erat Dejux nomine, admodum crudelis, & multos ob subitum furorem suum occidens. Qui cum Christianus efficeretur, ad corroborandam hanc fidem contra reluctantes subditos sævum (sævit) *& antiquum facinus zelo Domini exestuans abluit. (a) Hic Domino* (vero) *Omnipotenti, variisque Deorum illusionibus immolans* (vanitatibus inserviens) *cum ab Antistite ob hoc accusaretur* (argueretur) *divitem se, & ad hæc facienda satis potentem affirmavit.* Hucusque Ditmarus Restitutus, quem Eruditi merito in pretio habent. Nequid igitur in celebrem Scriptorem, quem Brunnerus ævi sui thesaurum nominat, peccem; dendum est, illum nihil aliud indicare voluisse, quam quod Geysa, nam interdum Dejux, etiam Dejoux scribitur, postquam Omnipotenti Deo immolavit, seu per baptismum Christo auctoratus est, non illico ita firmo talo constitit, ut a vanitatibus, sive ethnicæ superstitionis quibusdam ritibus abstinuerit, trahente illum videlicet vetere consuetudine: quod deinde monente Episcopo, & fortasse etiam optimæ conjugis assiduis svasionibus sensim emendavit, ac demum ea gessit, quæ lex Christiana præcipit, propagandæque religioni Christianæ totus incubuit. Ad id credendum adducor, præstantissimorum, quos supra retuli, Scri-

(a) Cl. Pray Annal. Vet. Hunn. Lib. II. pag. 381. postquam Ditmari verbis de Geysa scripsisset, quod Omnipotenti Deo, una & variis Diis immolaverit: Quo respexisse videtur Biographus S. Adalberti: *Inde*, ait, *factum, ut intermiscereturcum paganismo polluta religio, & cæpit deterior esse barbarismo, languidus, ac te idus Christianismus*, confestim hæc subjungit: *Eodem tamen Ditmaro teste, si quid hac parte labis a Geysa contractum est, meliora edoctus, propagata religione eluit: quod cum Christianus efficeretur, ad corroborandam hanc fidem contra reluctantes subditos, sævum, & antiquum facinus zelo Dei exæstuans, abluerit.* Atqui hoc aperte falsum est, & Ditmari testimonium aut luxat noster, aut Scriptor iste Synchronus ab illo intellectus omnino non est. Attenta solum lectione Ditmari opus est, ut id intelligatur. Ipsa verba: *quod cum Christianus efficeretur*, manifeste indicant ab Geysa antiquum facinus ante susceptum Baptismum commissum, elutum fuisse. Et nonne Ditmarus illa, non post relata de immolatione falsis Diis ab Geysa facta, verba; sed post narratam ejus in subditos crudelitatem subjicit? Non igitur ex sententia Ditmari eluit Geysa admissam idololatriam, verum crudelitatem. Vide ipsum verborum nexum, & simul opinionem nostri refutatam videbis, atque de ejus egregia fide judicium feres.

Scriptorum teſtimonio, qui in promovenda apud ſuos re Chriſtiana prorſus eximium Geyſæ ſtudium, multis laudibus extollunt.

Quia vero Geyſa anno CMLXX. quod memoravi, aut ne quem hic lite impetere velle videar, pace mea, aliquantum ſerius ſacro latice tinctus eſt, & anno CMXCVII. e vita migravit: a recepto baptiſmo usque ad mortem interceſſerunt anni XXVII. vel ut cum Adverſario parciſſime dicam, anni XXII. Ac proinde, ne teſtimonio Ditmari quidquam decerpam, ajo, primis converſionis ſuæ annis Geyſam non penitus exuiſſe veteris hominis actiones; at poſterioribus, meliora ſenſim edoctus, atque in ſuſcepta fide Chriſti magis magisque roboratus nactus longius regnandi tempus, totus in eo erat, ut gentem ſuam ab impia ſuperſtitione ad ſanam religionem traduceret. Nec id mirum videri debet, quando ſcimus, Petrum, qui antea libere cum Ethnicis, ad Chriſtum converſis, manducabat, & communibus cum illis cibis veſcebatur, poſtea quibusdam a Jacobo venientibus ex circumciſione Chriſtianis, id facere deſiiſſe; ut nos S. Scriptura (a) docet. Quo fiebat, ut ſi non docentis imperio, ſaltem converſationis exemplo Gentes cogeret judaizare: & ob hoc a Paulo reprehenſum fuiſſe, Theologi, qui in ſacris literis rudes non ſunt, quique S. Auguſtini Epiſtolas (b) aliquando inſpexerunt, non neſciunt. Num vero propterea dicamus, Petrum non fuiſſe in eo totum, ut populos ad Chriſtum adducat? Pulchre in hanc rem S. Hieronymus (c) *Si*, inquit, *ipſe Apoſtolus dicit de Petro, quod non recto pede inceſſerit in Evangelii veritate, & in tantum reprehenſibilis fuerit, ut & Barnabas adductus ſit in eandem ſimulationem; quis indignabitur id ſibi denegari, quod Princeps Apoſtolorum non habuit.* Quid ergo mirum, ſi Geyſa quoque principio ſuæ ad Chriſtum converſionis nondum ſatis validus, ad quospiam ritus ethnicos redierit? Et quis novit, an non ſimulate ſolum id fecerit? ſperans fore, ut hac ſimulatione, quae tamen ſemper reprehenſibilis erat, ſuos facilius

(a) Gal. II. v. 12. 14.
(b) S. Auguſtin. Epiſt. LXXXII. al. XIX. Cap. II.
(c) S. Hieron. Lib. I. adv. Pelag. Cap. VIII.

lius ad Christiana sacra pertraheret. Id, quod a veritate non prorsus abhorret; nam præclarissimorum Scriptorum testimonia Geysæ propagandæ religionis Christianæ studium mirifice celebrant. Videbiturne adhuc Critoni nostro exaggerata esse, nec cum veritate historica consentire mea de Geysa sententia? non crediderim, imo si inter cordatos esse vult, ea recantaturum confido, quæ de præclaro hoc Duce, Sanctissimi Regis Stephani Patre optimo, non bene expenso Ditmari testimonio, contra quam crisim historicam decet, illiberaliter, nec attenta moderatione cum insigni injuria perperam scripsit

Cæterum: Ditmarum, etsi in pretio habendus sit, obscuririssimum esse, & Leibnitzius observavit, & omnes, qui illum legerunt: ejus præterea Chronotaxis aut nulla, aut non accuratissima est. Hinc admodum arduum est conjicere, quid indicare velit tota illa sua narratione. Quis divinabit, quisnam sit ille Procui senior, & ille Avunculus Regis Pannonici (a) Quando item hunc Procui a sedibus suis depulit Boleslaus Bohemus? quae illa Urbs, cujus Procui custos fuit? quando hujus uxor in captivitatem abducta? quando viro suo reddita? Sed hæc aliis discutienda relinquo. Mihi satis erit paullum indagare, quis Antistes ille fuerit, qui Geysam Ethnicis vanitatibus inservientem redarguit? Clar. Pray more suo confidentissime scribit: Citra dubium Adalbertus fuit. At mihi id omnino incredibile est. Constat S. Adalbertum in Episcopum Pragensem unanimi popularium suffragio electum, die XXIX. Junii, Veronæ anno CMLXXXIII. consecratum fuisse. Et primum quidem apud suos Apostolicum studium exercebat; visis deinde Bohemorum in se odiis, & insectationibus, ad Hungariam zelum fidei, quo ardebat, vertit. Nec prius ad Hungariam pervenit quam circiter CMLXXXIV. Hansizius (b) de hoc ita loquitur: *Baptisatus est:* (S. Stephanus:) *ab Adalberto Pragensi Antistite* - - cer-

(a) Videtur quidem nomine Procui Gyulam seniorem Transylvaniæ Ducem indigitare velle, scribit enim illum Avunculum Regis Pannonici fuisse, cujus Pater erat Dejux, seu Geisa. Quod in Gyulam cadit. Ast cætera, quae narrat, his prorsus non congruunt. Cujus enim Urbis in confinio Bohemiæ sitæ Custos fuit Gyul? reliqua perinde sibi adversantur, quibus immorari nolo.

(b) Hansiz. Germ. Sacr. Tom. I. pag. 227.

certum eſt illud non factum ante annum CLMXXXIII. - - Nam Adalbertus ſub ipſum tempus nativitatis S. Stephani advenit - - nos cogit, baptiſmum Stephani - - collocare, nempe ad annum circiter CMLXXXIII. quo Adalbertus ſedere cæpit, aut certe ſequentem. (a) Notum etiam eſt ex Scriptoribus Polonis, ſuperius relatis, Adleidam a probitate vitæ Chriſtianæ commendabilem Mulierem ab Geyſa Anno CMLXV. aut paullo ſerius Conjugem lectam fuiſſe: & propterea, ut Author Synchronus vitæ S. Adalberti ſcribit, Adleidam totum Regnum adminiſtraſſe, *& quæ erant viri, ipſa regebat, qua Duce erat Chriſtianitas incæpta.* (b) Denique ſatis, ut reor, oſtenſum eſt, Geyſam Anno CMLXV. aut non longe poſt, baptiſmo Chriſtianis ſacris initiatum fuiſſe (c) Jam vero quis credat Geyſam a ſuſcepta fide Chriſtiana, ſeu ab Anno CMLXX. usque ad adventum Adalberti, ſeu annum. CMLXXXIV. hoc eſt XIV. annorum intervallo ita tepidum Chriſtianum fuiſſe, ut una ethnicis ſuperſtitionibus vacaret? id nec pietas Adleidæ apud conjugem multa, ut videtur, valentis, admiſſura erat: primis id converſionis annis factitaverit non dum ſatis in fide firmus Geyſa. Ac proinde Adalbertus certo non fuit ille Antiſtes, qui Geyſam, ad idololatriam relapſum, redarguit.

S Non

(a) Iſte eſt primus S. Adalberti in Hungariam adventus, ut colligitur ex Chartuitio ſcribente Patrem Stephani Geiſam dum de propaganda inter Hungaros religione Chriſtiana cogitaret, divinitus admonitum fuiſſe, ut venturum hominem ſpirituali legatione functurum honorifice excipiat: hunc deinde Adalbertum Bohemenſis Eccleſiæ Antiſtitem nominat, ac poſt pauca ſubdit, natum eſſe Stephanum, & ab Adalberto baptiſatum. Superius autem cum Hanſizio ſtatuimus, Stephanum anno CMLXXXIII. vel ſequente in lucem editum eſſe: igitur ſub hoc tempus Adalbertus in Hungariam venit, atque rurſum abivit, ac anno CMXCIV. vel conſequente Hungariam ſecundo reviſit, cum videlicet in Poloniam verbum Divinum annuntiaturus, Martyrioque aſſciendus renderet.

(b) Biographus S. Adalberti poſterior, nimis breviter acta S. Adalberti in Hungaria commemorat, nec plus omnino quam Chriſtianitatis umbram ab eo Hungaris impreſſam refert.

(c) Hæc rationum momenta Timonem, cui obſtrepere Noſter ſummum eſſe nefas, per fas, nefasque opinatur, induxerunt, ut in Imag. Antiqu. Hungar. Lib. III. cap. VII. pag. 373. ſtatuerit, Geyſam Anno CMLXX. vel priore baptiſatum eſſe, idque a Piligrino Laureacenſi Archi-Epiſcopo, vel eorum quopiam, quos ipſe in Hungariam ſe miſiſſe teſtatur in Epiſtola ad Benedictum VII. verum manifeſtus hic error cubat. Si enim Geyſa Anno CMLXIX. vel conſequente baptiſatus eſt, certo nec a Piligrino Archi-Epiſcopo Laureacenſi, nec ab ullo alio per hunc miſſo baptiſatus fuit.

Non me quidem latet, Samuelem Timon (*a*) affirmare, S. Adalbertum, antequam ad Pontificatum eveheretur, diutine in Hungaria verſatum fuiſſe. Aſt tum non erat Adalbertus Antiſtes, quod ipſe Timon agnoſcit, ait enim diutine in Hungaria verſatum fuiſſe, *ante quam Pragenſem Pontificatum adipiſceretur*. Ditmarus autem Geyſam ab Antiſtite redargutum eſſe prodit. Non igitur ut Hypercritico noſtro placet, *citra dubium* ille Antiſtes, Adalbertus fuit; quin imo *citra dubium non fuit*. Unde exiſtimo Geyſam, quod ritus ethnicos principio converſionis non prorſus deſeruerit, ab alio aliquo Antiſtite reprehenſum fuiſſe. Quis vero ille fuerit, non eſt cur indagem. Satis eſt, quod Adalbertus certo non fuerit. Neque inveſtigandum mihi ſumo, quiſnam Geyſam ſacro fonte abluerit? de quo Hanſizius (*b*) ſic ſcribit. *Quis ille fuerit, qui Geyſæ Principi baptiſmum impertiit, nemo ſatis detexit. Adalbertus enim Pragenſis in Hungariam, Geyſa jam baptiſato, venit*, & quia poſterius, contra quam Græci Scriptores ſentiunt, Geyſam baptiſmum ſuſcepiſſe exiſtimat, hæc porro ſubjungit. *Manet igitur in obſcuro, quisnam iſthoc præſtiterit, niſi quod ſuſpicari liceat, id factum per aliquem Piligrini diſcipulum*. Ex his abunde conficitur, non omnibus, quæ Criticus Noſter dicit, continuo fidem habendam eſſe.

Item in Baptiſmo S. Stephani

Porro, in Diſſertatione mea (*c*) ſcripſi diſertis verbis, S. Stephanum ab Adalberto Chriſtiano ritu ablutum eſſe, Patre Luſtrico Theodato Comite Bohemiæ. Adverſarius idem adſtruit: quid igitur teſtimonia, quibus libellum ſuum (*d*) ad tædium farcit, huc faciunt? nihil, niſi quod illa mea illum urunt. Exardeſcit, & in me fertur. *In Deſingium* inquit, *Virum certe do-*

---

fuit. Hanziſius enim loc. cit. erudite probat Piligrinum Anno CMLXXI. Epiſcopatum adiiſſe, id quod certiſſimum evadit ex Chron. Laureac. Archi-Epiſcop. apud Hier. Pez. Tom. I. Item ex indiculo pevetuſto Patav. Antiſt. Altero indiculo Cod. MS. Gotvic. Chron. Laureac. Pontif. Bernardi Norici Monachi Cremifanenſis &c. Igitur nec Piligrinus nec Diſcipuli ejus Geyſæ baptiſmum Anno CMLXIX. aut ſequente poterant impertire, nam ante aditum Epiſcopatum Piligrinus nullum cum Hungaris commercium habuit.

(*a*) Timon Imag. antiq. Hung. Lib. III. Cap. VIII. pag. 401.

(*b*) Hanziſius. loc. cit.

(*c*) Diſſer. meæ pag. 43. (*d*) Diatr. pag. 57.

doctum nullo ſuo merito invehitur, quod affirmet a Brunone Epiſcopo Herbipolenſi Stephanum ſacro lavacro ablutum fuiſſe, additque, Deſingium ex Ademaro hunc errorem hauſiſſe. Hic Noſter rurſus de Scammate abit, & non inſtrumenta ad veritatem, ſed partes ad factionem quærit. Deſingium recondita ſcientia inſtructum eſſe, & ego probe novi, & eximia ejus opera, quibus non raro utor, ſufficienter teſtantur. Sed propterea non aberratne, quando ſcribit Stephanum a Brunone baptiſatum? utique: & hunc errorem protuli. Eſtne hoc invehi in Deſingium? Ridiculam dixi, hanc opinionem. Quid nocui famæ Viri docti his meis? nihil ſane; ſed qui vertigine laborant, omnia ſurſum deorſum verti putant, cum ipſi vertantur. Nullam Noſter calumniandi occaſionem negligit. Tale eſt illud, quod propterea in me contorquet, quia ſcripſi, Deſingium errorem ab Ademaro hauſiſſe, hoc ſcripſi, ſed non illud, quod Brunonem, quem Stephano baptiſma contuliſſe putat, Ademarus Epiſcopum Herbipolenſem (*a*) dicat. Conſului ego ſane Ademarum (*b*) licet cæco me impetu ſcribillare clamet Ariſtarcus Noſter, & legi apud illum: *Brunus Epiſcopus de Civitate Osburg.* ſed ſententiam ejus non adduxi, partim quia nulla ſuberat cauſa, partim ne in illum injurius ſim.

Nunc calumniis ab Adverſario non optima fide impactis, provocatus inſinuare debeo, Ademarum hac in re multimodis aberrare. Verba hujus Monachi S. Eparthii Engoliſmenſis ſunt: *Erant Ottoni III. duo reverentiſſimi Epiſcopi, Sanctus videlicet Adalbertus, & Sanctus Brunus Epiſcopus de Civitate Osburg, quæ eſt in Provinciam Bojoariæ, conſangvineus ejusdem Imperatoris -- Ille abiit in Pollianam provinciam, & prædicare cæpit Evangelium, quod exemplum ejus ſecutus Brunus Epiſcopus, petiit Imperatorem, ut pro eo juberet conſecrari in ſede ſua Epiſcopum, quem elegerat, nomine Odolricum: quo & ipſe humiliter abiit in provinciam Hungariam. Sanctus Brunus convertit ad fidem Hungari-*

(*a*) Hic equidem dormitavi, nec enim Deſingius Brunonem Epiſcopum Herbipolenſem dicit, ſed Auguſtanum: utrumque quidem idem error eſt; ſed tamen reſcribendum eſt: *Auguſtanum.* Mirum, quod id Noſter mihi non objecerit.

(*b*) ap. Caniſ. antiqu. Lect. Tom. III. pag. 66. Labb. Tom. II. Biblioth. pag. 198.

am provinciam, & aliam, quæ vocatur Ruſſia. Regem Ungariæ baptizavit, qui vocabatur Geicz, & mutato nomine in baptiſmo Stephanum vocavit, quem Otto Imperator - - a baptiſmate excepit - - Rex ſupra dictus filium ſuum baptizare juſſit, & S. Bruno impoſuit ipſi nomen ſicut ſibi Stephanum - - At S. Brunus cum ad Pincenatos properaſſet, & Chriſtum prædicare cæpiſſet illis, paſſus erat ab eis, & Dei Martyrem perfecerunt. Hæc Ademarus, & quot verba, tot fere hallucinationes. Jam illud ridiculum eſt, quod S. Udalrici Epiſcopi Auguſtani Anteceſſorem Ottonis III. tempore in vivis egiſſe adſtruat, cum tamen certum ſit, Udalricum Anno CMXXIII. Cathedram Auguſtanam conſcendiſſe *(a)* Ottonem vero III. primum Anno CMLXXXIII. Imperatorem ſalutatum eſſe *(b)* adeoque Udalricus annis LX. ante Ottonem III. Auguſtanis præeſſe cæpit. Deinde nuſpiam habetur teſtimonium, quod Bruno iſte, Ruſſorum Apoſtolus Evangelium apud Hungaros prædicaverit; minus vero, quod Geiſam, & Stephanum ſacro latice tinxerit; neque ullum eatenus indicium apud Ditmarum extat, qui tamen Brunoni & ſangvine, & familiaritate conjunctus fuit, adeoque rem tanti momenti memorare non neglexiſſet. Tum, labitur, quod Brunonem iſtum Conſangvineum Ottonis III. faciat. Scio ego duos Brunones Ottoni ſangvine junctos fuiſſe: alterum qui anno CMLIII. in Epiſcopatu Colonienſi Wigfrido ſucceſſit: obiit anno CMLXV. fama Sanctitatis conſpicuus. *(c)* Alterum Saxonem, qui mortuo Joanne XV. ex Presbytero *(d)* ad Pontificatum anno CMXCVI. provectus, Gregorii V. nomen ſumpſit *(e)* At neuter horum venit in Hungariam prædicationis cauſa. Tertius Bruno Ruſſorum Apoſtolus, de quo Ademarus, licet clariſſimis natalibus ortus eſſet, nullibi tamen proditum eſt, iſtum Ottonis III. conſangvineum fuiſſe. Denique apertus error eſt, quod iſte Bruno ætate Ottonis fuerit Epiſcopus. Is enim a Tang-

---

(*a*) Vide pag. ad an. CMXXIV. Num. III. & IV.

(*b*) Ditmar. Lib III. Hepidan. in Chron. Chronogr. Saxon. ad an. CMLXXXIV.

(*c*) Rourger. coævus Corbejæ Monachus in vita Brunonis ap. Leibnitz.

(*d*) Bruſchius, aliique nonnulli eum Epiſcopum Verdenſem fuiſſe opinantur, ſed non recte, ut obſervavit Ughellus.

(*e*) Vide Lamber. Schaffn. Sigeber. Ditmar. Lib. IV. Brower. Ann. Trevirens. Brunner. Hiſtor. Bojor. Gelen. Sigon. Lib. VII.

Tangmaro Archi-Episcopo consecratus Sacerdos, petiit a Sede Apostolica potestatem docendi barbaras gentes, qua impetrata, in sancto opere a Russis, cum XVIII. sociis XVI. Kal. Mar. anno MVIII. (a) capite plexus glorioso Martyrio vitam finivit: ut hæc Ditmarus, Marianus Scotus, Urspergensis confirmant. Præterea Bruno iste non nisi post mortem Ottonis III. regnante Henrico II. Imperatore, petita Merseburgi facultate, benedictionem Episcopalem a Tagmone (b) suscepit, ut testis est Ditmarus, (c) & tamen Ademarus Brunonem Episcopum nominat, & cum Adalberto apud Ottonem fuisse adstruit. Ad hæc addit Ademarus, Brunonem Civitatis Osburg, seu Osnaburg Antistitem fuisse; quod insigniter hiat. Nam Dodoni I. Episcopo Osnaburgensi successit Drogo I. an. CMXXXVIII. Huic Ludolphus CMLXIX. IV. Idus Apr. Ludolpho Dodo II. CMLXXXIII. & e vita migravit CMXCVI. II. Id. Apr. Nullus inter hos Bruno, adeoque Osburgensis Episcopus non fuit (d) Errat igitur cum Ademaro Crito Noster, dum Brunonem non Herbipolensem, sed Osburgensem Episcopum fuisse scribit, & frustra, ac leviter me carpit, imo etiam fide non integra; nam ego nuspiam affirmavi, Desingium circa locum Episcopatus Brunonis errantem Ademarum secutum fuisse; verum solum, quod ad baptismum a Brunone Stephano collatum attinebat. Quod cui libuerit meam Dissertationem adire, planum fiet, uti & retorta fides Adversarii. Hæc vero eo duntaxat fusius pertractanda suscepi, quia Noster scribit, a me Ademarum non fuisse inspectum. (e)

(a) Vide Chron. Alberti Abbatis Stadens.

(b) alias Tangmaro.

(c) Ditmar. Lib. VII. constat etiam ex Petro Damian. in vita S. Romualdi Cap. XXVII. Brunonem, alias Bonifacium non nisi post mortem S. Adalberti Episcopum consecratum esse.

(d) Vide Chron. Osnaburg. Ervini Ertmanni ap. Meibon. Script. rer. German. Tom. II. pag. 203. Schatten. Annal. Paderb. Tom. I.

(e) Ademarum istum Cl. Pray Annal. Vet. Hung. Par. III. pag. 378 Monachum Chabonensem facit, cum tamen Ecolismensis, seu Engolismensis fuerit, ut testes sunt Canisius Antiqu. Lect. & ejus editor Jac. Basnage, Sirmondus item Tom. IV. pag. 45. & alii. Deinde Noster Diatr. pag. 57. in medio relinquit, an Bruno, quem Ademarus Osburgensem Episcopum nominat, *idem fuerit cum Brunone Verdensi Episcopo ad annum CMLXXV. mortuo.* At id non erat in medio relinquendum, certissi-

Rursus in Theodato Bohemiæ Comite.

Miratur porro Adversarius, quod Theodatum S. Stephani Lustricum Patrem, Comitem *Bohemiæ* nominaverim. Sic ille semper extra oleas vagatur, & culices venatur. Ast dum id illi mirum videtur, rursus palinodiam occentat: existimo ego, omnia sua, quæ edidit, opera, procul nimia vi, lubentissime recantaturum esse, dummodo mihi dicam impingere posset, sed providentiæ galea tectus sum. Hic me ista scibentem deridet; alibi (a) suspicatur Pappatem quem S. Adalbertus in Bohemiam rediturus, sui loco reliquerat, Theodatum Comitem Bohemum fuisse. Ita de Pappate habet: *Atque hic forte idem est, quem Timon Theodatum - - quemque præterea Comitem Bohemiæ, & Lustricum Patrem S. Stephani fuisse existimat.* Idem exerte scribit, Pappatem Boleslai Bohemiæ Ducis fratrem, seu fratre chariorem fuisse, atque a S. Stephano Tatam vocari solitum: post pauca vero (b) Pappatem verisimiliter putat fuisse eundem cum Tata, seu Theodato. Certe Pappatem, seu Radlam consangvineum Boleslai Ducis fuisse, nemo prudens inficiabitur. (c) Nam Biographus S. Adalberto coævus diluci-

de

---

tissimum enim est, Ottonem III. nec natum fuisse, cum Bruno Verdensis obiit, Ademarus vero loquitur de Brunone Ottoni III. æquævo. Vide Ditm. Hepidan. Annal. & Chronog. Saxonem - Sed & eam ob rem id non fuisset in medio relinquendum, quta ad illustrandam Historiam multum confert. Igitur educendus est Noster e medio. Bruno Verdensis is erat, quem, cum Geisa *de pace cæpit accurate tractare*, ut inquit Chartuitius, Otto Magnus delegit, & in Hungariam misit, quique conciliata cum Geisa pace, viam præparavit Religioni: & Geisam flexit, ut pariter Legatos mitteret ad Ottonem, uti videre est apud Lambert. Schaffnaburg. ad annum CMLXXIII. quo eodem anno Otto M. mortem oppetiit. Hæc ex Epistola Ottonis ad Piligrinum non obscure eruuntur, quam vide ap. Mabillon. Sæc. VI. Bened. Par. I. pag. 81. De his plura possem, sed brevibus non licet, prolixius nolo.

(a) Annal. Vet. Hung. pag. 382.

(b) Ibid. pag. 384.

(c) Cl. Pray hoc ipso loco, seu Diatr. pag. 57. somnium narrat, scribit enim geminum nomen Protoregi nostro in baptismo inditum esse, Stephani videlicet, & Adalberti. Hoc immodice audax facinus est, quod ante illum nemo ausus fuit. Sed novellam plantulam firmare satagit. *Ditmarus siquidem Lib. IV. scribit, Stephano etiam nomen fuisse Vaic: atqui Vaic Bohemis, ut Balbinus notat, Adalbertus est.* Mihi vero videtur hic Prayus cum Balbino pariter errare. Sane apud nullum alium Bohemicarum rerum Scriptorem id repereris; etsi enim non desint, quibus *Voitech* idem est, quod Adalbertus, nullus tamen adstruit *Voitech*, & *Vaic* eandem significationem habere: & revera inter has voces neque ulla similitudo intercedit, nisi quod utraque a litera *v.* inchoet. Quod si Nostrum ad illam inanem

opi-

de id teſtatur (a) his verbis: *Poſt populus terræ Epiſcopum ſuum evocant: Pappatam Radlam, qui frater carnis Duci erat, & Chriſtianum Zrahkwaz (b) Monachum eloquentem Virum in hoc opus eligunt.* Quia vero Criticus Noſter ultro fatetur. Pappatem, ſeu Radlam eundem eſſe cum Comite Theodato, ſeu Deodato, Adeodato, aut Tata; iccirco neceſſum eſt affirmare, quod quemadmodum Boleslaus Dux, ita & Radla, Frater Boleslai, Theodatus dictus, & S. Stephani Luſtricus, Bohemi fuerint. Quæ ſi Noſter æqua, ut Criticum decet, lance libraverit, fortaſſe non ignorabit porro cauſam, curnam Theodatum Comitem *Bohemiæ* nominaverim? (c) At enim obſiſtit Joan-

---

opinatiunculam induxit, eodem jure ſcribere poterat, Stephanum etiam Venceslaum fuiſſe vocatum. Ita ſolæciſamus. Cæterum, Scriptores Bohemi communiſſime tenent, Voitech, & Adalbertus diverſa nomina eſſe. Sic Dubravius Hiſt. Bohem. Lib. VI. pag. 151. de Adalberto Magdeburgenſi loquens ait: *Solenni more eum* (S. Adalbertum) *in religione Chriſtiana confirmat, & pro Voitichio in Confirmatione Adalbertum illum appellat.* Unde patet in Baptiſmo nomen illi Voitichii, in Confirmatione vero Adalberti inditum fuiſſe: quod tantum non certiſſimo argumento evincit, duo illa nomina inter ſe diverſa eſſe. Id inſinuat etiam Biographus S. Adalberti, Scriptor coævus, in hæc verba: *Urbis* (Magdeburg) *Epiſcopus tunc erat Adalbertus I. qui quem ſuo nomine Adalbertum vocavit, bonæ indolis puerum, Voiticch Sancto Chriſmate linivit.* Pubitska idem fere ſcribit, nempe quod Voitechum Adalbertus Magdeburgenſis Antiſtes ſuo deinceps nomine vocari voluerit. Sic alii ajunt, quod qui antea Voitechus nominabatur, ſuſcepta Confirmatione Adalberti nomen conſecutus ſit. Sed & ipſe Ditmarus, qui primus, & ſolus e veteſtioribus S. Stephanum Vaic dictum fuiſſe adſtruit, de S. Adalberto Lib. VII. pag. 353. hæc adnotavit: *Adalbertus Bohemiorum Epiſcopus, qui nomen, quod Vortech* (rectius Voitech) *ſonat, in Baptiſmate, aliud* (id eſt Adalberti) *in Confirmatione percepit.* Et quia mox pag. 360. ait: Stephanum Vaich fuiſſe dictum; ne tantum Virum ſui immemorem faciamus, omnino dicendum eſt, Ditmarum duabus his vocibus *Voitech*, & *Vaic* diverſas ſignificationes indicaſſe. Nullum igitur ſupereſt dubium Voitecho, Vaico, & Adalberto prorſus diverſam ſignificationem ineſſe. Ac proinde Cl. Pray poſt Balbinum aberraſſe liquet, dum rem veteribus incognitam obtrudunt, tanquam ſi Vaic idem eſſet, quod Adalbertus.

(a) Biograph. S. Adalberti Cap. IV.

(b) Strachiquas alias vocatur, qui Ratisbonæ in Monaſterio S. Emerammi Monachum anno CML. induit, & Chriſtiani nomen aſſumpſit. Is frater erat Ducis Bohemiæ, & Roma reduci S. Adalberto, vitam S. Venceslai, & Ludmillæ, a ſe conſcriptam, obtulit. Vid. Coſm. Prag. ad ann. CMXCIV. Fleuri Hiſt. Eccl. ad annum CMLXXXIX.

(c) Hoc loco me arguit Noſter, quod fortaſſe ex Timone ſumpſerim Theodatum Comitem Bohemiæ fuiſſe. Quid tum? an indignum eſſe retur Timonem, ex quo quidpiam ſumamus? obſervabit, nec dubito, vir bonus ex hoc ipſo opere meo, præter Timonem, alios quoque Scriptores, quos inſpiciam, ad manus mihi eſſe.

Quod

Joannes de Thurocz, & ex illo Ranzanus, qui Theodatum, Comitem S. Severini de Apulia fuiſſe teſtantur. Ad hoc juvat Eruditiſſimi Gelaſii Dobner e Scholis Piis verbis reſpondere. Is poſtquam omnino docte, & nervoſe probaſſet, *Papas Radla, Theodatus, Tata, Anaſtaſius, Aſtricus*, unum idemque nomen eſſe, unum eundem Virum, tantopere in Vita S. Adalberti celebratum, indicare, demum (a) ſic ſcribit: *Idem Radla cum præſente anno S. Adalbertum ad Montem Caſſinum, & Valelucam in Apuliam usque comitatus fuerit, ac inde per Romam in Hungariam advenerit, an non fortaſſis hinc quoque, Traditionis Thuroczianæ reliquiæ exortæ, quod eum ex Apulia adveniſſe ſcripſerit, ſed neſcio ſimul, quem uxoratum Comitem S. Severini commentus ſit.* Sane, ſi Deodatus idem eſt, uti revera eſt, cum Pappate, Radla, Tata, Anaſtaſio; ut certiſſimum eſt, illum Bohemum fuiſſe, ita Thurotzii teſtimonio deferre nequimus.

Theodatus iſte Bohemus, Luſtricus Sancti Stephani, quem Sanctus Adalbertus Chriſtiano ritu abluerat, Pater fuit. Quamvis vero iſtud ſentiam; attamen audacter Crito Noſter mihi ſcripſiſſe videtur: *Cæteroquin*, verba ejus ſunt, *dubitare neutiquam poſſumus Stephanum ab Adalberto ſacris undis tinctum fuiſſe.* Profecto id non ita certum eſt, ut omne prorſus dubium excludat; neque enim deſunt graves Authores, qui id inficiantur: alii vero affirmant, S. Stephanum tum eſſe baptiſatum, cum S. Adalbertus jam e vivis exceſſit. Sed nec ipſe Bio-

---

Quod vero Timone, Kério, Thuroczio, uſus ſim, verum eſt. Nec Ciceroni, quod dixi, vim inferam, ſi quid ex ejus operibus ad literam, quod ajunt: in rem meam transtulero, imo etiam ex Noſtri ſcriptis aliqua excerpere eſt animus, & nomen ſubticebo. Cæterum de talibus Cl. Prayo tacendum potius eſſet; nam ſi verum fert fama, illum ut plurimum alienis volare alis, verendum eſt, ut ereptis pennis icari viam ineat. Ille paucis voculis mutatis, aut ordine ſententiarum inverſo integra folia ex aliis impune deſcribat, nobis ſincerius agentibus, quia ipſas verborum ſtructuras retinemus, id ipſum vitio detur? ſiſtantur in examen illius Annales, & quamvis frequentiſſime indicet, unde quid ſumpſerit, videbimus nihilominus, præſertim Tomum III. ferme ex aliorum ſcriptis compilatum eſſe: Signanter ex Epiſtolis Matthiæ Corvini ante paucos annos Caſſoviæ editis, quas antequam propriis verbis recitet, verbis ſuis prolixe explanat, idemque olus coquit, quaſi illæ alias intelligi non poſſent. Hinc dicere auſim biſillas exſcriptas eſſe. De his plura alias indicabo.

(a) Dobn. in Præterm. ad Annales Hagecii Tom. IV. pag. 347.

Biographus S. Adalberti Stephano, & Geysæ æquævus hujus baptismi meminit: quod tamen veluti rem memoratu dignissimam, & Adalberto, cujus vitam scribendam sumpsit, honorificam, referre non intermisisset. Sed hæc ad felicius tempus reservata sint. Modo illud solum moneo, inficetum argumentum esse, quod Adversarius ad conciliandam suis verbis de baptismo S. Stephani fidem isthic adducit. Dicit, ideo dubitari neutiquam posse, Stephanum ab Adalberto baptisatum esse, quia, id Chronicon Episcoporum Verdensium affirmat: atqui istud Chronicon (*a*) hæc ad nos transmittit: *His temporibus*, id est Brunonis Verdensis Episcopi XVI. *Sanctus Adalbertus Pragensis Episcopns Stephanum Regem Ungarorum cum multis baptizavit, qui Pontifex postea Martyrio coronatur*, falsissimum autem est, id hujus Episcopi tempore fieri potuisse; nam Bruno Verdensis Ecclesiæ Episcopus XVI. ad an. CMLXXV. VII. Id. Mar. mortuus est, ut Annalista Saxo, & Ditmarus habent, (*b*) quos duos Scriptores Cl. Pray sententiæ suæ Patronos adscivit. Fere certum autem est, S. Stephanum sub an. CMLXXXIII. in lucem editum fuisse, quod Noster quoque non uno loco, nec simplici vice tuetur. Igitur cum octo annis prius, quam Stephanus nasceretur, Bruno Verdensis Episcopus obierit, certe fieri non poterat, ut hujus ipsius Brunonis tempore, ut habet Chronicon Verdense, Stephanus ab Adalberto, qui tum nondum, contra quam scribit Chronicon Verdense, erat Episcopus, sacris undis tingeretur: nisi forte nobis Adversarius persvadere velit, Brunonem anno CMLXXXIII. vel sequente, quo Stephanus sacro fonte ablutus fuit, a mortuis resurrexisse, & ejus successorem Erponem interea potestatem Episcopalem eidem concessisse. Unde videre est, non modo infeliciissimo evnentu Adversarium Nostrum usurpasse Chronici Verdensis testimonium, verum etiam hunc palmarem errorem ad majora Historica sphalmata, rejiciendum, exterendumque esse.

Neque illud optimam Historiarum cognitionem manifestat, quod eodem loco Noster de Ademari Brunone Episcopo, ut

Denique in Brunone Episcopo Osburgensi.

T ille

(*a*) Chron. Episc. Verden. in Brunone Episcopo XVI. ap. Leibn. Tom. II. p. 215.
(*b*) Annal. Saxo ad annum CMLXV. Ditm. Lib. III.

ille vult Osburgenſi, his verbis ſcribit: *qui an idem fuerit cum Brunone Verdenſi Epiſcopo XVI. & ad annum CMLXXV. VII. Idus Martias mortuo - - in medio relinquo.* Satis male; non erat ſane id in medio relinquendum; hac enim phraſi Lectoribus aperte imponitur, ut rem intricatam eſſe exiſtiment. Exploratum ſiquidem eſt, Brunonem Ruſſiæ Apoſtolum; nam dilucide de hoc agit Ademarus an. MVIII. XVI. Kal. Mar. ut ſupra innui, Martyrio a Barbaris affectum fuiſſe: exploratum itidem eſt ex Chronico Verdenſi, Brunonem Verdenſem Epiſopum XVI. nec unquam apud Ruſſos prædicaviſſe; nec Martyrii palmam conſecutum, ſed naturali morbo ad annum CMLXXV. extinctum, ut teſtes ſunt Ditmarus, & Annaliſta Saxo, ad illam ætatem haud perveniſſe. Id extra omne dubium ponit Diploma Ottonis Imperatoris ad preces Theophaniæ Auguſtæ, quæ anno CMXCI. obiit. *(a)* Erponi Verdenſi Epiſcopo XVII. & Brunonis Succeſſori, anno CMLXXXV. collatum *(b)* Ac proinde certiſſimum etiam eſſe oportet, Brunonem Ademari, Ruſſorum illum Apoſtolum, & Martyrem, omnino diverſum eſſe a Brunone Verdenſi Epiſcopo XVI. Et quia iſta omni prorſus dubio carent; aut veluti explorata referenda ſunt, aut certe in medio neutiquam relinquenda: quod ſolum in rebus dubiis aut non ſatis extricatis Eruditi permittunt. Ita in Pyrroniſmum prolabitur.

§. VII.

Falſimonia Adverſarii de Decreto Andreæ I. R. detegitur

Talsum contumeliarum porro ducit Noſter, & depravate infit. *(c) Miror Adverſarium, quod Decretum Andreæ I. pro genuino venditare auſit.* Miror ſane ego Critonem Noſtrum, quod adulteratas merces, pro genuinis palam venum exponere non

---

(*a*) Theophania Ottonis II. Auguſta Neomagi XVII. Cal. Junii anno CMXCI. funus fuit. Delata ſubinde Coloniam Agrippinam in æde S. Pantaleonis M. ab Evergero Colonienſi Archi-Epiſcopo funerata eſt, præſente filio Ottone III. Ditm. Lib. IV pag. 351. Lamb. Schaffn. Annal. & Chronogr. Saxo. Annal. Hildesh. ad h. a.

(*b*) V. Chron. Verden. in Erpone Epiſcopo XVII. cui illo Diplomate Otto *donavit, in loc. Verd. - - facere mercatum monetam, theloniun, & bannum.*

(*c*) Diatr. pag. 58

non erubeſcat. Ubi Decretum Andreæ, pro genuino venditavi? fortaſſe apud illius famelicum Scrutarium? Id ſolum dixi Andream I. Regem, in ſuis Conſtitutionibus caviſſe, ut Ethnici ritus tollantur: ab eo autem penitus abſtraxi, numnam illæ Conſtitutiones, ſeu Decretum genuinum ſit? Et cur ita loqui non audeam? quando in Corpore Juris Hungarici, cujus triplicem editionem poſſideo, utpote Viennenſem anni MDCXXVIII. Tyrnavienſem anni MDCXCVI. & rurſus anni MDCCLI. In his plane eundem verborum tenorem reperio; ita illa ſonant: *Andreæ I. Edictum, ſive Conſtitutiones:* & in capite Conſtitutionum: Andreas I. *Rex Corona Sancta redimitus, per univerſum Regnum promulgavit hoc Decretum.* Editi ſunt duo poſteriores Codices, Typis Academiæ Tyrnavienſis, quæ tum ſub cura tot præclarorum, & Doctorum Virorum, erat, Audebit ne Noſter de celeberima hac Academia vociferari, quod Decretum Andreæ I. pro genuino venditare auſa ſit? id equidem, niſi frontem abjiciat, non attentabit. Cur igitur me, hæc eadem, nec quicquam ultra ſcribentem adeo illiberaliter accuſat? cur ſenſum verborum meorum data opera, non integra fide, detorquet? cur inſigni falſimonia miſta dicteria mihi tam præpoſtere allinit? odium, perturbatio animi! (*a*)

Dehinc reliquos, ut ille quidem ſibi perſvadet, errores meos compendio (*b*) in acervum cogit. Vereor, ut acervus tam ampla verborum pompa coactus corruat: ipſa certe acervi baſis non modice hiat. *Gyulam*, inquit, *Tranſylvaniæ Ducem perperam Noſter Crito Avunculum S. Stephani fecit.* Illud: *perperam fecit*, idem hic, niſi, me omnia fallunt, ſonat, quod: nullo probato Scriptore præeunte, adeoque arbitrarie ſolum, com-

In Gyula item Tranſylvaniæ Duce.

(*a*) Audiamus etiam Péterfium, Virum doctum. Is Concil. Hung. pag. 12. ſic habet: *Sumptis jam inſignibus, Andreas reſipiſcens de integrandis Hungariæ rebus cogitatum ſumſit, & perfecit feliciter. Convocati ad Comitia Ordines, & qui de Cetero ſupererant, eo permovere Conſiliis ſuis Regem, ut illatam Deo, & Religioni injuriam, munificentia æque, ac pœnis in tumultuantes dictatis emendaret. In hoc itaque Conventu Conſtitutiones, ſeu Decreta, quæ ſubjungimus, edita ſunt.* Poſt hæc Conſtitutionibus hunc titulum præponit: *Conſtitutiones Eccleſiaſticæ Andreæ I. Hungariæ Regis.* Venditatne Péterfius pro genuino Decretum Andreæ I.? atqui ego nihil plus loquutus ſum.

(*b*) Diatr. pag. 60.

commentus est. Lustremus, quam hæc vera. Magister Joannes de Thurocz (a) isthæc ad nos transmittit: *Beatus Stephanus -- famosum, & lucrosum bellum gessit contra Avunculum suum nomine Gyulam.* Bonfinius (b) *Inter Stephanum, & Gyulam Avunculum intestina bella exoriuntur.* Petrus Ranzanus (c) Stephanus *suscepit, gessitque bellum adversus Gyulam Avunculum suum.* Abrahamus Bakslai (d) *suscepit gessitque bellum adversus Cupam Simegiensem Ducem, item contra Gyulam Avunculum suum.* Ladislaus Thuroczi (e) *Gyulam Avunculum, suum Transilvaniæ Ducem -- in suam potestatem redegit.* Rmus, ac Cl. D. Carolus Palma (f) *Gyula Transilvanicæ, Regionis Dux, idemque Divi Regis Avunculus -- bellum Nepoti denuntiat.* Et hi fere sunt Rerum Hungaricarum Scriptores, qui ad illa usque tempora Historiam suam adduxerunt. Dic Sodes, Gyulam Transilvaniam S. Stephani Avunculum adhuc ne *perperam feiciſſe* videor? Vin' etiam Exteros? Annales Hildesheimenses (g) ita habent: *Stephanus Rex Hungariæ super Avunculum suum Regem Julam cum exercitu venit, quem cum comprehendisiet* -- Annalista Saxo Gyulam S. Stephani Avunculum fuisse commemorat. Stanislaus Sarnicius (h) *Is autem* (S. Stephanus) *bellum gessit cum Avunculo Dziula ob susceptam Christianam Religionem.* Sufficiuntne tot graves testes? possem & alios, quam plurimos, nî otio abuti vellem, statuere. Sed quid opus multis? Ipse ille Noster (i) ita scribit: *Præerat tum Transylvaniæ Gyula Stephani Avunculus.* Rursus palinodia (k) Et tamen ego Gyulam Transylvaniæ Ducem, *perperam Avunculum feci,* Si tot probatorum Scriptorum authoritate niti, est perperam facere? exulat veritas, fides Histo-

(a) Joan. Thurocz. Chron. Hung. cap. XXIX.
(b) Bonfin. Decr. II. Lib. I.
(c) Ranz. Epit. rer. Hung. pag. 355. ap. Schvandn.
(d) Bakslai Chronol. Reg. Hung. ad calcem Bonfin. pag. 916.
(e) Ladisl. Thurocz. Hung. cum Reg. pag. 31.
(f) Palma Notit. rer. Hung. pag. 99.
(g) Annal. Hildesh. ad annum MIII. apud Leibnitz. Scriptor. rer. Brunsv. Tom. I. pag. 722.
(h) Sarnic. Annal. Polon. Lib. VI. cap. III. pag. 1044. apud Dlugoss.
(i) Pray Annal. Reg. Hung. Lib. I. pag. 17.
(k) Quodsi recantationum Prayanarum syllabum vellem texere, magnam sane farraginem conflarem.

ſtoriarum periit. Ille uni Belæ Regis Notario (*a*) verbis motus, quæ ſcripſit, protinus retractat, & Nos dum pene omnium Domeſticorum, & Exterorum, qui Gyulæ ſaltem mentionem faciunt, teſtimoniis adhæremus, perperam facere cenſendi ſumus? Ita fit, ut cum inveterata Scriptores laceſſendi conſvetudine agitamur, faciles ad effundendas ſusque, deque calumnias ſimus, nec noſtri, minus aliorum memores.

In Gerardo Chanadienſi Epiſcopo.

Perinde facilis eſt Adverſarius, cum (*b*) ait, errorem meum eſſe, quod ajam, Gerardum ab S. Stephano *Chanadienſem* Epiſcopum creatum eſſe; *Moriſanum* enim dicere debuiſſem: & dum hæc ſcribit; putat ſe partes Critici ſuſtinere, cum tamen inanem de ſolo nomine quæſtionem ſuſcitat. Dum adhuc ſupremæ Grammatices Claſſi Adoleſcens vacarem, ſcivi Moroſenæ, aut Moriſanæ Urbi, quæ deinde ex militari Viro Chanado, Chanadienſis nomen ſortita eſt, Gerardum Epiſcopum datum fuiſſe. Aſt per *prolepſim* loqui quis vetat? relata ad moderna tempora, ut facilius intelligar; neque enim pro ſolis ſingula-

(*a*) Quis hic Belæ Regis Notarius, cujusve e quatuor fuerit? non eſt facile ſtatuere. Mathias Belius in Præfat. ad Script. rer. Hung. inclinat ad Belam IV. proinde illum ad Sæculum XIII. profert. In eo multa occurrunt, quæ hactenus aut ignorata erant Scriptoribus Hungaricis, aut non ſatis explicata: non prodit autem quo fonte ſua hauſerit. Unde Belius opinatur, eum pleraque ex Ruſſorum Annalibus mutuatum fuiſſe. Hæc non eo, ut fidem præſtantiſſimi Scriptoris elevem, cui & quæ ad Gyulam attinent, lubens defero: verum ne quis religioni ſibi ducat, ſi in pauculis, quæ plane ſingularia, & contra omnium Domeſticorum, pariter & Exterorum Scriptorum ſenſum narrat, ab illo diſceſſionem fecerit: eo magis, quod Thuroczius Chronicæ Hungarorum partem I. & II. ex Codice MS. Auguſtæ Bibliothecæ Vindobonenſis concinnaverit, ut teſtis eſt Lambecius in Diario itineris Cellenſis pag. 61. 62. 267. edit. Vienn. MDCLXVI. Ejus initium eſt: *Anno Domini MCCCLVIII. Feria III infra Octavas Aſcenſionis ejusdem Domini incæpta eſt iſta Cronica. De Geſtis Hungarorum.* Et Thuroczius fortaſſe αυτογραφῳ Auctoris uſus erat. Iſtud enim de quo agimus αυτογραφον eſt, ut videre licet apud Belium loco citat. atque adeo ad Sæculum XIII. retrudendum, quo etiam Anonymus Belæ Regis Notarius Hiſtoriam ſuam, ut reor, ſcripſit. Quidquid ſit, iſtud poſterius opus priori certo ſuppar ſaltem eſt. Et ex iſto Chronico affirmat Thuroczius Gyulam S. Stephani Avunculum fuiſſe, quod Belæ Notarius non adſtruit. Alteruter igitur lapſus eſt. Pro partibus Thuroczii ſunt tot Doctiſſimi Viri, quorum nomina retuli: pro Belæ Notario Cl. Pray, qui ſi hæc noſtra, ut oportebat, expendiſſet; fortaſſe tanta inclementia in me non detonuiſſet, tanquam ſi Gyulam S. Stephani Avunculum *perperam feciſſem.*

(*b*) Diatr. pag. 60.

gulari eminentia Doctis Viris, qualis est Noster, scripsi, utique dicendum erat ab S. Stephano Gerardum Chanadiensem Episcopum renunciatum esse. Si ex hujusmodi erroribus, ut fere est, acervus Critici Nostri assurgit, optime mecum agitur, & vehementer gaudeo, quia prævideo fore, ut æquus Lector arbitretur, illum rectæ crisi minime satisfacere, quin potius jocari: aut nugari. Et nunquid ille ipse in suis operibus, quæ videri possunt, similia frequentissime agit? imo hoc ipso etiam loco, Belæ Regis Notarii adducto testimonio, ait: *Gyulam*, ex *Zombor* natum esse, cum tamen illa ætate, ut habet Notarius, *Geula*, & *Zubor*, seu *Zumbor* diceretur. Sed his bullis immorari indignum est, nec graves Viros de nomine, quando in re idem sentiunt, disceptare decet.

Cæterum memoratus ille Chanadus, vel ut aliis placet Tsanadinus, Acthumum, qui etiam Actomus, nominatur, hominem potentem, qui tractui illi, quem subinde S. Stephanus Chanadiensi Episcopo subjectum voluit, dominabatur, Divo Regi repugnantem, post recitatam in honorem S. Georgii, ut perhibet Biographus Vitæ S. Gerardi centies, quadragesies orationem Dominicam, prælio superavit, & prius, quam Episcopatus institueretur, ædem Deo, Sanctoque illi Martyri ad amnem Marum, seu Marusium ædificavit. (a) Quid si hoc tempore, id est, ante conditum Episcopatum, quod oppido credibile est, Morisanum Oppidum a Chanado Chanadinum nuncupari cæptum est? sane ab illius nomine suam nomenclaturam accepit. Quod si ita est, ut esse videtur, falsum erit, quod Noster (b) scripsit; videlicet: *serius id nomen invaluit, & tempore S. Stephani Regis alius non erat usus, quam Morisiensis aut Morisani Episcopatus*; quamvis enim principio mutatorum nominum, vetera non protinus aboleantur, ac e memoria hominum excidant; non est tamen expeditum, quod primum post conditum Episcopatum Chanadini nomen invaluerit, aut esse cæperit, ut vult Adversarius.

Nnnc

(a) Vide Timon. Imag. Hung. novæ. pag. 11.
(b) Diatr. pag. 60.

Nunc tandem albis quadrigis se vehi existimat, & exultat Hypercriticus Noster, cum me lapsus damnat (*a*) quod Emericum Regem ex Bela III. & Maria Emanuëlis Constantinopolitani Imperatoris Filia natum esse affirmarim. Triumphet, per me licet, & ego triumphanti plenam Cyrneam porrigo (*b*) caveat attamen, ambabus arripiat manibus; nam major illius pars Vindobonensium rumusculorum germanico Compilatori debetur, ex quo Noster fere ad verbum sua exscripsit (*c*) Interim, etsi genealogiam Emerici Regis, velut ob iter solum memoraverim, adeoque non erat necesse in rem ad argumentum meum neutiquam pertinentem, penitiori disquisitione inquirere. Nolo tamen existimet Adversarius, sententiam suam ita firmo talo consistere, ut succuti nequeat: sin minus; extra dubium certo non est. Audiamus, quis de hoc Scriptoribus sensus. Chronicon Austriacum (*d*) Authoris plane Synchroni ita habet: *MCLXIX. Hungarus, auxilium sibi præstante H. Duce Austriæ Socero suo bellum movet Græcorum Imperatori, pro eo quod fratrem suum Regium affectantem suscepit: quem etiam Conjugio filiæ ditavit* (*e*) Eadem habet Appendix vetusti Authoris ad Radevicum (*f*) Manuel ipse in Epistola (*g*) ad Stephanum III. Regem Petrico, ubi Castra metatus est, exarata, cætera inter hujusmodi verbis uti-

Etiam in Emerici Regis Matre.

(*a*) Diatr. pag. 61.

(*b*) Nolim hic Noster me in Histrioniam definere sibi persuadeat, ut alibi cum præstantissimo Viro illiberaliter fecit. Idmodi phrasibus reducendus est Scriptor, qui in omnes pariter grassatur.

(*c*) Publicus iste Scriptor, qui in cunctis etiam tabernis cum voluptate legitur, ad diem III. Apr. MDCCLXXVI. 117. in Germanicis Ephemeridibus, quarum Titulus: Anzeugen ita scribit: Heist es, der König Emericus sey der Sohn Belæ des III-ten, und Mariæ einer Tochter des Griechischen Kaisers Emanuel. Da es doch gewiß ist, daß diese Maria dem Bela III-ten zwar verlobt, aber nit eingetrauet, sondern da sie schon über XXX. Jahre alt war, dem sehr jungen Prinzen des Marggrafen von Montferrat zur Gemahlin gegeben worden. Die beste Gemahlin gedochten Bela war Anna eine Schwester Maria der Gattin des Griechischen Kaisers Manuel, welche vorher Berchta hieß. Dignus proinde iste est, cum quo Noster, triumphale epulum dividat.

(*d*) Chron. Austri. Sæc. XII. ap. Hier. Pez. Script. rer. Austr. Tom. I. pag. 560.

(*e*) Hic de Stephano III. Rege, qui Henrici Filiam Agnetem Uxorem duxit, & de Bela III. Sermonem esse, nullum dubium est: an etiam autem Chronologia exacta sit? non moror.

(*f*) Append. ad Radevic. ap. Urstis. Germ. Hist. Tom. I. pag. 559.

(*g*) Vid. integram Epistolam ap. Cinnamum. Lib. V. pag. 126. edit: Paris.

utitur: *Si igitur te etiam volente Belam Generum noſtrum eſſe contigit, quod & tu pactis ipſis firmaſti, cur non reddita ei ſua poſſeſſione noſtra potius frueris ſocietate, & benevolentia? Si vero neceſſitudinem, & affinitatem reſpuis* - - Chronologia Nicætæ Choniatæ Annalibus præfixa, ſic habet: *MCLXVIII. Manuëlis Gener Pannoniæ Regnum occupat. MCLXIX. Mariam filiam dat Uxorem Marchionis Montisferrati filio (a)* In notis Marginalibus ad Nicætam Acominatum doctiſſimus Carolus Annibal Fabrotus, aut quisquis alius *(b)* iſthæc apponit: *Manuël ob filii præſtantiam prius conſilium mutat: & Conjugium mandato Divino transgreſſo diſſolvit. Alexium* (hoc enim nomine Belam Græci vocabant) *a Socero indignis modis uxore privatum, Dei benignitas promovet, & potenter evehit, Manuël autem illegitimi divortii illius a ſe facti, & ambitionis ſuæ luit pœnas.* Hinc apparet, tot egregios Scriptores exiſtimaſſe, inter Belam III. & Mariam Emanuëlis Imperatoris filiam, verum Conjugium fuiſſe. Unde ſi quid forte ego in Hiſtoriam hic peccavi, refelli non poſſum, niſi una mecum præſtantiſſimi Scriptores damnentur. In hos telum ſtringant, qui pugnare volent.

Quid? quod ipſemet Crito Noſter, poſtquam ex Cinnamo retuliſſet: Manuel *Belam, qui poſt Stephanum Geyſæ filius erat, Mariæ filio Matrimonio jungere conſtituit* - - *Deinceps autem, quæ ad affinitatem iſtam neceſſaria erant, curavit Imperator* iſta ſubnectit: *Quanquam autem pax Matrimonii vinculo corroborata eſſet; Stephanus tamen, ob græcanicum ingenium haud ſatis tutum ſe hac parte futurum putabat, niſi finitimorum amicitia quoque fulciretur.* (c) Sed poſt pauca, ſui immemor, diverſa ſcribit: *Nequaquam* inquit, *ut pactis primum utrinque convenerat, filiam Manuëlis Belæ copulatam fuiſſe, ſed Sororem Auguſtæ (d)* En! jam Matrimonii vinculo pax corroborata fuit, jam Maria Belæ copulata non

---

(a) In corp. Hiſt. Bizant. Tom. XIII. edit. Venet.

(b) Ibid. pag. 89.

(c) Pray Annal. Par. I. Lib. III. pag. 150. Non Puto autem, quod hoc loco Matrimonium *de futuro* intelligat, nam iſta loquendi ratio nimis intricata eſſet, nec Hiſtoriarum Scriptoribus conveniens.

(d) ibidem. pag. 163.

non erat. Illud autem oppido mirabile eſt, quod iſtis confeſtim in hæc verba ſubjicit, *an vero Irenes Alemannæ, quam primum Manuël in Matrimonio habuit, num contra Mariæ Antiochenæ, quam defuncta Irene uxorem aceeperat, incertum eſt.* Sicciне? incertnm eſt? cur ergo in Diatriba (*a*) confidentiſſime affirmat, Uxorem Belæ III. fuiſſe Sororem Mariæ Pictavienſis Comitis filæ, & Uxoris Emanuëlis Imperatoris? Auſim ſciſcitari? quis eſt Orbilius? Jam vero hæc ſatis aperte declarant, non prorſus *Spiſſum* eſſe, quod Adverſarius cavillatur, ſi affirmem, Emericum Regem ex Bela III. & Maria filia Emanuëlis Conſtantinopolitani Imperatoris natum eſſe.

Duas Uxores habuit Manuel: prior fuit Bavara, ut teſtis eſt Godefridus Vitterbienſis (*b*) *Conſtantinopoli*, ait, *Manuel imperabat, habens uxorem Teutonicam, Sororem ſcilicet uxoris Conradi Regis natam de Sulczbach Filiam nobiliſſimi Comitis in terra Bavarorum* (*c*) Otto Friſingenſis (*d*) ſic habet: *Anno ab Incarnatione Domini MCXLIII. Calojoannes Conſtantinopolitanus Imperator, qui filio ſuo Manuel ſororem Reginæ Gertrudis deſponſando, cum Romano Rege Conrado amicitiæ fœdus inierat.* Burchardus Struve (*e*) *Imperator uxoris ſuæ ſororem Berchtam protinus illi deſtinaverat, firmatum etiam anno MCXLII. inter utrosque fœdus fuit:* hoc eſt, iſto vel ſequente anno Manuel Berchtam ſibi deſponſavit, quam dein ſerius, ut ſupra oſtenſum eſt, Matrimonio ſibi copulavit. Utriusque autem Gertrudis videlicet & Berchtæ Pater fuit Berengarius Princeps Salisbacenſis, ut ex binis Conradi Diplomatibus manifeſtum fit. (*f*) Idem etiam Vilhelmus Tyrius teſtatur. (*g*) his verbis: *Eorum* (Emanuelis & Conradi Imperatorum) *Uxores ſorores erant, filiæ Berengarii*

(*a*) Diatr. pag. 61.
(*b*) Godefr. Viterb. Chronicon. Par. XVII. ap. Piſtor. Tom. II. pag. 350. Idem habetur in Chron. Altah. ap. Oefel. ter. Boic. Script. pag. 660. Ubi. præterea *Berchta* nominatur.
(*c*) Aventin. in Marg. *Berchta Sulczbacenſis.*
(*d*) Otto Friſing. Lib. I Cap. XXIII. & Chron. Lib. VII. Cap. XXVIII.
(*e*) Burch. Struve. Corp. Hiſt. Germ. Tom. I. pag. 375.
(*f*) V. Diplom. ap. Hedam. Hiſt. Traject. pag. 163. & 166.
(*g*) Guiliel. Tyri. de Sacr. Bello. Lib. XVI. Cap. XXIII.

garii ſenioris Comitis de Sulcepach, magni, & egregii Principis, & in Regno Theutonicorum potentiſſimi. (a) Prima igitur Uxor Emanuelis fuit Berchta Sulczbachenſis. Altera vero Conſtantia vocabatur, de qua Robertus de Monte (b) ſic loquitur: *Manuel Imperator Conſtantinopolitanus duxit Conſtantiam Boamundi uxorem, & Boamundus III. frater prædictæ puellæ factus eſt Princeps.* Neutra harum erat, *Raymundi Pictavienſis Comitis filia;* quod noſter non puris fontibus hauſtum adſtruit. Neque enim in Bavaria quærenda eſt Pictavienſis Provincia, quæ pars Franciæ eſt, Tractui Andegavenſi contermina. Sed & prior uxor vocabatur Berchta, cui pro more Irenes nomen a Græcis inditum, & Soror Gertrudis fuit. Utraque Bavara, utraque Sulczbachenſis, utraque non Raymundi, ſed Berengarii gnata. Altera vero conjux Emanuelis Conſtantia, Soror fuit Boamundi, (c) Boamundi autem, qui a Roberto Guiſcardo proficiſcuntur, Normanniæ Duces erant: ac præter has duas nemo Scriptorum Emanueli plures uxores tribuit. Neutra igitur, nec Berchta Bavara, nec Conſtantia Normanna Pictavienſis Comitis filia fuit: & quod hinc conſectaneum eſt, neque Anna Pictavienſis poterat eſſe Soror uxoris Emanuelis, quod Noſter affirmat, neque Emerici Regis Mater. Cæteroquin de poſteriori Uxore Conſtantia, nec dubium eſſe poteſt; hanc enim Manuel anno MCLXIII. ſibi copulavit, & eodem anno filia Manuelis Belæ III. deſponſata erat, adeoque id temporum rationi plane incongruens eſſet: niſi dicere velimus Conſtantiæ filiam Belæ deſponſatam fuiſſe ante, quam naſceretur.

Hæc ſi ad invicem contendantur, fortaſſe jam rarius, tenuius, ſubtiliusve erit Adverſario, quod antea *ſpiſſum* videbatur. Etſi vero Nicætas Choniata (d) ſcribat, Manuelis filiam uni

---

(a) Chron. Reg. S. Pantaleon. ad annum. MCXLV. hæc habet: *Natus eſt Regi* (Conrado) *filius nomine Henricus, quem alii Berengarium ex nomine avi* (Materni) *ejus vocant.*

(b) Rob. de Mont. in App. ad Chron. Sigebert. ap. Piſtor. Tom. I. pag. 899. ad an. MCLXIII.

(c) Is etiam Boemundus Buamundus, & Bojamundus ſcribitur.

(d) Nic. Acum. Chron. Lib. VI. pag. 89. edit. Venet. pag. 111. edit. Paris. Unde neſcio, qua editione uſus ſit noſter, nam Diatr. pag. 61. ad Nicætæ, pag. 389. provocat.

uni ex filiis Marchonis Montisferrati, cum jam XXX. ætatis annos exceſſiſſet conjunctam fuiſſe: ex hinc tamen ut neutiquam conſequitur Mariam Sponſam ſolum, & non uxorem Belæ fuiſſe; ita ex eodem Nicæta non obſcrure habemus Mariam non Sponſam ſolum, ſed revera uxorem Belæ fuiſſe. Sic enim (a) habet: *Aliud Conſilium cepit Imperator, & jusjurandum de Imperii ſucceſſione a Mariæ filia, & ejus Marito Alexio (Bela) in filium transferre inſtituit - - paulo poſt filiam ab Alexio ſejungit, eique uxoris ſuæ ſororem deſpondet.* Proinde Bela maritus Mariæ fuit teſte Nicæta, quod utique plus denotat, quam ſponſum. Interim tametſi Nicætas exerte affirmaret, Mariam ſponſam ſolummodo Belæ fuiſſe, victas tamen illi manus dare nequiremus; incredibilem enim rem ſcribit, dum dicit Mariam a Patre Emanuele filio Marchionis Montisferrati nuptum locatam fuiſſe, cum jam ætatis annos XXX. exceſſiſſet. Si de ſecunda Manuelis uxore illi ſermo eſſet, manifeſte ſibi contradiceret; neque enim ejus filia ætatis XXX. annum attingere potuit, quippe quæ anno MCLXIII. Manueli connubio ſociata fuit, is vero anno MCLXXVIII. obiit; (b) niſi forte noſter, qui huic Nicætæ teſtimonio adſtipulatur, ſuſpicetur, triennio ante initum Matrimonium, Emanuelem ex Conſtantia Mariam filiam ſuſcepiſſe: quod impium eſſet: Quod ſi autem de prima uxore Emanuelis loqueretur, refragaretur tot probatiſſimis, & partim Synchronis, quos retuli, Scriptoribus. Sed neque ex hac priori conjuge naſci potuit Emanueli filia, quæ tum, cum in manus filii Marchionis Montisferrati convenerat, ætatis annum triceſimum excedere, imo ne attingere quidem potuit. Etſi enim Kérius (c) affirmet Emanuelem anno MCXLVI. Berchtam Berengarii Sulczbacenſis filiam ſibi copulaſſe: quod Chronologiæ Nicætæ præfixæ Author ad ſuperiores annos retrudit, hiſce verbis: *MCXLIV. Manuel Alemannam Heroinam uxorem duxit*: attamen ex eodem Nicæta diſcimus, Manuelem filiam ſuam, uni ex filiis Montisferrati Marchionis nuptum dediſſe ante, quam

(a) Nicætas. Annal. loc. cit.
(b) Chronol. Nicætæ præfixa.
(c) Kéri Imper. orient. pag. 393.

inter Manuelem, & Venetos ſimultates exortæ fuerint, & demum fœdus inter utrosque renovatum: ut idem ex Nicætæ narratione liquido conſtat. Hæc autem contigerunt anno MCLXIX. & conſequente, quod Chronologia Nicætæ præfixa luculente perhibet. Igitur Maria Emanuelis filia, quamvis liberaliter concederem primo conjugii anno ſuſceptam fuiſſe, cum Marchioni Montisferrati nupſit, ætatis annos, ut plurimum XXV. numeravit. (a)

Cæterum; quamvis Nicætas hoc loco de Maria Belæ III. Sponſa, & Conjuge ſermonem habeat, ſuſpicor attamen illum filias Manuelis quacunque inadvertentia non recte diſtinxiſſe, & quod de altera dicere debuiſſet, videlicet quod Marchionis Montisferrati filio nupſerit, in conjugem Belæ, tranſtuliſſe. Certum enim eſt, alteram filiam Manuelis Raynero ſive Ramerio Marchioni Montisferrati in Matrimonium collocatam fuiſſe. Ad hanc opinionem viam mihi præſtruxit MS. in Gotfridi Viterbienſis Chronica (b) ubi iſta lego: *Defuncto Manuele, & filio ejus Alexio pro Patre regnante Andronicus cum exercitu Turcorum contra Conſtantinopolim venit, & Urbe occupata Alexium & Sororem ejus Manam, & Maritum ejus Ramerium Lombardum Marchionem de Monteferrato interimit* (c) Patiamur igitur Emanuelis filiam alteram, Manam dictam, Raynerii Montisferratenſis,

(a) Cl. Pray Diatr. pag. 61. miſerande labitur, dum ſcribit: *Maria quidem Belæ III. deſponſata fuit nunquam tamen nuptui locata, quippe quæ anno MCLXXX. Nicæta teſte, tandem uni ex filiis Montisferrati Marchionis - - conjuncta fuit.* Atqui falliſſimum eſt, quod id Nicæta teſte anno MCLXXX. contigerit: imo Nicætas pag. 89. narrat Manuelem filiam ſuam uni ex Montisferrati Marchionis filiis uxorem dediſſe, & id quidem narrat ante Venetarum tumultus, & fœderis renovationem: proinde, ut jam docui, longe ante annum MCLXXX. Nicæta teſte, uni ex filiis Montisferrati Marchionis conjuncta fuit. Sed & Nicætas perhibet iſthoc Matrimonium adnitente ipſomet Manuele coaluiſſe: Manuelem vero anno MCLXXVIII. e vita migraſſe Chronica Nicætæ præfixa teſtatur: non poterat igitur biennio poſt filiam nuptui locare. Niſi forte Cl. Criticus noſter affirmet, a defuncto Manuele filiam filio Marchionis Montisferrati uxorem datam fuiſſe. Ita ille non veretur legentibus palpum obtrudere.

(b) Godefr. Viterb. ap. Piſtor. Tom. II. pag. 350.

(c) De his vetuſtiores Domeſticos Scriptores fruſtra conſulueris. Ladis. Thurocz. Ung. Reg. pag. 347. exerte teſtatur, uxorem primam Belæ, III. Emanuelis Conſtantinopolitani Imperatoris filiam fuiſſe. Piſtorius Niddanus. Geneal. Reg. Hung. ſolam Margaretham Belæ, III. tribuit. uxorem.

sis, alteram, Mariam Belæ III. Regis uxorem e qua genuit Emericum, fuisse: vel si hæc non placent, saltem præcoce judicio spissi erroris non damnemus eos, qui talia non sine authoritate præeuntium scribunt. Hæc in gratiam Critonis Nostri prolixius adnotare libuit.

Restat adhuc, ut, cum graves Authores affirment, Emanuelem Imperatorem, filiam suam Mariam, a Bela III. illius Marito sejunxisse, disrupto etiam vinculo conjugali, qua ratione id factum sit, paucis declarem. Non desunt, prout jam ostendi, præclari Scriptores, qui eam ob causam Manuelem, tanquam prævaricatorem Divinarum Legum acrius perstringant. Ego vero existimo Manuelem hac quidem parte immerito vapulare. Is filiam suam Mariam Belæ, Uxorem dedit: postea vero cognita, quæ inter utrumque intercessit, Sangvinis necessitudine, necessarium judicavit, Conjuges ab invicem separare. Id ex testimonio Cinnami non obscure colligitur: iste (a) ita scribit: Ετύγχανε δὲ ὁ Βελᾶς εἰς Γαμβρὸν τῷ Βασιλεῖ ἀφορισθεὶς πρότερον ἐν τοῖς ἔμπροσθέν μοι ἐρρέθη. Νόμων δὲ συγγενείας ἐμποδὼν αὐτῷ γεγονότος, τὴν Αὐγούστης ἔγημεν ἀδελφήν. hoc est: *Cæterum Bela iste in Generum Imperatoris primo delectus, quemadmodum in Superioribus a me narratum est, postea cognationis lege obstante Sororem Augustæ duxerat.* Igitur Divortii causa fuit Cognatio (b) & quidquid eatenus actum erat, supponendum tamdiu est, bona fide factum fuisse, usque dum Emanuelis mala fides liquido doceatur. Non me quidem latet his opponi posse, incredibile esse, Græcos, quos inter multi Docti Viri numerabantur, ignorasse nexum cognationis inter Belam, & filiam Manuelis, atque ideo inter eos Connubium permissuros fuisse (c) Verum hæc difficultas illis quoque, qui

(a) Cinnam. Hist. Lib. VI. pag. 130. edit. Venet.

(b) Cl. Pray Annal. Par. I. pag. 163. de hac cognatione isthæc scribit: *Cognationis legem non aliam esse puto, quam, ut idem Cinnamus supra meminit, quod filia Ladislai, quam Græci Irenem vocant Calojoanni qui Manuelis Pater erat, nupta fuerit.* At plura adversus hanc opinionem objici possent, ne tamen me quæstionibus ad argumentum meum haud pertinentibus, immorari oporteat, satis est id hic insinuasse.

(c) Filiam Manuelis saltem Sponsam Belæ fuisse, nemo est, quod sciam, qui neget, & nihilominus Græci id permiserunt. Igitur vel ignorarunt tum Cognationis legem, inter eos esse, vel dissimularunt. Neutrum autem illis in laudem cederet; nisi dicatur, forte Græcos ob spem secuturæ Dispensationis id permisisse. Ast istud etiam Matrimonio applicari potest.

filiam Manuelis solum desponsam fuisse Belæ tuentur, pariter exedenda est, nam inter cognatos, etiam sponsalia prohibita sunt, nec quicquam valent, utrobique bona fides intervenerit. Hæc autem ita duntaxat intelligi volo, si reipsa, ut quidam Græci Scriptores adstruunt, filia Manuelis a Belæ, Marito separata, subinde filio Marchionis Montisferrati nuptui locata fuit.

Pro Colomanno Belæ IV. Fratre inficete pugnat; qui una Dux Bosniæ fuit.

Post hæc Crito Noster circa ea, quæ de Colomanno Belæ IV. Regis fratre attigi, pleno convitiorum alveo sese in me effundit (a) Sicubi hic certe, tot diris contumeliis dicacissime me lacessit, ut non possim non credere, omnem omnino humanitatis, ac modestiæ, moderationis item memoriam ab illo depositam esse, dicereque possim, quod sit χινων χιώτερος. Satis illi est, inclementer in me bacchari, nec pudet palam clamare--

Hic nigræ succus Lolliginis, hæc est
Ærugo mera (b)

Colomannum Haliciæ Regem *Bosniæ Ducem* appellavi. Ille obstrepit, & ait: *Nunquam Colomannum præter Regis etiam Bosniæ titulum gessit.* Paullum subsistat, & quid hac de re sentire debeat, ego ostendam: etsi vero ea me pigeat in chartam conjicere, oportet tamen, ut animadvertat, spiculorum suorum, quibus me prorsus virulente impetit, aciem nimis quam hebetem, crisim vero suam spissam hallucinationem esse. Itaque Cinnamus (c) sic scribit: Οὗπερ αἰθόμενος Βασιλεὺς, πυθόμενος δε κὶ ὡς Βορίτζης, ὁ Βοθνὴς χώρας ἐξαρχων Δαλματικῆς. hoc est: *His cognitis Imperator, acceptoque Borizem, Bosniæ Regionis Dalmaticæ Principem.* Andreas Dandulus (d) testis est, quod Dalmatia etiam Bosniam comple-

(a) Diatr. pag. 62. & sequ.

(b) Identidem rogo eruditum Lectorem, ut dum seu hæc mea, sive Diatribam Adversarii legerit, una etiam meam Dissertationem de S. Ladislao inspicere non gravetur; ac velut manu contrectabit, Critonem Nostrum, relictis gravioribus, levissimorum culicum venationi totum intentum esse, minutula quæque a me velut obiter solum memorata, & quæ rem, de qua dissertamus, ne attingunt quidem, minus vero definiunt, in rigidum examen prægrandi clamore vocat: alia vero, quæ ad dilucidandas controversias respiciunt, aut ne attingit quidem, aut sub cortina duntaxat exhibet, ne, ut sunt, discerni possint. Argumentum id nobis est, quo animo vitilitiget.

(c) Cinnam. Lib. III. pag. 59. edit. Venet. pag. 75. edit. Paris. Vid. etiam Lucium de Regn. Dalm. Croat. Cap. III. pag. 412.

(d) Vid. Kerchel. de Regn. Dalmat. Croat. Sclavoniæ, pag. 174.

plectatur. Anno MCXCVII. Volcus, & Stephanus Fratres, Serviæ, & Bosniæ Domini dissenserant, ad arma tamen non est ventum, sed anno sequente conciliatis animis, Servia obtigit Stephano, quam sub Jupani nomine tenuit, Dalmatia vero, & Dioclia, hoc est Bosnia Vulco cessit (a) Bosnia eadem est, quæ Rama (b) Rama Scriptoribus Hungaris, Græcis Bosnia dicitur (c) Unde patet, Scriptoribus Ramæ uti & Dalmatiæ nomine persæpe Bosniam venire. Præterea non infrequenter sub nomenclatura Sclavoniæ, præsertim cum hæc vocula: *totius* additur, Dalmatia, & aliæ Illyrici Regiones indigitantur: Hinc Carolus Du Fresne (d) testatur Colomannum Dalmatiæ, & Croatiæ Provincias, sub Sclavoniæ Ducis titulo possedisse. Scitum autem est, Colomannum Belæ IV. Fratrem Ducem Dalmatiæ, & Sclavoniæ nominari. Lucius (e) scribit: *Tartari profligato Rege Bela ejusque fratre Colomanno Dalmatiæ & Sclavoniæ Duce.* Idem (f) affirmat Colomannum Dalmatiæ, & Croatiæ Ducem a Patre constitutum, multa privilegia Dalmatis, & Croatis concessisse. Colomannus in Diplomate super donatione terræ Konzka anno MCCXXXII. elargito, uti & alias hujusmodi titulo utitur: *Colomannus Dei gratia Rex Rhutenorum, & Dux totius Sclavoniæ.* Illius decessores vero (g) Dalmatiæ Croatiæ Sclavoniæ Duces se

(a) Andr. Dandul. Chron. MS. ap. Du Fresne.

(b) Luc. Libr. II. Cap. XII. Com. de Reva. Centur. VII. pag. 147. Topogr. Hung. Par. III. Timon. Imag. Hung. nov. pag. 153.

(c) Du Fresne. Illyr. Vet. & Nov. pag. 153.

(d) Du Fresne. Vet. & Nov. Illy. pag. 81.

(e) Lucius de Dal. Croat. Libro IV. Cap. V. Pag. 263.

(f) Idem l. c. pag. 264.

(g) Sic Geysæ II. Regis Filius, itidem Geysa, privilegium, quo Gaudio Archi-Episcopo Spalatensi donat Villam Srenina an. MCLVIII. ita iochoat: *Geysa Dei gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæque Dux*, ap. Forlat. Illyr. S. Tom. III. Anno MCXCIV. Emericus Belæ III. Filius Dux erat Dalmatiæ, & Croatiæ, ut patet ex Litteris, quibus Petrus Spalatensis Archi-Episcopus discordias inter Equites Templarios, & vicinos Monachos SS. Cosmæ, & Damiani finium causa ortas composuit, in quibus hæc habentur: *Regnante Domino nostro Bela, & Almerico* (Emerico) *Filio super Dalmatiam, & Croatiam.* Vid. Baron. ad annum MCLXIX. Andreas anno MCXCVIII. hoc titulo usus est: *Ego Andreas tertii Belæ Regis Filius, D. G. Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Chulmæque Dux*, ap. Luc. Lib. III. Cap. XIII. Andreæ anno MCCV. facto Regi, successit Colomannus. Huic vero Bela, Belæ IV. filius, & Bosniam Ducatus titulo habuit anno MCCLXXI. Vid. Raynal. ad h. an. num. XXXI.

Et

ſe in Diplomatibus nominabant (*a*) Thomas Archi Diaconus fatetur (*b*) Colomannum Dalmatiam, & Croatiam titulo Sclavoniæ Ducis poſſediſſe. Præter hæc teſte Du Freſneo (*c*) Colomannus Halitiæ, & Sclavoniæ Dux Regnis præfuit Illyrici, in his autem Boſniam numerari perſpicuum eſt, Proinde ſi Dalmatiæ, & totius Sclavoniæ Dux erat Colomannus, prout reipſa erat, dubio procul etiam Boſniæ in illis incluſæ Dux fuit (*d*) Vin' adhuc clariora?

Ipſemet Crito noſter affirmat Colomannum Boſniæ Ducem fuiſſe, ita enim (*e*) ſcribit: *Liquet ex his fundos Epiſcopatui in Boſnia a Colomanno aſſignatos fuiſſe, quam illi Andreas Pater donum dederat anno MCCXXXV. ut patet ex Epiſtola CLXXXIX. anni IX. Georgii IX.* niſi fortaſſe ut facilis eſt, tueri velit Colomannum in Boſnia Patris ſui Proviſorem ſolum fuiſſe, at tunc falſiſſimum erit, quod illi Boſniam Andreas Pater donum dederit; (*f*) ſed & non minima contentione propugnat Boſnenſem Epi-

---

Et conventionem inter Stephanum Regem Hungariæ, & Ottocarum Regem Bohemiæ initam, in qua Bela Stephani Frater, Dux Machoviæ, & Boſniæ indigitatur. Idem Dignitatis titulus poſt Belæ obitum ad Stephanum Fratrem, deinde ad Ladislaum Stephani Filium rediit, qui in Diplomate anni MCCLXXX. Ducatus ſui Boſnienſis meminit. Patet hinc ea ætate Reges Hungariæ Boſniam poſſediſſe, quam continuata ſerie, velut quadam lege filiis ſuis, aut Fratribus cum Ducis titulo tenere permittebant: quod etiam Colomanno Belæ IV. Fratri obtigiſſe, nullum prudens Dubium eſſe poteſt. Sed de his ſatis.

(*a*) Vide Kerchel. Hiſt. Dalm. pag. 187.

(*b*) Thom. Archi-Diac. Cap. XXXI. Du Freſne pag. 81.

(*c*) Du Freſne pag. 157.

(*d*) Si Colomannus Ducis Boſniæ titulum ab A. R. D. Pray negandum ſibi eſſe prævidiſſet, forſaſſe ut Viro Doctiſſimo gratiam faciat, ubivis ſe Ducem Boſniæ diſertis verbis nominaſſet.

(*e*) Pray in Diſſert. ſua de S. Ladislao pag. 63.

(*f*) Monendus eſt hoc loco Lector, Boſniam in duas partes quondam diviſam fuiſſe, in ſuperiorem videlicet, & inferiorem: hæc ſub poteſtate Regum Hungariæ erat, illa Ducalis. Superioris poſſeſſores dicebantur Duces S. Sabbæ, qui etiam Ducatus Hertzogovinæ appellatur. Unde apparet, non totam Boſniam in ſolidum ad Hungaros pertinuiſſe; pars enim quædam Serviæ Reges ſpectabat, ut non obſcure probat Epiſtola Nicolai IV. Papæ anno MCCXCI. exarata. Vide Du Freſneum pag. 118. Hujus itaque partis, quæ Regibus Hungariæ parebat, Colomannus Frater Belæ Dux fuit. Alteram vero partem Serviæ Reges per Banos adminiſtrabant. Tales erant Ninoslaus, & Zibislaus. Sed de his mox uberius diſſertandum mihi erit. Hæc in gratiam Adverſarii Noſtri, ut altercationibus, quas præ omnibus aliis maximopere conſectatur, viam præcludam.

Episcopatum cum Capitulo ab Colomanno fundatum fuisse: ita scribit: (a) *quoad Gregorius IX. datis ad Cumanorum Episcopum literis anno MCCXXXVIII. ipsis Calendis Maji exaratis, ei mandasset, ut ad Colomanni, Belæ IV. Fratris preces, Bosnensibus Episcopum ordinaret Fratrem Joannem ex Familia S. Dominici, Virum sanctimonia, & zelo imprimis conspicuum: tum Præpositum etiam, & Capitulum futuræ Ecclesiæ Cathedralis constitueret, ac denique suos utrisque reditus designaret, fundos potissimum Colomanno Rege, ac Duce Sclavoniæ in eam causam liberaliter suggerente.* Hæc nostri verba sunt, & iterum Palinodia. Itaque Judice nostro Colomannus Belæ IV. Frater preces apud Gregorium IX. interposuit, ut liceret sibi in Bosnia Episcopatum instituere, tum etiam Præposituram, & Collegium Canonicorum: Colomannus fundos, & utique non extra limites Bosniæ, in eam causam liberaliter suggessit: Colomannus Episcopatum Bosnensem fundavit. Atqui hæc irrefragabili certitudine evincunt, Colomannum Belæ IV. Fratrem, fuisse Dominum, fuisse Ducem Bosniæ; alias enim non est, cur Pontificem convenisset, ut in Ditione non sua Episcopatum, & Capitulum erigi admitteret: nec ullus, si modo pauxillum cerebri possideat, sibi persvadebit, fundos, qui suæ potestati non erant obnoxii, Colomannum pro Episcopo, & Canonicis liberaliter suggessisse: quis denique tam excors erit, ut putet Colomannum in aliena Regione Episcopatum Bosnensem fundasse: quis unquam talia vel in somnio vidit? Ad hæc Noster Gregorio IX. turpissimam labem inurit, cum scribit, Pontificem ad preces Colomanni Bosnensibus Fratrem Joannem Episcopum ordinari præcepisse. Siccine? adeo temulentam esse Romam arbitratur, ut ad Regentum preces, in Provinciis, quæ juris eorum neutiquam sunt, non subacto consilio, quin cæco impetu Episcopos, & Canonicorum Collegia constitui jubeat? Hæc profecto ultra sobriam crisim sunt; & insuper in Hypercritico nostro manifestam sui oblivionem notant; & tamen Scriptores cæteri fungus illi sunt, Orbilii sunt, Vertumni sunt. Fuit igitur Colomannus Belæ IV. Frater Bosniæ Dux, qui hanc Regionem anno MCCXXXVIII.

(a) Pray Dissertationis suæ de S. Ladisl. pag. 62.

sibi, Patrique suo armis asseruit, (a) hinc factum, ut invalescente hæresi, paucos post annos Innocentius IV. Papa, (b) Colocensem Archi-Episcopum rogaret, ut hæreticis in Bosnia extirpandis curam adhiberet. Istas sane rationes debebat Crito noster bene libratas, & in numerato prius habere, quam in me tanta intemperantia detonet, quasi Colomannum Regem Haliciæ, & Belæ IV. fratrem *mea authoritate* Bosniæ Ducem creassem. (c)

Et Patarena hæresi afflatus, sed resipuit.

Colomannus itaque legitimus Dux Bosniæ fuit, quem ego in Patarenorum hæresim lapsum fuisse scripsi, (d) & quamvis una exerte affirmaverim, eundem resipuisse, ad unitatém Ecclesiæ rediisse, multis piis operibus labem eluisse: attamen Adversarius acerrime me carpit, quod pientissimo Regi notam hæreseos inusserim. Ait norunt Theologi nullam notam inuri S. Mariæ Magdalenæ pœnitenti, cum *Mulier in Civitate peccatrix* fuisse dicitur. Hoc ad aurem. Cæterum, quia argumentum isthoc paulo delicatius est, paucis solummodo de eo agam. Ad id

---

(a) Du Fresne loc. cit.

(b) Innoc. IV. Lib. IV. Epist. 55. Lib. V. Epist. 620.

(c) Ad hæc Cl. Pray Annal. Par. I. pag. 252. hunc in modum scribit: *In Bosnia Colomannus Patarenos, aliosque hæreticos, qui obscænos Manetis errores ab inferis revocarunt, magno studio oppressum ibat: excisaque bona nefariorum hominum parte Ecclesiam Catholicam late propagabat. Tam pios Principis conatus, ubi Gregorius crebris nuntiis accepisset, non modo meritis laudibus Colomannum exornavit, sed ut in proposito constans esset, magnopere cohortatus est - - Adjecit præterea, in mandatis se dedisse Prædicatorib. s Hungariæ, ut Viros doctrina, & pietate præcellentes ex suo Ordine in Bosniam mitterent, qui Colomanno in revocandis ad Ecclesiam hæterodoxis, studium, ac operam naviter conjungerent.* Hæc ille. Quid autem aliud, id est, quam Colomannum Bosniæ Dominum fuisse, ac quod hinc efficitur, Ducem; neque enim decuisset Regem Haliciæ sub minori nomenclatura Bosniæ præesse. Præfuit certe, quia Hæreticos in Bosnia oppressum ibat, quia nefariorum hominum bonam partem in Bosnia excidit, quia Pontifex Hungaros Sacerdotes, qui Colomanno operam navarent, in Bosniam ire jussit. Quod utique in alterius Ducis Provincia, fieri haud posse, sana mens demonstrat.

(d) Cum noster Dissertationis suæ de S. Ladisl. pag. 61. temere dixisset, Bosniæ Antistites Patarena hæresi infectos fuisse, signanter Danielem; me non veretur carpere, quod idem de Colomanno scripserim, cum tamen hunc etiam pœnitentiam egisse probaverim, is autem ne quidem resipuisse Episcopos Bosniæ docuerit. Quanquam ne bis erret, id provide reticuit; neque enim resipiscere poterant, qui nunquam in hæresim prolapsi erant, ut ostendi Dissert meæ pag. 88. Cæterum suadeo, ut dum alias Antistitibus turpem hæresis notam allinere vult, prius magna attentione rationes libret; sicubi enim, hic sane quam maxime temeritas culpanda est; nam Episcopos ipse Deus posuit regere Ecclesiam suam.

id ſcribendum adductus eram Epiſtola Gregorii IX. Papæ anno MCCXXXVIII. die XXII. Menſis Decembris ad Priorem Fratrum Prædicatorum Diœceſis Quinque Eccleſienſis exarata (a) Ex hac liquido patet, Ducem Boſniæ in hæreſim lapſum eſſe. (b) Criticus noſter, more argumentandi ſibi perquam familiari, ad convitia confugit, & ſcribit, Epiſtolam Gregorii a me non fuiſſe intellectam; ac deinde ſine omni teſte, tanquam ex tripode pronuntiat, Epiſtolam illam non de Colomanno, ſed Nicoſclavo, rectius, Ninoslao agere. Luſtremus. Epiſtola Gregorii IX. tractat de *Duce Boſniæ*, quem certum eſt, in hæreſim prolapſum eſſe. Adverſarius ut illam Epiſtolam arbitrariis ſuis placitis congruentem efficiat, adſtruit eam de Ninoslao ſcriptam eſſe, & quia negare nequivit, eandem de *Duce Boſniæ* loqui, quid agit? confidentiſſime Ninoslaum, qui nunquam, & nuſpiam Dux fuit, propria authoritate *Ducem* Boſniæ creat, (c) quod tamen aperte falſum, immodicumque ſphalma eſſe, evincit plane æquævus Scriptor Thomas Archi-Diaconus Spalatenſis, atque ideo etiam Incola Illyrici. (d) Apud hunc non alio, quam Bani Boſinenſis nomine, & titulo Ninoslaus inſignitur.

Epiſtola Gregorii IX. ſcripta eſt die XXII. Menſis Decembris anno MCCXXXVIII. Cognitum vero eſt, Zibislaum (e) anno MCCXXXVI. Banum Boſniæ præfuiſſe, ad quem itidem Gregorius IX. eodem anno exaravit literas (f) quibus gratu-

 latur

(a) Juvat ex Epiſtola quæpiam excerpere, & referre, ſic autem habet: *Dux Boſniæ conſtituens - - quandam apud vos pro Cathedrali Eccleſia conſtruenda in Boſniæ partibus depoſuerit, ut dicitur, pecuniæ quantitatem. Mandamus, quatenus ſi ita eſt, ipſam Ven. Fratri Noſtro - - Epiſcopo Boſnenſi - integre aſſignetis. Datum Laterani XI. Cal. Januar. Pontificatus Noſtri anno XII.* id eſt: XXII. Decembris. MCCXXXVIII.

(b) Iſthic pag. 63. Adverſarius clare indicat, Epiſtolas Gregorii IX. e libellis ſuis a me ſumptas eſſe; neque enim has alibi legere poteram. Grandis perſuaſio! vaniſſime putat, ab ſe omnia reconditæ ſcientiæ adminicula in pera teneri, aliis cuncta deeſſe, aut nouniſi illius beneficentia patere. Illud autem frivolum eſt, quod ſubiungit: *Vereor, ne hic aliquid fumi lateat.* Quid quæſo, gloriæ mihi inde accedit, ſeu illas alibi legerim, ſeu apud Cl Pray? Illum quidem, ut videtur, fumus magis adureret, ſi cerrus eſſet, me eas Epiſtolas non alibi legiſſe. Pudeat doctum Virum talia chartis illinere.

(c) Diatr. pag. 64.

(d) Thom. Archi-Diac. Salon. Hiſt. Cap. XLVII.

(e) Raynal. ad h. an. Num. LXVII.

(f) Lib. X. Epiſt. CLXXXIII.

latur Bano, quod una cum Matre ſua fidem Catholicam conſervarit. Deinde anno MCCXXXVIII. tempore ejusdem Zibislai Bani Colomannus Boſniæ Dux, Provinciam armis occupavit, & mox rejecta, cui acceſerat hæreſi, pulſis ex Boſnia Novatoribus, Catholicam fidem inſtauravit (a) Imo ut Du Frene teſtis eſt, Bani officio fungente Zibislao Innocentius IV. Archi-Epiſcopum Colocenſem, dequo paulo ante egi, in Boſniam ire juſſit. Innocentius IV. autem, teſtibus Raynaldo, & Spondano (b) anno MCCXLIII. VII. Cal. Jul. Anagniæ creatus eſt Pontifex. At tum demum Ninoslaus anno MCCXLIV. Banus factus eſt (c) Certe: apud Thomam Archi Diaconum Spalatenſem Authorem Synchronum primum anno MCCXLIV. Ninoslai mentio occurit (d) Igitur quia laudata Gregorii IX. Epiſtola ad Priorem Fratrum Prædicatorum anno MCCXXXVIII. ſcripta eſt; quæ nobis præterea indicat Boſniæ Ducem quandam pecuniæ quantitatem apud Patres Dominicanos pro conſtruenda Eccleſia depoſuſſe; luce meridiana clarius evadit, in illis Gregorii literis de Ninoslao ſermonem haud eſſe, quippe qui nec Dux uſpiam & unquam fuit, neque anno MCCXXXVIII. Boſniæ Banus. En! malum me fullonem, qui pedes non merſerim ad eluendam hanc mendam.

Male provocat Adverſarius ad Gervaſii Otia Imperialia.

Denique Criticus Noſter pro egregia ſua in me, ac ſine diſcrimine in quosque alios Scriptores bacchandi libidine, jubet me adire *Otia Imperialia* Gervaſii Tilbernienſis, (e) unde diſcernere diſcam Epiſcopos Græci ritus a Latinis, Schiſmaticos a Catholicis; præſertim in Boſnia; is enim, ut Noſter ait, de Archi-Epiſcopis, horumque ſuffraganeis in Hungaria, & Illyrico

(a) Du Freſne pag. 118. in Zibislao. Et fortaſſe hac occaſione Colomannus Dux Boſniæ pecuniam illam pro conſtruenda in Ducatu ſuo Boſniæ Cathedrali Eccleſia apud PP. Dominicanos depoſuit, quo Deo Victoriarum Largitori ob devictos Boſnenſes, & oppreſſam hæreſim gratum ſe exhiberet.

(b) Raynal. an. MCCXLII. §. I. & an. MCCXLIII. Spond. §. I. & ſequ.

(c) Du Freſne loc. cit.

(d) Thom. Archi-Diac. loc. cit.

(e) Tilberienſis ſcribendum erat, aut Tilbenienſis, Tilgeſienſis, vel Tillebeſnenſis, non vero Tilbernienſis; nam ille hoc cognomentum a Caſtro Tilberis dicto, quod in Angliæ Comitatu Exſexienſi ad Thameſim flumen ſitum ſortitus eſt: & ab accuratis Scriptoribus hoc nomine indigitatur.

rico ſcripſerat (a) Hoc mihi, fateor, plus eſt, quam Bæoticum ænigma; alius capiat. Non vereor autem, ni hic aliquid fumi lateat, ſed ſpiſſas plane fumi reliquias contrecto. Legi ego & antea (b) Gervaſii illud opus, & nunc quoque, ſevero Supercilio monitus, denuo perlegi, atque omnia de Alpha, ad Omega, ut dicimus, non ignave excuſſi. Aſt æquum Lectorem omnino ſecurum eſſe jubeo, Gervaſium Tilberienſem ex Codice Manuſcripto Membranaceo Bibliothecæ Juliæ per doctiſſimum Leibnitzium, cum quibusdam lacunis editum, & Scriptorum Rerum Brunsvicenſium Tomo I. vulgatum, ne verbulo Archi-Epiſcopos, horumque ſuffraganeos commemorare, neque de diſcrimine inter Epiſcopos Græci Ritus, & Latinos, Schiſmaticos item: & Catholicos mentionem facere. (c) In ſupplementis autem, & Emendationibus Otiorum Imperialium Gervaſii pariter ab Leibnitzio Tomo II. ex Codice Pariſino publici juris factis, meminit quidem Hungariæ Archi-Epiſcoporum, & eorum Suffraganeorum, ſed Latinos, & Græcos, Schiſmaticos, & Catholicos ne quidem a longe attingit. (d) Unde conjicio Hypercriticum Noſtrum aut Gervaſii Otia Imperialia nunquam legiſſe, aut certe perfunctoria ſolum opera, aut denique commentitiis laciniis palmares ſuos errores tegere conari, adeoque legentibus palpum obtrudere. Exterendum proinde abnorme hoc commentum, partumque ſuppoſititium illi ſuadeo. Perſua-

(a) Diatr. pag. 65.

(b) Gervaſius Tilberienſis initio Sæculi XIII. Librum hunc ſcripſit, quem *Otia Imperialia* inſcribit. Partitur Librum in tres Sectiones. Prima agit de Mundi origine, Aëre, Aſtris, Animalibus, Spiritu, Anima, Aquis, & ſimilibus, uſque ad Diluvium. Secunda: De Diviſione Filiorum Noë, de diſtinctione Aſiæ, Europæ, de Italia, Gallia, Hiſpania, Britannia, de Africa, Maris Inſulis, de Regno Romanorum, Judæorum, Medorum, Macedoniorum, Ægypti, Perſarum, Gothorum, Lombardorum: Tertia: de mirabilibus. Nullibi hic reperitur Deſcriptio Hungariæ, & Illyrici nuspiam vel verbulum de Hungariæ, & Illyrici Archi-Epiſcopis, horumque ſuffraganeis, nuſpiam Catholicorum, & Schiſmaticorum Antiſtitum mentio. Fortaſſe dum illa Noſter ſcripſit, Ficus Ægypti, aut Poma Pentapolis, vel denique Lapis Selenitis, de quibus Gervaſius agit, oculis ejus obverſabantur, alias talia vix ſcripturus.

(c) Alia quoque varii argumenti opera ſcripſit Gervaſius, ſed quæ nullum plane nexum habent cum Archi-Epiſcopatibus, & Epiſcopatibus Hungariæ, aut Illyrici. Ea vide apud Laibn. Tom. I. in Introd. & Jöcher.

(d) Enumerat ſolum Archi-Epiſcoporum Strigonienſis, Colocenſis, Raguſini ſuffraganeos. Nomen Illyrici vero ne occurrit quidem.

ſerit ſibi Alapecades iſte, adeo anguſtam mihi penum librariam eſſe, ut nec Gervaſii opus, quod tamen prorſus vulgare eſt, poſſideam; & ideo confictis argumentis tuto ſe mihi inſultare poſſe credidit: præſtitiſſet profecto errores, quos dum de Epiſcopatu Boſnenſi extra argumenti ſui rationes diſputarat, non modicos admiſit, ingenua confeſſione expiare, quam operoſe excuſando veteres, in novos longe maximos prolabi, & veritati, quam Scriptores nullo non tempore in oculis ferre convenit, & oportet, adeo grandem labem inferre. Ita libelli ejus innocui ſcilicet ſunt.

Cæterum, ut Epiſcopos Græci Ritus a Latinis, Schiſmaticos a Catholicis, Archi-Epiſcopos ab Epiſcopis rite diſcernamus, quid opus eſt ad *Otia Imperialia* Gervaſii confugere? Habemus jura Canonica, Pontificum Decreta, Conſtitutiones Conciliorum, Hiſtoriam Eccleſiaſticam: ex his fontibus purius illa diſcere poſſumus, dummodo Hoſpites in illis non ſimus: aut ſaltem *Otia* Tilberienſis ſcientiis, quae Sacerdotes imprimis decent, præpoſtere non præferamus. Quid vero Adverſarius ex illo ſuo argumento, velut e Silice ſcintillas excutere velit? non ſatis aſſequor. In Diſſertatione de S. Ladislao a me, & ab illo edita, fundamentum argumenti eſt; quisnam Epiſcopatum Boſnenſem condiderit? Ille pro Colomanno Belæ IV. Regis fratre pugnat, & ejus erectionem ad annum MCCXXXVIII. producit (*a*) & tamen continuo Cathalogum Epiſcoporum Boſnenſium texere inchoat ab anno MCXLI. quando ne Parens eſt: quidem Belæ, & Colomanni Fratrum adhuc natus erat, hoc fere integro Sæculo ante, quam Epiſcopatus conditus eſt. Igitur vel ſui, literarumque ſuarum oblitus erat, & nomine Orbilii inſigniri jure debet; vel de Epiſcopis Schiſmaticis, aut Græci Ritus Catholicis ſcripſit, horumque Catalogum (*b*) pertexuit, quin Epiſcopos Græcos a Latinis, Catholicos a Schiſma-

(*a*) Diſſert. ſuæ de S. Ladislao, pag. 63. pag. vero 61. Danielem Epiſcopum Boſnenſem Patarena hæreſi infectum fuiſſe temere pronuntiat. Is ideo ſolum gradu dejectus fuit, quod in Diœceſim ſuam Patarenos recipi admiſerit, non quod ipſe talis fuerit, ut in Diſſert. mea de S. Ladislao pag. 88. oſtendi.

(*b*) Cl. Pray Diſſert. ſuæ de S. Ladislao pag. 61.

ſmaticis diſtinxiſſet. Catalogum vero ejusmodi conficere prorſus ſupervacaneum fuit, & quamvis id oſtentationem ſapiat, a ſcribendi tameu materia longiſſime abeſt: niſi forte Noſter illis indicare, tuerique voluerit, a Colomanno Duce, aut alio aliquo Hungariæ Rege in Boſnia pro Schiſmaticis Epiſcopatum fundatum fuiſſe; quod tamen eſt, nodum in ſcirpo quærere. Hæc ſi recte expenderit Adverſarius, pænitebit, non dubito, lum, talia in chartam conjeciſſe: neque me Melitidem, aut Coræbum eſſe arbitrabitur. Huc appoſite quadrat, quod Iſidorus Peluſiota notat: *Eum, qui aliorum ſcripta, ſcite probeque explorare voluerit, omni gratia, atque odio ſuperiorem eſſe oportet.* (a)

Piget me legere, ac referre, quod illum porro non pudet ſcribere. Infeſtis unguibus me lacerat, multaque acerba affundit (b) quod Belam I. Regem *Pium* nominarim. Hunc Magiſter Thurotzius (c) *Piiſſimum* vocat. Longo autem intervallo a vero recedit, quod Adverſarius (d) confidenter ſcribit: *Magiſter Thuroczius Belam ſcribit vocatum eſſe Benyn:* non id illic legit apud Thuroczium; is enim ait, Belam vocatum eſſe Benim (e) Sed Chronicon Budenſe habet *Benyn.* Poſſem ego, ſi minutulis immorari, quod Noſter ad tædium facit, eſſet animus, acervos errorum Adverſarii, vel ex his duobus ejus libellis, cogere, tam fœcundum ſolum eſt. Sed nolim eſſe Bithus contra Bachium. Complura falſa mihi appingit.

Progredior ad majores Hypercritici Noſtri errores, imo etiam falſimonias. Primum in oculos incurrit, quod ille non optima fide mihi appingit, videlicet, a me iſta ſcripta eſſe: (f) *Anno MIX. fundaverat S. Rex Epiſcopatum Quinque Eccleſienſem,* quæ verba *curſivo,* quod ajunt, charactere imprimi fecit, adeoque tanquam ſi mea eſſent, retulit. (g) Verum id manifeſte fal-

(a) Iſidor. Peluſiota Epiſt. 601.
(b) Diatr. pag. 65.
(c) Mag. Thurocz. Chron. Cap. XLVI. pag. 113.
(d) Diatr. pag. 66.
(e) Mag. Thurocz. Chron. Cap. XLV.
(f) Diſſert. meæ de S. Ladisl. pag. 56.
(g) Diatr. pag. 67.

falsum esse comperiet, quisquis Dissertationis meæ locum illum inspicere gravatus non fuerit. Quid hoc Criterii est? decetne adulteratas idmodi merces in publicum proferre, atque obtrudere? decetne verba alterius cum insigni injuria tam palmariter detorquere, detruncare, depravare, & prorsus improbando conatu interpretari? profecto talis scribendi ratio ad Ægyptiorum hariolationes retrudenda est. Etsi vero superius, quod Episcopatus Quinque Ecclesiensis institutionem attinet, declaraverim; Dissertationis meæ tamen pagina memorata hæc scripsi: *Non sum quidem nescius Scriptores quosdam recentiores divinare - - Bachiensem MV. Quinque Ecclesiensem MIX. Jaurinensem MXXX. - fundatos per S. Regem pedetentim fuisse - - Ad conjecturas istam ego opinationem tamdiu relegandam existimabo, quum vetustiore quodam e documento firmior fides adstruatur.* Estne hoc asserendo scribere, Episcopatum Quinque Ecclesiensem anno MIX. ab S. Stephano fundatum fuisse? Ita nobis eripimur imprudentes, quando per fas, & nefas aliorum famæ insidias struimus.

His acerbiora sunt, quæ Judex ille Noster porro ait *(a)* a me videlicet prius scriptum fuisse, S. Regem anno M. totum Regnum in Diœceses divisisse, & Episcopatus erexisse: & nihilominus pauxillum post, integrum mihi esse affirmo, omnes illos, quos S. Stephanus condidit Episcopatus, uno solum aut altero dempto, anno M. sua initia nactos fuisse. Ob hoc frustra, & leviter me carpit, hisce verbis: *Si Regnum Hungariæ S. Stephanus anno M. in Diœceses divisit - - non est cuiquam integrum affirmare, unum, alterumve Episcopatum in Hungaria a Stephano post annum M. esse conditum (b)* Ridicula consequentia, quando in antecedenti exceptio addita est. At valeat consequentia, falsimonia tamen, quæ hic rursum comparet, valere nequit. Iterum Lectorem ad meam Dissertationem remitto, & arbitrari permitto: ibi deprehendet, a me quidem illa scripta fuisse, sed non e mea sententia. Illo loco jure castigabam illud Nostri *pededentim*, & ex illius narratione per modum objecti-

(a) Diatr. pag. 67.
(c) Diatr. pag. 67. & 68.

jectionis mea sumpsi, ut nempe propriis armis illius jugulum petam; id est: ex *suppositione*, ut dicimus, Prajana ostendere conatus sum, male illum isthic usurpare voculam: *pedetentim*, sibi enim alias in terminis contradicit. Id Dissertatio mea extra omnem dubitationem ponit, quæ ab Adversario vel intellecta omnino non fuit, vel data opera depravata est. Et nunquid immediate præcedente pagina ista scripsi: *Epistola Sylvestri II. P. -- satis dilucide docere videtur, Episcopatus, excepto uno, aut etiam altero a S. Stephano anno M. non pedetentim conditos fuisse.* (*a*) Quid istis indicare voluerim, libera a spectris mens, non difficulter animadvertet. Ita omnino sæpe fit, ut cum nostra mordicus tueri volumus, alienam sententiam depravando, detorquendo, adulterando, susque deque habere nec vereamur, nec erubescamus (*b*).

Hinc est, quod Crito noster de me scribere audeat: *Negat Eugenium II. anno DCCCXXIV. ad clavum sedisse, & Eminentissimum Baronium, (c) qui id asserit, erroris arguit.* (*d*) Hoc equidem Græcanicum est, & putidam crisim olet. Ubi ego Baronium læsi? ubi erroris argui? nuspiam sane. Et quamvis si Pagium, Natalem Alexandrum, Basnagium, Usserium, Petavium, Norisium, Casaubonum noster legit, clarum sit, Baronium non simplici vice aberrasse, nunquam tamen ego Baronium erroris insimulavi. Joannem Lucium hoc loco errare divit (*e*) nam post verba:

(*a*) Diatr. pag. 55.

(*b*) Ex his potest Adversarius observare, quam perperam scribat pag. 68. dum cavillatur, me *non ad rem loqui*.

(*c*) Ut convitiis suis aliquale robur conciliet, in tribuendis debitis Titulis liberalis est, & Cardinalem Baronium *Eminentissimum* compellat: alias cum de Sancto Stephano loquitur, rarius *sanctum* nominat.

(*d*) Diatr. pag. 69.

(*e*) In nota imæ marginis Cl. Pray vehementius mihi insultat. Primo dicit, quod admonitionem ad Dissertationem meam anno sequente imprimi fecerim. Deinde, quod errorem meum oscitantia Typographi corrigere studeam. Tum quod non sit credibile verba ista: *juxta Lucium vero DCCCXXIII.* in M. S. adscripta fuisse. Hæc fidem meam proxime tangunt, idcirco paullum dilucidanda sunt. Dissertationem meam de S. Ladislao sub medium Septembris anni MDCCLXXV. Viennam misi. Corrector Dissertationis de dato diei XXIV. Decembris a. e. hæc ad me cætera inter perscripsit. *Impressor de S. Ladislao Libros juxta nupera Reverendissimæ Dominationis Vestræ mandata jam ad viam præparatos cistulæ inclusos, & in Te-*

juxta Baronium DCCCXXIV. ſequebantur: *juxta Lucium vero DCCCXXIII.* & poſt iſta fuit hæc notula per me adjecta: *Error in anno cubat, quia hoc anno Eugenius nondum erat Pontifex.* Illa verba vero: *juxta Lucium DCCCXXIII.* oſcitabundus Typographus exmiſit. Id ego in Monitione prævia ad Diſſertationem meam clare indicavi, & errorem Typographi correxi: hanc monitionem prævium vero non fuiſſe noſtro ignoratam, ille ipſe hoc eodem loco fatetur. Unde etſi Baronium læſiſſem erroris arguendo, læſam famam publica retractatione reparaſſem. Id Theologi ſuperabundans eſſe norunt. Si igitur quamvis innocuus ſim, ſpongia delevi, quod negligentia Typothetæ procuravit, cur me Crito noſter tam acerbe laceſſit?

Ejus errores de Frigidilla Moraviæ Regina.

Non abſimili libidine in me fertur, cum *(a)* ſcribit: *Frigedillam Moravorum Reginam appellat, quam tamen Paulinus - - Reginam Marcomannorum nominat, Marcomanni autem a Moravis*

Telonio etiam obſignatos, aliquot a diebus apud me retineo propterea, quod aurigam invenire haud potuerim. Conſtituat noſter, quemcunque velit, & Epiſtolam illam exhibebo. Expediti ſunt Libri demum Peſtinum, ubi duobus ut minimum menſibus hæſerunt. Sed etſi continuo allati fuiſſent, utique anno MDCCLXXV. mihi Leucis LXX. Vienna diſtanti reddi non poterant, atque ideo Admonitio ad hanc Diſſertationem, eodem anno, qui jam effluxerat, imprimi non potuit, inque ſequentem differenda fuit. Hæc vera, ſum enim Theologus, cui notum eſt, mendacium ita intrinſecum malum eſſe, ut in nulla circumſtantia licitum ſit. Unde moneo D. Pray, ut meminerit ſuæ conditionis, & porro Virum honeſtum, & dignitatibus ornatum mendacii temere non arguat, nam id homine Chriſtiano, ingenuo, & honeſto prorſus indignum eſt. Alterum itidem ſtmile eſt, & Mendacem me facit. Prævidi ego id ab homine, qui ſibi ipſi thura adolet, ſecuturum; ea propter ut primum error ille obſervatus eſt, illico M. S. meum attuli ad Virum omni exceptione majorem, tum apud nos Philoſophiæ Profeſſorem, modo vero E. M. Colocenſis Canonicum RR. & Cl. D. Martinum Takáts, qui ſuismet oculis legit in M. S. meo hæc expreſſa: *juxta Lucium vero DCCCXXIII.* Vivit teſtis, interrogetur. Non igitur in oſcitantiam Typographi Mendax detorſi errorem. Sentio jam Cl. Schvarzium, de noſtro nihil minus quam exaggerate olim ſcripſiſſe in hæc verba: *ſine criſi ſcribit - - menſam non tam inſtruit, quam hoſpitum, dente non magis ſuperbo, quam famelico, gratia exſtruit.* Sed tædet me in refellenda facinoroſarum id modi contumeliarum ineptia plura verba perdere. Satis ſint hæc ad indicandam ejus fidem, atque ingenium. Quod denique Lucii locum, quem clare indicandum fuiſſe, monet, attinet? adeat ſui Timonis Imag. Hung. Lib. II. Cap. XIV. pag. 262. & videbit, eadem verba, nihilque a me peccatum, animadverſionem vero ſuam, tanto magis ab humanitatis legibus remotam eſſe.

(a) Diatr. pag. 69.

vis longiſſime alii. Hæc equidem Criſis non optimam Hiſtoriarum notitiam indicat. Quod ſi Noſter Scriptores de his agentes conſuluiſſet, non fuiſſet neceſſe, illum, ut fere verboſis accidit, iſthic tam aperte impingere. Legat itaque, quæ imprimis Sclavicarum rerum Scriptores, de Marcomannis ad nos tranſmiſerunt, & tum dolebit, ut exiſtimo, ſe hoc argumenti genus attigiſſe: præſertim quod diverſas Marcomannorum ſedes, migrationes, regimen, diſperſiones item, viresque integras, & lapſas non integre diſcreverit. (*a*) Marcomanni & antea, & ætate Roſimundi Regis, Uxorisque ejus Frigidillæ, Fridigildi Regis filiæ, præter alias Regiones Moraviam quoque poſſederunt: ut adeo apud probatos Scriptores, Moraviam, Marcomanniam, & Marcomanniam, Moraviam promiſcue appellari legamus. Fridegildam in moderna Moravia habitaſſe, Epiſcopatusque erexiſſe, vix prudens dubium eſſe poteſt. Reginam quoque Moraviæ paſſim nominari conſtat. His motus irrefragabilis ille, quod Noſter inani contentione tuetur, Scri-

(*a*) Fortaſſe non ægre feret noſter, ſi Catalogum Scriptorum, qui iſta diligenter pertractarunt, iſthic exhibuero. Illos conſulat, & tum primum Critici partes implebit. Sunt autem: Vellejus Paterculus, Strabo, Cornelius Tacitus, Sextus Rufus in Epit. Haijecius, Paproczkius, Beatus Rhenanus, Peſſina, Birckheimerus, Vadianus, Münſterus, Rhellicanus, Glareanus, Stumphius, Simlerus, Curæus, Cario Camers, Spiegelius, Stadius, Friſchlinus, Schaidelius, Joannes de Puchova, Lazius, Dubravius, Dreſſerus, Balbinns Miſcell. Petrus Bertius, Spambergerus, Ortelius, Gerardus Mercator, Joannes Janſenius, Joannes Maginus, Vohlburgius, Antonius Foreſtus, Bonfinius, Joannes Carion, Aimonius, Franc. Cruſius, Joannes Sandelius, Stredovskius, Jordanus, Ulmanus, cæteri. Hos ſi adierit, diſcet I. Marcomannos incoluiſſe Bohemiam, Moraviam, Auſtriam; Diſcet II. Marcomannos eſſe Moravos modernos. Hinc aliqui, ut Ortelius in Theatro orbis, Mercator in Atlante, Peſſina in Prodromo, & Marte Moravico, Moraviam, Marcomanniam & ab oppoſito nominant. Diſcet III. Marcomannos, ſæpe ſedes ſuas mutaſſe, attamen occupatas Regiones non omnino deſeruiſſe, ſed ſolum Colonias ex illis alio deduxiſſe. Vid. Polybium in Pyrro, Arrian. Nicomed. Lazium, Cluverum, Jordanum; Diſcet IV. Roſimundum, Fridegildæ Maritum, Bohemiam, & Moraviam usque ad Danubii ripas poſſediſſe. Diſcet V. Marcomannorum Regnum diviſum, & per plures Regulos rectum fuiſſe. Diſcet VI. Fridegildam Fridegildi Regis filiam anno CCCXCVI. vel conſequente cum Roſimundo Marito baptizatam, & in Moravia, Provincia ſua, Epiſcopatus erexiſſe. Diſcet VII. Primum poſt obitum Attilæ hoc eſt Sæculo V. Marcomannos ditionibus ſuis per Sclavos ejectos fuiſſe, & in Moravia Regnum ibi conſtituiſſe. Notandum autem, Marcomannos non raro Svevorum nomine apud Scriptores venire. Unde Fridegildam, ſeu Marcomanniæ, ſeu Moraviæ, Reginam, uti libuerit, jure vocamus.

ptor, Samuel Timon (a) ista scripsit: *Frigedilda Rosemundi Moravorum Regis Conjux.* Idem habet Martinus Velehradensis, Author Topographiæ Regni Hungariæ, Glareanus (b) de Marcomannis sic scribit: *Narisços, Marcomannos, & Quados haud dubie ea loca tenuisse putamus, ubi nunc agunt Moravi* Merrhenland. *De Marcomannis nemo dubitare potest, qui Vellejum legerit.* Birckheimerus (c) sic habet: *Inde habitabant Marcomanni, hodie Regio Moravia est, quæ se ad Sudinos extenderat, & Danubium usque, ubi hodie Civitas est Presburgium.* Taceo plures, quando his omnes libri pleni sunt. Sed quid discepto? cum Nobis ipsemet Cl. Pray rursum Palinodiam occentet; hæc enim in specimine Hierarchiæ (d) scribit: *Erectus est* (Episcopatus Nitriensis) *plerorumque opinione a Frigedilda Moravorum Regina.* Fuit igitur Regina Marcomannorum, & Moravorum; & tamen me ille carpit, quod Frigedildam Moravorum Reginam appellarim. Mirum sane, Virum doctum se adeo peregrinum in Historia simulare; sed mavult hospes videri, quam veritati herbam porrigere, seu a convitiando abstinere.

Item de Cresimiro Rege.

Quod ad Crescimirum Regem, S. Stephano Regi adversus Conradum Imperatorem suppetias tribuentem, attinet, fatendum est, ejus regiminis Chronotaxim, ita intricatam esse, ut nescire debeamus, quo nam anno Crescimirus Trescimiri Regis Serviæ, ut vult Du Fresne, (e) aut Cresimiri Croatiæ Regis, Majoris dicti, quod Lucio placet (f) filius regnare cœperit, quo item desierit? uti & quo anno alter Cresimirus, Petrus dictus, ad Croaticum Solium sublimatus fuerit? neque id in luce positum est, quo anno Stephanus II. prioris Crescimiri filius ad thronum pertigerit? Etsi vero Adversarius scribat (g) quod Basilius Imperator Constantinopolitanus profligatis

(a) Timon. Imag. Ant. Hung. Lib. II. pag. 270.
(b) Glarean. ap. Schardium Redivivum Rer. Germ. Script. Tom. I. pag. 74.
(c) Birckh. apud Schard. loc. cit. pag. 87.
(d) Spec. Hier. Eccl. in Episc. Nittr. Par. I. Pag. 359.
(e) Du Tresne. pag. 116.
(f) Luc. in Notis ad Diocleatem pag. 489.
(g) Diatr. pag. 70.

gatis Bulgaris anno MXIX. Croatiam ſibi ſubjugaverit, & Creſcimirum, ac ejus fratrem, qui una imperarunt, Conſtantinopolim conceſſiſſe, ubi palatinis dignitatibus donati fuerant, conſtet; iſthinc tamen neutiquam efficitur, quod Noſter vult, hunc Creſcimirum S. Stephano contra Conradum auxilio venire haud potuiſſe. Unde id ſumſerit, non indicat; ſed ſolum generatim ad Monumenta Croatica provocat; videtur tamen ex Du Freſneo (*a*) pauculis mutatis tacitoque nomine exſcripſiſſe. Iſte ſic habet: *Scribunt: Scylitzes, & Zonaras Imperatorem Baſilium Porphyrogenitum, poſt profligatos, ac penitus deletos Burgaros anno Milleſimo decimo nono Croatiam deinde in jus ſuum redegiſſe, duosque fratres, qui ei imperabant, conceſſiſſe Conſtantinopolim, ubi Palatinis dignitatibus donati fuere.* At ſi noſter boni Critici partes implere voluit, adeundi illi erant Scriptores, quorum auctoritate nixus Du Freſne ea nobis retulit: & comperiſſet, in Scylitze quidem nihil eorum reperiri, ſed nec reperiri poſſe. Is enim ſuum Breviarium Hiſtoricum ibi incipit, ubi Cedrenus deſinit, hoc eſt: ab Iſaacio Comneno, qui Imperium auſpicatus eſt anno MLIX. adeoque longe poſt tempora Baſilii Imperatoris: Zonaras autem de his nihil plus habet, quam iſta: *Bulgaria domita etiam Cravatarum genus &, Sirmium Romano Imperio ſe ſubmiſerunt.* Igitur teſtimonio iſtius *Monumenti Croatici* non poſſumus adſtipulari, eo magis, quod ab inde nulla certa cronotaxis erui poſſit. Tale eſt, quamvis paullum enucleatius, etiam Cedreni teſtimonium (*b*) in hæc verba ſcribentis: *Subacta Bulgaria, Imperatori ſe dedidit contermina Chorbatorum gens, & ejus Principes, fratres duo: quibus Imperator honores, ac opes amplas tribuit.* Et hæc ſunt illa Monumenta Croatica: e quibus tamen nemo probaverit, Creſimirum Croatiæ Regem S. Stephano contra Conradum auxilio venire haud potuiſſe.

Nam quantumvis inter Scriptores utcunque conveniat, Bulgariam a Baſilio Porphyrogenito ſubjugatam anno MXIX. fuiſ-

(*a*) Du Fresne de Reg. Dal. & Croat. pag. 76.
(*b*) Cedren. Hiſtor. Compend. pag. 561. edit Venet. pag. 717. edit. Paris.

se: nullus tamen hactenus, quod sciam, definivit, quonam anno Cresimirus cum suis Croatis se Basilii Imperatoris potestati subdiderit. Quanquam, etsi id certo sciremus, nondum tamen ex his consequitur, Cresimirum ad Croatiam Constantinopoli neutiquam remissum fuisse, & usque obitum Croatis imperasse; adeoque S. Stephano auxilium contra Conradum ferre nequivisse: imo conjicio illum ad suos rediisse, & porro quoque Croatiæ, jam Basilio tributariæ, Regis potestate imperasse. Id quod Joannes Archi-Diaconus de Gvercse (a) non obscure affirmat, his verbis: *Dum Sanctum Pannoniæ totius Regem cum exercitu petiisset Conradus Imperator, Croatiæ Rex Cresimirus S. Stephanum adjuvit, & XVI. Cal. Septemb. victoriam habuerunt. In rei hujus remunerationem, dum anno MXXXI. Conradus cum Stephano per ambasciatores Emerico adjuvante, pacisçerentur, pars hæc Slavoniæ Regi Croatiæ cessit.* Illæ vero simultates inter Conradum & Stephanum anno MXXVIII. aut certo duobus sequentibus exarserunt. Igitur clarum evadit Crescimirum, Croatiæ Regem, accepta ab Imperatore Patricii dignitate, ad suos cum potestate remissum fuisse. Id quod etiam Imperatorum æquitas postulabat, ut, qui se sponte illis subjecit, hæreditate sua non despoliaretur. Nec Thomas Archi-Diaconus Salonitanus hic est adversus, dum (b) Crescimirum Imperatorum Constantinopolitanorum Basilii, & Constantini Patricium, & una Regem Croatarum appellat. Id Lucius quoque agnoscit (c) in Tabellis Regum Croatiæ, in quarum altera habet: *Cresimir Croatarum Rex, cui successorem dat Stephanum Regem*: in altera quoque ista notat: *Dircislaus Rex anno CMXCIV. usque M. Cresimirus Rex, Stephanus Rex, Cresimirus Rex, anno MLII. usque MLXXIII.* nec quicquam interpolat. Quid ergo vetat asserere Cresimirum Regem Croatiæ S. Stephano contra Conradum an. MXXVIII. vel sequentibus suppetias venisse? Certe monumentis Croaticis, quibus Adversarius nobis illudere conatur, his adversa nunquam docebuntur.

De

(a) Ita lege ap. Kerchel. Not Præl. Pann. Vet. Peri od. III. pag. 101.
(b) Thom. Archi-Diac. Hist. Salon. Cap. XIII. pag. 549.
(c) Luc. de Dalm. & Croat. Lib. II. Cap. I. pag. 57. & Cap. VIII. pag. 77.

De altero etiam Creſimiro, Petro dicto, non minimæ ſe objiciunt difficultates. Hunc anno MLIX. Regem Croatarum fuiſſe, manifeſtum fit ex publicis Tabulis, a Du Fresne (*a*) relatis. Verum idem exiſtimat (*b*) hunc Creſimirum eundem eſſe, cum Murcimiro, ſeu Creſcimiro priore, quem Lucius *Majorem* nominat, quique circa annum CMXCIV. Croatiæ Regnum obtinuit. (*c*) De hoc præterea Lucius (*d*) ita loquitur: *Creſimirus Petrus primus reperitur privilegia contuliſſe titulo Regio Croatorum & Dalmatinorum, ſeu Dalmatiæ, & Croatiæ anno MLII. Sed quando regnare cœperit, a quo Regni titulum, Dalmatiæque acceſſionem conſequutus ſit, non conſtat.* Nam ejus Regnum in ea tempora incidit, quæ Baronius (*e*) ſequentibus deplorat: *Apud Græcos, ſive Latinos Hiſtoricos, quorum de rebus Orientalibus, brevis tantum, & inops narratio ſcripta legitur. Si quid aliunde afferre poſſe contingeret, magnum ad ipſarum notitiam in tanta obſcuritate res ipſæ accipient incrementum.* Hæc ut opinor, liquido demonſtrant, rationem temporum illorum ita implexam eſſe, ut etiam Eruditi, & in iſto ſtudio non modicum exercitati, ambigant, quid demum certo ſtatuendum ſit. Cæterum ego quidem ad conciliandam narrationi meæ fidem idoneos teſtes adduxi, & fontes e quibus illam hauſi, indicavi: & cupio, ut idem etiam Crito noſter feciſſet. Si autem meis certiora, quod equidem propalam pronuntiare auſim, neutiquam facturus eſt, protulerit, ſententiam meam lubens volensque demutabo: teſtes autem, non phalerata verba poſco. Interea patietur teſtimonia mea, ſententiamque conſiſtere. Sed falſimoniarum ejus, atque inficetarum criſium ſatis eſt.

§. VIII.

(*a*) Du Fresne pag. 76.
(*b*) Idem Cap. IX. pag. 116.
(*c*) Id incredibile videtur, cum habeamus Diplomata Petri Creſimiri, quæ liquido docent illum usque annum MLXXIII. regnaſſe. Vid. Luc. Lib. II. Cap. X. pag. 137. referendum tamen erat, ut appareat, quam obſcura ſit illius temporis Hiſtoria.
(*d*) Luc. Cap. IX. pag. 133.
(*e*) Baron. ad an. MLXXIII.

§. VIII.

Hallucinatio illius circa Synodum Sirmiensē & condemnatum Photinum.

Nihilo felicior, manſvetiorve eſt noſter in refellendis iis, quæ de Epiſcopatibus Bosnenſi, & Sirmienſi commentatus eram, minutiſſimos pulviſculos exaggerata diligentia conquirit, & in me ſuſcitat, graviora negligit. Argumentum Scriptionis fuit, docere vetuſtatem, everſionem, & reſtitutionem illorum Epiſcopatuum. Adverſarius vero acrius in me deſævit (*a*) & ait, quod non ſatis critice affirmarim, Photinum anno CCCXLIX. in Syrmienſi Synodo damnatum eſſe. Id igitur imperitiam oſtendit. Sed itane meam an illius oſtendit? Luſtremus. Quod ſi Vir doctus Synodum Syrmienſem, Arianam ab Orthodoxa, Epiſcoporum Orientis ab Occidentalibus rite, ut oportebat, diſcreviſſet; nec me iniquis contumeliis laceſſere, nec ipſummet in tam ſupinum errorem pro abi, fuiſſet neceſſe: ſed neque prægrandi confidentia iſthæc ſcripſiſſet: *non eſt dubium, quin Photinus in Synodo Mediolanenſi anno CCCXLVII. aut XLVIII. damnatus* (*b*) *Valens autem, & Urſacius in communionem recepti ſunt. Anno deinde CCCXLIX. in Synodo Romana, ſub Julio celebrata, de Photini expulſione actum fuerit: in Synodo denique Sirmienſi plenaria anno CCCLI. Photinus ab Orientalibus - - condemnatus ſit.* (*c*) Multa his menda inſunt, quæ virgulam merentur. Duæ Sirmii celebratæ

(*a*) Diatr. pag. 71.

(*b*) Illud? aut *CCCXLVIII.* prorſus ſupervacaneum eſt, ſi enim Petavium conſuluiſſet, videre poterat, nullum eſſe dubium Synodum Mediolanenſem an. CCCXLVII. celebratam fuiſſe. Cæterum, id, uti & integram animadverſionem ſuam e Petri de Marca Diatriba tacito nomine fere totidem verbis exſcripſit Pravus.

(*c*) Cl. Pray in horum confirmationem citat pro ſe Dionyſium Petavium, & Jacobum Sirmondum, ſed omnino perperam: unde certiſſimo colligo, neutrum horum a noſtro inſpectum eſſe. Norunt Eruditi, quam acriter ac una erudite hi Duum Viri eatenus conflixerint. Et Petavius quidem in Diſſertatione adverſus Diatribas Sirmondi invicte demonſtrat, iſta anno CCCXLIX. accidiſſe, poſtquam enim Synodum Mediolanenſem ad annum CCCXLVII. defixiſſet, iſta ſubnectit: *Hanc biennio poſtea excepiſſe Sirmienſem alteram dicimus., in qua Photinus Catholicorum ſententia depoſitus.* Sirmondus vero in Diatriba Prima Sirmitana adverſus animadverſiones Petavii ad Epiphanium ſententiam Baronii ſequutus ſic habet: *Sed de anno Synodi Sirmienſis, in qua Photinus damnatus eſt - - ambigere non licet - - cui dubium eſſe queat, quin vera, & certa ſit Baronii ſententia, qui anno CCCLVII adſcribendam cenſuit.* En! Petavius mihi, neuter Adverſario favet. Promde parcius poſt hac palpum nobis obtrudat. V. Sirmond. Tom. IV.

bratæ ſunt Synodi, cauſa Nicænæ fidei. Altera Canonica, altera fuit Ariana, ut teſtis eſt Dionyſius Petavius (a) Catholicam præceſſiſſe adſtruit, fretus Hilarii teſtimonio, cujus iſthæc verba recitat: *Igitur ad tollendum ex Epiſcopatu Photinum, qui ante biennium jam in Mediolanenſi Synodo erat hæreticus damnatus, ex plurimis Provinciis congregantur Sacerdotes. - - Quam opportunitatem nacti Urſacius, & Valens, Romanæ plebis Epiſcopum adeunt, recipi ſe in Eccleſiam deprecantur.* Subjicit Hilarius amborum libellum oblatum Julio Papæ, tum ita loquitur: *Hæc Epiſtola poſt biennium miſſa eſt, quam hæreſis Photini a Romanis damnata eſt.* His præmiſſis Petavius ſcitiſſime argumentatur hunc in modum: *Ex quibus efficitur, Mediolanenſem Synodum biennio contigiſſe ante, quam Urſacius, & Valens Julio Papæ Libellum offerrent: biennio itidem ante, quam Sirmii ad deponendum Photinum Synodus haberetur a Catholicis. Quare cum anno CCCXLIX, Urſacius & Valens Julio Papæ Libellum obtulerint, ut in Diſſertatione probatum eſt, conſequens ſit, anno CCCXLVII. Mediolani Synodum eſſe collectam: indidemque concluditur, Syrmienſem illam Synodum an. CCCXLIX. eſſe factam, nempe biennio poſt Mediolanenſem, & eodem anno, quo Valens & Urſacius Julium adierunt.* His porro iſta ſubjicit: *Hoc invictum argumentum eſt, quod nulla tergiverſatio poteſt eludere.* (b) Et audet Crito noſter ad Petavium confugere? & tam falſe? & tam audacter? arbitrabatur videlicet, ſe ſub præſidio tanti Viri, tuto latitare poſſe: ideo veſti, perita criſi deſtitutæ, ne laciniæ aſpectabiles ſint, hujusmodi epitogium induxit. Sed venia dignus non eſt, quia ſcripſit: Si Petavius & Sirmondus legantur, apparet, me *non ſatis critice* condemnationem Photini in Synodo Sirmienſi ad ann. CCCXLIX. defixiſſe. (c)

(a) Dionyſius Petav. Elenc. Diatr. Utr. de Photino, & Sirmienſi Synodo: & apud Sirmond. Tom. IV. pag. 410. & ſequ.

(b) Dion. Petav. loc. cit. pag. 201.

(c) Szalagius Lib. III. pag. 43. in doctiſſimum Petavium pariter & in me non parum injurius eſt. Scripſeram, Photinum in Synodo Sirmienſi an. CCCXLIX. damnatum, Epiſcopatuque depulſum eſſe. Arripit hæc ille, & ita ſcribit: *in qua Chronotaxi certiſſimus cubat anachroniſmus; ſiquidem Photinus in Synodo Sirmienſi an. CCCLI. celebrata Sede Sirmienſi depulſus ſit, cum in priori Synodo, quæ anno CCCXLIX. habita eſt, propter populi factionem amoveri*

Altera Sirmienſis Synodus congregrata fuit poſt biennium ab illa prima: eo nimirum anno poſt Conſulatum Sergii, & Nigriniani, quo nulli Conſulatum geſſerunt ob Bellicos tumultus: (a) is erat annus CCCLI. Verum quia prævideo Critonem noſtrum, ut audax eſt, facile negaturum, duo celebrata fuiſſe Sirmii Concilia, quo nimirum ſuæ narrationi velum prætexat, idcirco id, ex dictis, & dicendis compendio explanandum mihi ſumo. Nam I. alterum, ad quod relata Hilarii verba reſpiciunt, contigit Anno CCCXLIX. ſub Conſtante Principe Orthodoxo: alterum vero Arianorum, ſeu ſemi-Arianorum, in quo Baſilius Ancyranus præcipuas partes egit, anno CCCLI celebra-

---

ri nequiverit, quemadmodum demonſtravit Petavius. At exaggerata hæc ſunt, nec fraude, doloque vacua. Etſi enim Petavius Diſſer. de Photino cap. I pag. 251. edit Antverp. MDCCIII. exſerte ſcribat: *Photini damnatio in eadem Urbe Sirmio biennio poſt priorem facta eſt anno CCCLI. quo depoſitus eſt iterum Photinus, & Epiſcopatu pulſus, quod obtineri hactenus non potuerat.* Ex his tamen nemo cordatus intulerit: ergo biennio ante, ſive CCCXLIX. Photinus in Synodo Sirmienſi non fuit damnatus, depoſitus, & Epiſcopatu depulſus: quin imo ex iisdem Petavii verbis id clariſſimum evadit; dicit enim anno CCCLI. qui priori biennio poſterior eſt, *depoſitus eſt iterum Photinus, & Epiſcopatu pulſus. Si iterum* certo etiam biennio ante depoſitus, & Epiſcopatu pulſus fuit. Id quod idem Petavius loc. cit. pag. 201. & ap. Sirmond Tom. IV. pag. 412. edit Venet. MDCCXXVIII. poſtquam Synodum Mediolanenſem ad an. CCCXLVII. defixiſſet, ſeque ipſum his explicat verbis: *Hanc biennio poſtea excepiſſe Sirmienſem alteram dicimus, in qua Photinus Catholicorum ſententia depoſitus, propter populi factionem amoveri nondum potuit.* Itaque Szalagius Petavii verba, uti & mea in ſano ſenſu ſumere debebat: nec Petavium Petavio falſe opponere. Hujus doctrina Photinus per Synodicam ſententiam Sirmienſis Synodi anno CCCXLIX. depoſitus eſt, hoc eſt: Epiſcopatu depulſus, quod idem eſſe norunt, qui Jura Eccleſiaſtica deguſtarunt, & quid depoſitio Canonica ſit? non ignorant. Etſi vero certum ſit, anno iſto Synodicam ſententiam propter populi factionem in executionem ſummi, id eſt Photinum a ſede ſua *effective* amoveri haud potuiſſe; id tamen neutiquam impedit, quo minus verum maneat, Photinum eodem anno damnatum, depoſitum, ſedeque ſua pulſum eſſe. Nam Judicis ſententia poſt promulgationem omnem ſuam vim integre adipiſcitur, tametſi executioni obex ab aliis ponatur. Certe dictata per Synodum depoſitionis ſententia, Photinus ipſo facto omni juris dicendi poteſtate privatus, & ab ordinis executione ſuſpenſus eſſe dignoſcitur. Quod quid aliud eſt, quam Epiſcopatu privari, dejici, atque depelli, tametſi corporalem amotionem vis allata impediat, neque enim ad ea requirimus, ut Epiſcopus ſcutica expellatur. Proinde, ut fruſtra ad Petavium recurrit Salagius, ita leviter, nec peritiſſime me calumniatur, tanquam ſi ex Petavio *mutilum* Hilarii textum attuliſſem, niſi tueri velit, omne teſtimonium mutilum eſſe, quando integra oratio, ab Alpha usque Omega non recitatur, quod tamen non tam inficetum, quam ineptum, indoctumque eſſet.

(a) Teſtes hujus ſunt Socrates Lib. II. cap. XXIX. Sozom. Lib IV. cap. VI. Et omnes fere veteres Hiſtorici, id ante Magnentii cladem factum referunt.

lebratum fuit, Constantio rerum potiente, ut irrefragabili argumento demonstravit Petavius (a) II. Quia Photinus in prima

(a) Locus hic poscit, ut quid Salagius de Episcopatu Sirmiensi sentiat, paucis exponam. I. Lib. III. pag. 43. per avia, & devia divagatur, dum ex Justiniani Imperatoris Novella XI. eruta hæc mea: *Liquet in celeberrima Urbe Sirmiensi Episcopalem sedem cum Catholicæ Religionis initiis positam fuisse*, detorquet, & cavillatur, ac demum mihi allinit, quod Ecclesiæ Sirmiensis ortum ad Apostolorum tempora retrudere velim. Compatior ego illi, quod aut perfunctorie mea legerit, aut plane non intellexerit, neque enim bonum Virum impostura arguere volo. Dixi ex Justiniani Novella liquere, ante Attilana tempora Sirmii Episcopatum extitisse, quod ad Sœculum IV. retuli, igitur memorata mea verba Latinæ linquæ periti ad Sæculum IV. referant necesse est: neque enim illa alium sensum efficiunt, quam quod Sæculo IV. Episcopatus una & Religio Catholica Sirmii floruerint. Et nonne ipsemet Salagius pag. 42. me carpit, quod ultra Eutherium, qui anno CCCXLVII. sedit, antrorsum Episcopos Sirmienses non protraxerim. Itaque cum de Episcopatu Sirmiensi, & Religione Catholica conjunctim locutus fuerim, manifestum est, utrumque ad Sæculum IV. a me relatum fuisse, alias altius processissem: quamquam in eo forte lapsus sim, quod Sirmii initia Religionis Catholicæ non supra Sæculum IV. produxerim. Certe non aliud dicendi animus erat, unde dolet mihi, quod Salagius sensum verborum meorum non sit assecutus, imo luxaverit etiam, ac sic infirmitatem suam tam aperte prodiderit. Cæterum non id mirum; etsi enim me quoque a Ciceronis Latio longissime abesse sentiam, ille attamen a castigata latinitate omnino alienum animum etiam habere videtur. Inde est, quod Szerdahelyium, qui eleganti sermone Chorographiam scripsit, non uno loco, nec simplici vice indigne lacessat, dum pag. 32. ejus orationem *luxuriantem* nominat: pag. 210. ab illo celebres Hungariæ Urbes *stylo admodum inflato* descriptas esse clamat: pag. 211. videtur illi miscere *quadrata rotundis* &c. inde etiam factum esse apparet, ut verba mea non intellexerit, aut quo tutius in me grassetur, intelligere noluerit.

II. Pag. ead. virulente in me fertur, eo quod Eutherium qui an. CCCXLVII. Sirmii sedit, primo nominarim: nuspiam tamen affirmavi, nullum ante illum Sirmiensibus Episcopum præfuisse. Sic ille de me scribit: *Miror ego eum initia non duxisse saltem ab Irenæo, qui principio Sæculi IV. Sirmiensi Ecclesiæ præfuit Anno CCCIV. Martyrio coronatus: nam genuina ejus Martyrii acta jam dudum a Bollandianis & Ruinartio vulgata sunt. Quorum volumina si molestum ei fuit volvere, legisse eadem acta commode poterat in obvio, & non magnæ molis libro, qui Acta SS. Hungariæ inscribitur.* Dehinc post Photinum Anemium Sirmii Episcopum fuisse affirmavi. Ille vero sic fervet: *Cernisne quemadmodum hic Scriptor a Photino ad Anemium transiliat, nulla facta mentione Germinii, vulgo notissimi?* Postea subjungit: *Hoc profecto non est de tenebris pedetentim eluctari, sed in luce plenissima videre non.* Quam hæc indigna inhumanaque sint, suapte patet. Fateor Irenæum, & Germinium non nominavi; tum quia propositi mei id solum fuit, ut ostenderem Sæculo IV. Sirmium suos habuisse Episcopos, quod etiam præstiti: tum & in primis eam ob causam, quia ejus modi severi supercilii Zoilorum, qualis Salagius est, putidam Crisim declinare volui. Capiat hujus argumentum. Ruinartius pag. 357. refert, quod dum Irenæus torqueretur, Parentes ejus, & amici illi inclamaverint. *Teneræ Adolescentiæ*

tuæ

Sirmienſi Synodo damnatus, non potuit Hilario teſte a ſua Eccleſia amoveri ob ſeditionem plebis, & tamen ex Sozomeno conſtat, in Sirmienſi Synodo Conſtantii Imperatoris potentia, adeo-

---

tuæ miſerere. Probus quoque Præſes ad eum dixit: *Conſulens Adoleſcentiæ tuæ ſacrifica.* Rurſus Probus dixit: *Conſule tibi Juvenis.* Hæc cauſa eſt, quod Irenæum ſubtricuerim; verebar videlicet ne hujusmodi obeſæ naris Critici tricis me implicent, forte non credituri *Tenerum Adoleſcentem, & Juvenem* in tam præcellenti Sede Epiſcopum eſſe potuiſſe. Germinium quoque reticui, quem commemorare nefas eſſe exiſtimabam, non commemoraturus, tametſi ſeriem Sirmienſium Epiſcoporum texendam mihi ſumpſiſſem. Is enim, ut S. Athanaſius in Epiſtola ad Solitarios Tom. I. pag. 860. edit. Paris. locuples teſtis eſt, per Conſtantium Imperatorem Arianum, *cum Satellitio militari ad populos invitos* intruſus eſt, & ipſe Arianus; adeoque qui non per oſtium intravit, & ideo nec legitimus Epiſcopus fuit, nec in ſerie Epiſcoporum collocandus. Hæc, ut reor, ſat ſuperque oſtendunt, nec a me Irenæum, & Germinium temere, aut ignoranter ſubtricitos eſſe, nec a Salagio me prudenter, & perite carpi. Ego vero etiam tenui Libello, ad quem ille me relegat, libenter utor, dummodo proficiam; illum autem in vaſtis voluminibus, utroque cubito innixum dormitare, ſomnumque ſuum ſomniare non invitus ſino. Interim parum intereſt, quidquid de mea libraria penu ſentiat: ſecurum tamen eſſe jubeo, quod etſi bene multos in hac opella Scriptores citem, illos nihilominus omnes, uno alterove demptis, Bibliotheca mea complectitur. Iſtud non ad oſtentationem, ſed ad defenſionem.

III. Pag. 42. ſine pipere & ſale, tanquam ſi tripodi inſiſteret, exclamat: *Sardicenſe hoc anno celebratum Concilium norunt omnes: Sardinienſe nemo novit.* Crepundiæ! perſtringit videlicet me, quod in Diſſertatione mea pag. 93. Sardinienſe pro Sardicenſi legitur. At præterquam quod & Doctis de trivio cognitum ſit, Photinum a Sardicenſi Synodo damnatum eſſe; inſuper in Syllabo Typi erratorum exſerte monui, *pro Sardinienſi* reſcribendum eſſe *Sardicenſi.* Id vel legit Salagius, vel non legit? Si non legit, palam facit, quam perfunctoria opera libros lectitet: Si legit? utique non ſine prava mente mihi inſultat, & animadverſio ejus dolo non caret.

IV. Novo prorſus argumentandi genere Sedes Epiſcopales diſtribuit. Sic pag. 34. & 35. Epænetum S. Petri Diſcipulum, primum Sirmienſium Epiſcopum creat, quia videlicet id Commentarius de S. Petro, & Paulo teſtatur. Commentarii hujus nec Author, nec ætas illi cognita ſunt, temporum tamen, itinerum, rerumque perturbatus ordo, omnibus. Erat quidem Epænetus Pannoniæ Epiſcopus, ſed ſolum Regionarius, nullique Urbi affixus, ut egregie demonſtravit Farlatus in Illyrico ſacro, ex quo Salagius plurimam partem mercium ſuarum mercatus Librum II. & III. fere compilavit, ut legentibus Farlatum exploratum fiet. Pag. 37. & 38. Eleutherium facit Sirmii Epiſcopum eo, quod illum Baronius Illyrici Epiſcopum nominet. Id non ſufficit, nam fuit quidem Illyrici Epiſcopus, ſed pariter Regionarius, ſeu Apoſtolicus, aut Evangelicus, quorum munus ea ætate uſitatiſſimum erat: Civitates, oppida, vicos, circuire, Evangelium prædicare, gentes Chriſto adgregare, quin ulli loco, plagæ, aut Diſtrictui alligari fuiſſent. Ridiculum vero etiam eſt, quod ille hic porro ſcribit, videlicet, ætate Eleutherii Sirmium Metropolitanæ Sedis honore fulſiſſe. Si igitur hunc audimus, jam Sæculi II. initio, tum enim vixit Eleutherius, Sirmienſes Epiſcopi Metropolitæ erant, quod tamen a

Som-

adeoque in posteriori anni CCCLI. ejectus est. (a) III. Quia Concilium Sirmiense primum soli Occidentales habuere, suum-

 que

Somniis matutinis nihil distat. Circa cæteros veteris Pannoniæ Episcopatus pari, hoc est, plane inficeta argumentatione utitur. Sic pag. 92. Laurentium miserando nisu Sirmiensibus Episcopis accenset; magis vero miserando Justum, & Joannem pag. 67. & 107. Pro Episcopatu Bassianensi, Sisciensi, Petovionensi &c. hoc fere argumento depugnat: Erant Bassianum, Siscia, Petovium, Urbes non ignobiles; ergo Episcopales Sedes in illis collocatæ erant. Nimis quam infirmum hoc argumenti genus est. Cui otium est, adeat Prophyrogennetæ Themata, Hieroclis Grammatici Synecdemum, Beati Rhenani Rerum Germ. Lib. I. Bilibaldi Pirckheimeri Germaniæ Descriptionem &c. ac velut manu contractans comperiet, quam plurimas non ignobiles Illyrici Provinciarum Urbes ab illis memorari, quarum fortasse ne decima quidem pars Sedes Episcopales complectebatur. Sed de his satis, nam alioquin frivola id modi ratiocinatio seipsam evertit. Quorsum ergo pertinent in nuncupatoria affaniæ illæ: *Eas* (assertiones) *non primas cudi, sed vel antiquorum testium, vel doctissimorum neotericorum ex verbis transcripsi?* Priores desiderantur, posteriores repugnant.

V. Pag. 95. hæc ille de me: *Vides Auctorem hunc eversionem Urbis Sirmiensis, ab Attila patratam, alligare anno CCCCXIII. aut certe principio Sæculi V. perinde quasi Annus CCCCXIII. non spectaret ad principium Sæculi V.* Imo vero spectat; sed potestne hac levior, aut magis frivola animadversio cogitari? Profecto, qui vel primis labris Grammaticæ elementa delibaverunt, deridebunt ejus subtilem, si superis placet, crisim; sensum enim meæ sententiæ nullo negotio percipient; ex qua, etsi quæcunque demum vis adhibeatur, nequit aliud extorqueri, quam quod existimarim, Sirmium per Attilam Anno CCCCXIII. eversum fuisse: aut si non hoc præcise anno, certe tamen principio Sæculi V. Quæ dicendi formula nedum Annum CCCCXIII. a principio Sæculi V. non excludit, quin potius ad id refert, & una indicat, quod si non hoc determinato anno, tamen non multum ab eo Sirmium Attilæ furori cesserit. Pudeat Virum tam palmari errore, nec satis scite sensum sententiæ meæ detorquere, seque ipsum coram Orbe Literato adeo prodigere. Hinc certo videtur, quod dedita opera, quin ad æquum, & decorum, humanitatem item advertat, convitia conquirere proposuerit, quæ in me temere effundat. Et nihilominus in Epistola Nuncupatoria, priore illa, nam in posteriore secundo impressa, inficetæ gloriæ stimuli detruncati sunt, turgidus ostentare audet *exactam crisim, judicii maturitatem, sermonis nitorem, & animi moderationem.* Quæ cum Theonino dente, quo omnia arrodit, non conveniunt.

VI. Scripsi: Eversum ab Attila Sirmium non amplius pertigisse ad honorem Metropolitanæ Sedis. Nihil eorum muto. Ex Justiniani Novella XI. arguebam ante Attilana tempora Sedem Metropolitanam Sirmii fuisse, & postquam istud Hunnico furore eversum fuit, illam quoque periisse. Quia vero ibi de Sirmiensi Episcopatu sermo fuit, omnis prudens Lector non difficulter intelligere poterat, me de Metropoli Ecclesiastica agere. Salagius attamen scisitatur ex me; an eo ioco de Civili Metropolitano honore, vel Ecclesiastico, aut denique de Episcopali Sede loquar? & mox pag. 97. immodica confidentia pollicetur, se probaturum, Sirmio Ecclesiasticæ Metropolis dignitatem post Attilanum bellum redditam fuisse. Id equidem tum docebit, cum & plurima alia, quibus Librum suum oneravit.

(a) Sozom. Lib. IV. in fin. Cap. VI.

que Decretum ad Orientales transmiſere, ut ex eodem Hilario perſpicuum eſt; ita enim de hoc ſcribit: *Decretum de Photino ab Occidentalibus ad Orientales relatum eſt mente callidos, ingenio ſubtiles, malitia pertinaces.* IV. Quia Valens, & Urſacius occaſione iſtius Sirmienſis Catholicorum Synodi cum Patribus congregatis, & Athanaſio pacem, & concordiam expetierunt, cujus antea in Concilio Mediolanenſi primordia, & fundamenta jecerant, ut rurſum ex Hilario liquet, hæc illorum verba in Fragmentis referente: *Sicut per priorem Libellum noſtrum, quem apud Mediolanum porreximus, & nunc, & ſemper anathematizaſſe hac manu noſtra, qua ſcripſimus, profitemur.* Deinde, ut paulo ante vidimus, ſubjungit Hilarius: *Hæc Epiſtola poſt biennium miſſa eſt, quam Hæreſis Photini a Romanis damnata, data eſt*, ſcilicet in Mediolanenſi Concilio, cui Romani Legati præſederunt. Iſta vero non in alia, quam plane Orthodoxa Synodo Sirmienſi fieri poterant, & debebant. (*a*) Igitur dilucide apparet, Photinum biennio poſt celebratam Canonicam Synodum Mediolanenſem, hoc eſt: Anno CCCXLIX. quantumcunque obſiſtat Petrus de Marca (*b*) in Sirmienſi Synodo Catholicorum damnatum, ac Sede Epiſcopali per ſententiam Patrum depulſum eſſe, quamvis ob populi ſeditionem lata ſententia non prius, quam Anno CCCLI. in executionem ſumi potuerit. Iſto demum anno iterum Sirmii convenerunt Patres, ſed plerique Ariani, qui, quum Catholici videri affectarent, Photinum Epiſcopum Sirmienſem, præcedentis Canonicæ Sirmienſis Decreto ab Occidentalibus Epiſcopis damnatum, rurſus, adnitente etiam Conſtantio Imperatore, damnarunt. Cumque illo priore Decreto non potuiſſet ob plebis reſiſtentiam hæreticus Epiſcopus ejici; iſto demum an-

(*a*) De Valente, & Urſacio non ita intelligendum eſt, quaſi illi in Concilio Sirmienſi Patrum congregatorum judicio in communionem recepti fuerint; quamvis enim non dubitem, Libellum ab iis huic Concilio ſubmiſſum fuiſſe; quia tamen nusquam legitur, illos ad hoc primum Sirmienſe Concilium acceſſiſſe, exiſtimo, illosmet non hic Eccleſiæ adgregatos fuiſſe. Libellus enim amborum (idem, an diverſus, nihil attinet dicere) eſt ad Julium Romanum Pontificem, ad quem Valens Murſiæ, & Urſacius Sindiguni Epiſcopi confugerant, ut & ad Athanaſium, tum Romæ commorantem, remiſſus. Pontifex utrumque Eccleſiaſticæ Communionis conſortes fecit, ut ex relatis Hilarii verbis clarum evadit.

(*b*) Petr. de Marca Diſſer. Eccleſ. de Temp. Syn. Sirmien.

anno, ut dixi, Constantio vim militum suppeditante, compulsus fuit Photinus Episcopatu Sirmiensi decedere. *(a)*

Istud posterius respexisse videtur Adversarius noster, sed tam implexe merces suas proponit, ut ægre discerni possint; ait enim in Synodo Sirmiensi Plenaria, Anno CCCLI. Photinus ab Orientalibus condemnatus est. Plenariam, post Petrum de Marca vocat, cum tamen nec fuerit æcumenica, nec ab Occidentalibus Episcopis frequentata, nec nisi pauculis Orthodoxis præsentibus celebrata: & præterea nuspiam legimus, illi Romani Pontificis Legatos præfuisse; atque adeo fortasse nihil peccabimus, si, quod ille Concilium Plenarium facit, nos Arianorum Conciliabulum dicamus. *(b)* Sed & de Synodo Canonica Nostro loquendum erat, cum de damnatione Hæresis, & Hæretici loquitur, id enim solum legitimum est. Priorem vero Catholicam prorsus oblitus est commemorare, vel dissimulavit, quod tamen ex rectæ Critices norma referendum fuisset. Non minus labitur, quando adstrnit, Valentem, & Ursacium Anno CCCXLVII. in Communionem receptos esse. Id partim ex iis, quæ hucusque retuli, ad Annum CCCXLIX. adduci debere constat: partim quia Hilarius testis est biennio post Mediolanensem Synodum, anno CCCXLVII. celebratam, Valentem cum Ursacio ultimo libello oblato suam cum Ecclesia, & Athanasio pacem compleviſſe, adeoque communioni Ecclesiæ se se reddidisse. *(c)*

Corrigendum quoque non minimum Sphalma est, quod Adversarius adnotavit, videlicet: Anno CCCXLIX. in Synodo Ro- Item circa Romanam Synodum

(a) Vid. ista copiosius ap. Petav. & Sirmond. loc. cit.

(b) V. Du Mesnil Doct. & Discipl. Eccles. Lib. XI. pag. 44. & al. Socr. Lib. II. Cap. XXX. Hil. de Syn. pag. 339.

(c) Juvat locum integrum ex Hilarii Fragmentis isthic adscribere: *Igitur*, inquit ille, *ad tollendum ex Episcopatu Photinum, qui ante biennium ex Mediolanensi Synodo erat Hæreticus damnatus, ex plurimis Provinciis congregantur Sacerdotes, hoc magis solliciti, atque anxii turbari iterum, miscerique omnia, quod jam pridem plurimi, rei Episcopi vel falsorum in Athanasium judiciorum, vel communionis hæresis Arianæ ab Ecclesia fuerant ejecti. Quam opportunitatem nacti Ursacius, & Valens Romanæ plebis Episcopum adeunt, recipi se in Ecclesiam deprecantur, & in communione per veniam admitti rogant.*

Romana, ſub Julio celebrata, de Photini expulſione actum fuiſſe. Nulla anno iſto Romæ celebrabatur Synodus. Deceptus fuerit Noſter verbis Hilarii paulo ante a me relatis, quibus hæreſim Photini a Romanis damnatam indicat: Verum is loquitur tum de Synodo Sirmenſi, cui Romani Legati præſederunt: aut forte iſtis Hilarii verbis: *Julius ex Concilio veniam, quam orabat, impertit, ut cum lucro Catholicæ Eccleſiæ vires quoque detraheret Arianis.* At his non aliud innuit Hilarius, quam a Julio quosdam Epiſcopos excitos fuiſſe, ad celebrem hujusmodi actum ſolennius peragendum. Denique hiat & illud, quod, ut noſter affirmat, Photinus in Synodo Mediolanenſi *Arianorum* anno CCCLV. cum Marcello, & Athanaſio condemnatus ſit. Synodus iſta, quam alii ad annum CCCLIV. retrudunt, (a) non niſi temere *Arianorum* vocari poteſt. Conſtat enim Catholicos longe numero prævaluiſſe, & ex Occidentalibus partibus plures quam CCC. maximam partem Catholicos adfuiſſe (b) Synodum iſtam Liberius Papa ad pacem inter Eccleſias conciliandam poſtularat: cui Pontificii Legati Lucifer Calaritanus in Sardinia Epiſcopus, Pancratius item Presbyter, & Hilarius Diaconus præſentes aderant: aderat etiam Euſebius Vercellenſis, magnus ille Eccleſiæ Catholicæ defenſor, plurimique alii, (c) quamvis etiam Arianos quospiam interfuiſſe nullum ſit dubium: ob id tamen, temerarius ſit, qui tam ſolennem Synodum, *Arianam* nominare audeat. Hæc Crito noſter ignorare non debebat, cujus ſolius gratia ego illa prolixius pertractanda mihi ſumſi, quo illi ſpiſſos ſuos errores, nec cum veritate Hiſtorica conſentientes, ob oculos ponerem, atque præcipitibus criſibus, quas ſæpiſſime ſine omni delectu, nec ſatis diſcrete jactat, viam præſtruerem.

Porro quoque aſperam hanc, nec niſi iis, qui vanæ imaginationis fumo turgidi in famam aliorum piraticam exercent, probabilem viam deſultorie decurrit noſter: & qui paulo ante cum

(a) Ughel. Tom. IV. Ital. Sacr. Synod. Mediol. Tom. I. Concil. nov. edit. Tom. II. veteris.

(b) Du Mesnil. Lib. XII. pag. 52.

(c) Ughel. loc. cit. Hilar. ad Conſt. Lib. I.

cum insigni injuria, aspernabilique audacia præsumsit de Doct. ac Cl. Benedicto Cetto scribere, illum in Lexicographis terendis fere ætatem detrivisse: modo palam prodit, sibi Lexica non satis bene esse cognita. Carpit videlicet me, quod scripserim, velle me *demonstrare*, ab Stephano Episcopatum Sirmiensem restitutum esse. (a) At meminisse debebat Vir bonus, mihi rem haud esse cum Astronomo, aut Mathematico, vel Metaphysico, sed duntaxat cum Historico. (b) Perperam igitur, & nimis leviter mihi objicit voculam *Demonstro*, tanquam cujus in Historia non sit usus. Quis quis vel tantillum sapit, primo obtutu animadvertit, me non voluisse loqui de Demonstrationibus Mathematicis, aut Metaphysicis; quid enim ista ad Historiam? verum in sensu Grammaticorum verbum illud acceptum esse. Adeat Vocabularia, & experiettur, voculam *Demonstro* idem significare, quod: *Doceo, indico, probo, declaro, ostendo.* (c) Quod si vero sibi persuadeat, voculam illam non esse aureæ ætatis, & ob id me lacerat; cur quæso, ille ipse eodem vocabulo utitur? (d) *Turpe est Doctori cum culpa redarguit ipsum*: aut fortasse a Cicerone privilegium eatenus sortitus est? mihi vero satis est vera pedestri stylo scribere, si modo a legentibus intelligar, neque sum sollicitus de phaleratis verborum formulis, quas ille magno nisu sectatur: & si forte aliquando etiam assequatur, quid mirum? cum olim ad Rhetorum usque subsellia provectus fuerit, (e) quo si me quoque occasio defixisset, forte paria poteram. Ita ille putamina rodit, nucleum abjicit.

Nihilo moderatius depugnat contra me, eo quod scripserim, S. Stephanum Sclavoniæ Dominum fuisse. Id demonstrare cona- Et Sclavoniam atq; limites Diæcesis Quinque-Ecclesiens.

(a) -- -- Diatr. pag. 72. & sequ.

(b) Fere mihi excidit, quod Cl. Schvartzius, in *Floribus* sparsis, in Doctissimum Authorem nostrum acute luserat.

(c) Omnia Dictionaria clamant *demonstrare* idem esse quod: *meg mutatni; Tanitani*, bemeißen, zeigen, Insegnare, Demontrer, Pokazujem, δεικνομι, preukasem.

(d) Diatr. pag. 153. exserte dicit: *usus sum* ad Colomannum Ladislai filium *demonstrandum*. Papæ! Si ejus hac in re conatum quis demonstrationem appellet, nemo unquam aliquid magis exorbitans demonstraverit.

(e) V. Cl. Cetto Par. IV. Coll. Disser. pag. 70.

conatus fui ipſiuſmet Divi Regis Literis, quibus Diæceſis Quinque Eccleſienſis terminos minutatim deſcribit, hiſce verbis: *Primum terminum - - ſecundum Ozora, donec perveniatur ad aliam aquam, quæ Klupa nuncupatur. Tertium Ropus (a) uſque ad Almus aquam. Quartum, ut dicitur Reonrok, ſicut incipiens a Danubio ſuper Savam fluvium terminatur.* (b) Cum igitur Diæceſi Quinque-Eccleſienſi hos limites S. Rex poſuerit, manifeſtum eſt, ea omnia, quæ intra illos continentur, ad Hungariæ proprietatem pertinuiſſe; neque enim alterius Domini regionem S. Stephanus limitibus circumſcribere, & Epiſcopo Quinque-Eccleſienſi ſubdere poterat. Et quia memorati fluvii, ſignanter Klupa, vel Colapis, Savusque, Sclavoniæ fluvii ſunt; rurſum manifeſtum eſt, Sclavoniam S. Stephano paruiſſe: alias dicendus eſſet, rem non ſuam alteri tribuiſſe. Id eo certius evadit, quod in Diplomate quartus limes *incipiens a Danubio ſuper Savum fluvium terminetur*, atque adeo ultra Dravum hac parte porrectum erat poſſeſſorium Hungariæ: atqui in confeſſo eſt, Sclavoniam inter Savum, & Dravum contineri;

(a) Hæc nomina alii paullum aliter ſcribunt, ego ut apud Kerchelich reperi ſic ſcripſi, neque enim ipſum Diploma vidi.

(b) Salagius Lib. I. pag. 180, hos limites longe alio collocat, & adſtruit, tribus prioribus Diæceſim Quinque-Eccleſienſem, a Veſzprimienſi diſcriminari, atque ideo in Hungaria quærendos eſſe: tum ad explicanda vocabula: Zemogni, Thapeon, Ozora, Lupa procedit, quæ poſtquam ſatis torſiſſet, tandem ad Hungaricorum nominum ſimilitudinem recurrit, quin ullo teſte ſuam conjectationem muniret. Quæ ſcribendi ratio ad perſvadendum nentiquam apta eſt, eo magis, quod alii, ut docui, eadem vocabula prorſus aliter interpretentur. Itaque niſi ſolidius probet, illa ipſa nomina, in Tabulis S. Stephani contenta, non poſſe alio referri, quam ad loca, quæ ille nobis arbitrarie obtrudit, utique fidem illi, ſi modo ſapimus, habere nequimus. Pollicetur ille quidem RR. D. Joſephum Koller Canonicum in Hiſtoria Epiſcopatus illius brevi edenda, rem hanc ita ad liquidum perducturum, ut eum, qui aliter videat, ſanis oculis deſtitutum, jam nunc pronunciare auſit. Etſi vero non dubitem Egregium illum Virum pro eruditione ſua conatus ſuos in id collaturum, interea tamen judicium ſuſpenſum tenere oportet; convicti autem non illibenter victas manus dabimus; ſed Salagii nudas ideas ſequi non tenemur, nec poſſumus. Hinc pene mimicum ejus epiphonema nequeo non mirari. Sic vero habet: *I nunc & ex hac enucleata limitum Diæceſis Quinque Eccleſienſis deſcriptione univerſam Sclavoniam juris fuiſſe S. Stephani conclude.* Hæc triumphantium more prægrandi pompa.

ri: (a) igitur Sclavonia ad Sanctum Stephanum pertinuit. (b)

Hæc quamvis mihi luce meridiana clariora esse videantur, attamen noster obstrepit, & ex liquida illa terminorum Diæcesis Quinque-Ecclesiensis descriptione improspero sane conatu arguit (c) necessum esse, ut statuamus Episcopatum Quinque-Ecclesiensem ultra Savum in Bosniæ mediterraneum, & ad extimos Croatiæ versus Carnioliam limites porrectum fuisse. Ego equidem limites Episcopatus Quinque-Ecclesiensis nunquam mihi perveſtigandos sumsi, neque enim id ad argumentum Scriptionis meæ attinebat; verum limites solum ipsius Diæcesis ex clarissimis Diplomatis Stephanei verbis indicavi: unde Crito noster Diploma S. Regis impugnandum, aut certo explanandum habuit. Neutrum autem fecit, sed me, more, infectatur. Sed audiamus, cur ea dixi? quia inquit, Colapis in confinio Croatiæ, & Carnioliæ ortus ad Siscíam Savo miscetur: & quia Uzora supra Verbosinam Bosniæ vicum originem trahens, & Bosnæ fluvio immistus in Savum itidem influit. Bellissimum argumentum! Simile huic: Jaurinensis Diæcesis unus terminus est Danubius, atqui Danubius oritur in Suevia prope Doneschingam, & decurrit per Bavariam & Austriam, ac in Pontum Eu-

(a) Salagius hic jam vacillat, scribit enim, ex quarto, qui in Diplomate S. Stephani est, Diæcesis Quinque Ecclesiensis limite conspicuum fieri, *Regnum S. Stephani ultra Dravum extensum fuisse, usque ad Savum*, non tamen usque ad eum locum, ubi Danubio miscetur Savus. Id quidem satis audacter dicit, sed non probat: imo mihi probationem injungit. At ego quidem id non obscure docui, nam in Diplomate S. Regis exserte dicitur: *quartus limes a Danubio super Savum fluvium terminatur*: quod manifesto nobis argumento est, Sclavoniam, quæ inter Savum, & Dravum jacet, adeoque ubi Sirmium quoque est, S. Stephano paruisse, neque enim in alterius ditione terminos constituere poterat. Si autem Salagius me refellit, & clara illa verba ad aliquotam solum terræ particulam restringere vult, utique sana Philosophia exigit, ut id etiam doceat, & non dubiis argumentis, nam de fide Instrumenti publici agitur. Nos frivolis assertis non consuevimus credere.

(b) Timon. Hung. N. pag. 60. postquam verba illa Diplomatis retulisset, ist-hæc adnotavit. *Videtur Divus Rex terminorum descriptionem inchoasse a regione Tolnensi, ubi inquirendæ villæ ac rivi. Profert autem eos terminos a Danubio primum in Occidentem, post in Austrum ad Savum. Constat ergo ætate D. Stephani fines Hungariæ usque ad illud flumen extensos fuisse.* Igitur Sclavonia, qua Savo & Dravo amnibus concluditur, S. Stephano paruit.

(c) Diatr. pag. 73.

xinum se exonerat: ergo necessum est, ut statuamus Episcopatum Jaurinensem in Sueviæ mediterraneum, & per Austriam, Bavariam ad usque Doneschingæ limites, & Pontum Euxinum porrigi. Nec ego dixi, nec S. Stephanus in relato Diplomate statuit, Diœcesis Quinque-Ecclesiensis limites usque ad Colapis, & Uzoræ origines: ac proinde dum de his fervidius Adversarius agit, secum ipso supervacua diligentia disputat. Magis fœcundum ingenium commendasset, si modo hunc sibi laborem sumere voluisset, ut nos edoceret, quousque *super Savum*, quod S. Stephanus dicit, Episcoporum Quinque Ecclesiensium juris dicendi potestas extensa fuerit: id enim adhuc, ut reor, in crepero est.

Cæterum: quemadmodum de fide memorati Diplomatis nemo prudens dubitaverit, ita evidentissimum est, a S. Stephano Diœcesi Quinque Ecclesiensi limites constitutos, fuisse fluvios, Ozoram, Klupam, Ropum, usque ad Almum, Reonroch a Danubio super Savum. Num vero Klupa, sit Culpa, vel Colapis, aut Krupa, quod Kerchelichius vult. *(a)* Num item Ozora, sit Uzora, sive Uzoricza? mei instituti non est indagare, sed Kerchelichio partium illarum & viciniſſimo, & gnarissimo adstipulor. Satisfactum autem a me argumento existimo, quando ex Diplomate non obscure demonstravi, ab S. Stephano Episcopo Quinque Ecclesiensi in ipsa Sclavonia limites constitutos fuisse, & quod hinc efficitur, Divum Regem in hanc Dominium habuisse. Id quod Constantinus Porphyrogenneta *(b)* mirifice confirmat, dum scribit, Turcis, Hungaros vetere vocabulo intelligit, a Meridie Croatas vicinari, hoc est, quidquid Meridiem versus Hungariam inter & Croatiam est, id totum ad Regum Hungariæ jura pertinere. *(c)* Unde non improbabiliter

(a) Kerch. Notit. Prælim. Pann. Vic. Period. III. pag. 102.

(b) Const. Porphyr. in Corp. Hist. Bizan. de Admin. Imp. Par. II. cap. XL. pag. 90. edit. Ven.

(c) Szalagi pag. 181. scribit, adductum Porphyrogeniti testimonium non esse ad rem; is enim medio Sæculo prius, quam S. Stephanus coronaretur, scripsit, atque ideo limites Hungariæ, quales sub Stephano Rege erant, designare non potuit. Utique non est ad rem illius, quia omnem ejus argumentationem subvertit. At non ita

ter ſuſpicatur Kerchelichius (a) S. Stephanum Geyſa adhuc in vivis agente Ducem Sclavoniæ fuiſſe. (b) Hinc ſi noſter ſibi conſulere voluit, debebat oſtendere limites illos in Diplomate expreſſos, non extra Hungariam, ſed intra ipſam quærendos eſſe. Quod, ſi certis, nec violenter detortis rationum momentis conſtabiliviſſet, & rem evictam haberet, & non fuiſſet illi neceſſum uſque ad origines Colapis, & Boſnæ mediterranea, velut extra rhombum divagari. Sed hic labor, hoc opus eſt: non enim ornatiſſimo verborum apparatui, ſed ſoli veritati deferimus. (c)

ita temere repudiari ſolent probati Scriptores. Quod ſi Salagius operæ pretium fecre voluit, ante docere debuiſſet, a tempore Porphyrogeniti, qui anno CMLIX. diem ſuum obiit, uſque ad coronationem S. Stephani limites Regni Hungariæ mutatos, coarctatosque fuiſſe: niſi enim iſtud certis argumentis doceat, teſtimonium Porphyrogeniti in *poſſeſſione* manet, & ex illo ſine dubio concluditur, Sirmienſem Regionem S. Stephano paruiſſe, quia fide ejus quidquid Meridiem verſus Hungariam inter & Croatiam eſt, ubi Sirmienſem quoque regionem eſſe exploratum habetur, id ad Hungariæ Regni jura pertinet.

(a) Kerchel. loc. cit.

(b) Vid. de hoc plura in Diſſer. mea pag. 95.

(c) Salagius pag. 182. non ſe præ gaudio capit, tripudiat, & ſibi ipſi palam applaudit; perſvadet enim ſibi, me in caſſes ſuas, velut quadam indagine ita concluſum eſſe, ut nuspiam elabi poſſim. Rideo. Sic autem intempeſtivus iſte Venator vociferatur. *Vide quo te deducam?* Utrumque, ait, ſi argumentum meum quidpiam valet, concedam neceſſe eſt, videlicet Sirmienſem provinciam regnante S. Stephano, & Hungariæ portionem fuiſſe, & limitibus Diæceſis Quinque Eccleſienſis incluſam? Quid tum? qua igitur in regione, inquit, Epiſcopatum Sirmienſem S. Rex inſtituit? utique non inter Savum & Dravum, quia hic terræ tractus ad Diæceſim Quinque Eccleſienſem pertinebat, alibi autem locum aſſignare nequimus. Ex his grandiſone, an leviſone, ſic me compellat? *Vide quorſum ratiocinatio tua evadat? ita tuo te argumento confeciſti, plaudentibus Adverſariis tuis, qvos obſtinatiſſimos pronuntiare auſus es.* Mera inanimenta! Bullæ! Affaniæ! Scilicet obſtrepitans argutæ Veſpa Cicadæ. Hæc ejus Logica, nolo enim illiberalis Styli meminiſſe, tum pondus haberet, ſi affirmaſſem uno, eodemque tempore per S. Stephanum Quinque Eccleſienſem, & Sirmienſem Epiſcopatus conditos fuiſſe, atqui id nuspiam aſſerui, igitur argumentum ejus nihili eſt. Conjectura mea, ex tot veteribus nec obſcuris teſtimoniis ſumta, fuit, & etiam eſt; quod anno MIX. S. Stephanus Sirmienſem regionem Epiſcopo Quinque Eccleſienſi ſubjectam eſſe Diplomate voluerit, quod ex ipſis Tabulis certum eſt: deinde vero viderit S. Rex Diæceſim iſthanc adeo extenſam eſſe, ut illam unus Epiſcopus vix rite regere poſſit, ac proinde, ne fidelis populus ob id quidpiam detrimenti caperet; expendens præterea Sirmii celeberrimum olim Epiſcopatum exſtitiſſe, idcirco regionem Sirmienſem, quam antea Diæceſis Quinque Eccleſienſis portionem eſſe voluit, ab hac avulſit, & novo Epiſcopo donavit. Igitur rectiſſime conbinari poſſunt hæc tria: Sirmienſis Provincia ad Hungariam pertinebat:

In altera animadverſione cautior eſt Adverſarius; Diploma enim S. Stephani, Monaſterio S. Adriani in Inſula Saladienſi an. MXIX. elargitum, quo illi Decimas in Poſſeſſionibus: Rokolany, Kál, Poklonya *(a)* Keſztel, Patha, Aracha, Reche, Gerſe, Merenye attribuit: cum ego hæc ſcripſerim in Sclavonia eſſe, ille contra explanat, & omnes illas Poſſeſſiones, ac Vicos in Hungaria fuiſſe contendit: & ſi conatui veritas reſponderet, dubio procul omnem Diplomati illi ad probandum vim ademit. Diſſerentem audiamus. Nominata loca inquit, *ad Hungariæ Comitatus pertinuiſſe, Collectio Decimæ Pontificiæ in Diæceſi Veſzprimienſi anno MCCCXXXII. cæptæ luculentiſſime teſtatur. (b)* Habemus ergo jam rem evictam. At enim debebat illi in mentem venire, Regionum & Diæceſium fines pro temporum fortuna & vetuſtate mutari, & ſimilitudinem vocum veritati officere haud poſſe. Etſi autem darem, novem illas poſſeſſiones, quarum Colléctio Decimæ Pontificiæ meminit, re ipſa in Hungaria fuiſſe: an propterea non potuerunt eorundem nominum Poſſeſſiones etiam in Sclavonia eſſe? & fuiſſe Kerchelich vir doctus, partesque illas optime ſibi perſpectas habens diſertis verbis affirmat. Merenye certo, eodem teſte, etiamnum juris RR. PP. Paulinorum eſt, & in Sclavonia exſtat. Quid? quod ipſa illa Collectio, quam plurima locorum nomina refert, quæ ſub eadem nomenclatura citra omne dubium non modo in Veſzprimienſi, verum in omnibus pene Hungariæ Diæceſibus reperiuntur. Talia ſunt: Nova villa, S. Nicolaus, S. Joannes, Patha, Kajar, Fűred, cætera, quin tamen ob id prudenter arguere poſſi-

---

bat: Sirmienſis Provincia anno MIX. Diæceſi Quinque Eccleſienſi ingremiata fuit. Sirmienſis Provincia poſt annum MIX a Diæceſi Quinque Eccleſienſi avulſa fuit, cui Epiſcopus quoque datus eſt. Jam video quo me argumentum Salagii deduxit, videlicet, ut illud, velut delumbe, explodam, & exſibilem, Adverſariis vero plaudentibus luctum imperem: & denique caricas ejus cantiones merito aſperner.

(a) Cl. Pray hoc loco notat: Reſcribendum eſſe, ut habet autographum, *Polkoia*; forte ideo, quia in Collectione Decimæ Papalis legit vocem *Polkoik*, quæ illi ſimilior eſt. Certe, Cl. Kollar acerrimus id modi antiquitatum indagator, non niſi apographum vidit, prout Literis Sigismundi Regis inſertum eſt, ubi non *Polkoia*, ſed *Poklonya* habetur. Felix Crito noſter, cui contigit raro plane eventu plurima vetuſtiſſima autographa legiſſe, quæ cæteros latent.

(b) Diatr. pag. 76. & 77.

possimus, omnes his nominibus insignitas Possessiones ad Diæcesim Veszprimiensem referri oportere.

Deinde: quid de illius Collectionis integritate dicendum sit? nec satis scio, nec si sciam, dicere volo. Mendis profecto nec paucis, nec modicis est referta: ut exempli causa, in Solutione secunda Joannem Parochum de Merenye cum penso XX. *parvorum* in Archi-Diaconatu Segusdiensi collocat: in Solutione tertia eundem pari modo ponit ad Archi-Diaconatum Albensem: denique in solutione quarta ad Simeghiensem. Sic Parochum de Reche jam in Saladiensem, jam in Simeghiensem. Parochum Pathensem non absimiliter in hos binos Comitatus refert- (a) Præter hæc complures Possessiones recitat, quæ nihil minus, quam in Diæcesi Veszprimiensi quærendæ sunt; ut: Nesmil, Piske, Chákvár, Csorna, Vereskő, Chepel, Simon-Tornya, Bács, Guta, Hoszszufalu, Kékkő, cætera: cum tamen certissimum sit, istas Possessiones sitas esse in Comitatibus, Pestiensi, Tolnensi, Comaromiensi, Strigoniensi, Szabolcensi, Posoniensi, Jaurinensi, Bachiensi, Neogradiensi, ad quos Jurisdictio Episcoporum Veszprimiensium nunquam porrecta fuit. Unde apparet, quod quemadmodum hæc Oppida, & Pagi a Jacobo Berengario, & Raymundo Bonofato, Pontificiis collectoribus, memoratis Comitatibus extra limites Diæcesis Veszprimiensis existen-

(a) Adversarius de illis Possessionibus agens pag. 75. scribit: nomina illarum fere ad Lumbifragium a me detorqueri. Ego vero non metuo, ut illi hæc nomina delicatulos lumbos frangant, qui ex ictibus jam ita prorsus occaluit, ut nec apertam veritatem sentiat. Nomina illa ego post Scientissimum partium illarum Kerchelichium ita explanavi: Pokolány est hodiernum Rokonog, sive vulgo Rakovecz: Kal, Kalnik: Poklonya, Polana: Kesztel, Kosztel: Pata, Paka: Aracha, Hrastchja: Reche, Reka: Gerse, & Merenye retinent suam nomenclaturam in Sclavonia. Si hæc ita detorta sunt, ut vehementem cachinnum, qui lumbos luxet, ciere debeant: Quid fiet Prayanum ad Annales supplementum miseris legentibus? Suadeo ego ne illud vel aspiciant: distortis enim, & adeo exenteratis vocibus scatent, ut visum disgregari, auditum offendi, stomachum moveri oporteat. Ut in exemplo, scribit vocabula Fennica, Livonica Hungaricis proxima esse. Sic nubes, hungarice Felhó, Fennice Pilvi: Hiems Tél, Tolevi: Caput Fő, Pæa: Puteus, Kút, Kaivo. Fel, Epe: Soppi: Hirundo, Festke, Pæskinen: Passer Veréb, Warpui: Palus, Tó, Suuo: Piscis, Hal, Khalla: Scribere, Irni Kirjotani: Domus Ház, Koddo. - Et hæc nomina Finnica, Livonica sunt Hungaricis proxima? Sunt similia? Male consultum est Reipublicæ Literariæ! Nos autem indignamur: & audaciam miramur. Si illa Hungaricis proxima, totius orbis linguæ proximæ sunt.

ſtentibus, ſub titulo Solutionis Decimæ Papalis, Veſzprimienſi Eccleſiæ manifeſto errore adſcripta ſunt; ita de illis quoque Poſſeſſionibus, quarum memineramus, quæque in Sclavonia quæri debent, ſentire omnino neceſſum eſt, quin adſtringi jure poſſimus ad reddendam rationem, cur Regeſtrum Papalis Collectionis plurium Epiſcoporum jurisdictionem ſub unius Veſzprimienſis nomine commiſcuerit? Itaque Collectio quidem Pontificia non evincit, ab S. Stephano Sclavoniam jure ſacræ Coronæ Hungariæ non fuiſſe poſſeſſam: ac proinde Adverſarius nimia confidentia ſcripſit: ex illa Collectione *ſponte eorum opinio labaſcit, qui Emericum Ducem Sclavoniæ fuiſſe tuentur.* (a)

Demum ut Criticus noſter Diatribam ſuam vario convitiorum genere refertiſſimam, atque ideo omnibus, quibus honeſtas cordi eſt, prorſum aſpernabilem, qua licet commendabilem efficiat, Critico-Hiſtorico omnino indecoris, & ad anus Scrutarias ſerio relegandis, atque ad ludos triviales retrudendis facetiis, ne dicam levidenſibus nugis indulget; poſtquam enim ex Collectione Decimæ Pontificiæ triumphum ſibi præpoſtere decreviſſet, iſthæc omni virili gravitate deſtituta, quæ vix ſobria anima poſſet, ſubnectit: *niſi forte Necromantes aliquis hos pagos, qui tempore S. Stephani in Sclavonia extitiſſe dicuntur, ſub Carolo Roberto in Hungariam traduxiſſet.* (b) Dignum ſane Tertio hoc Catone argumentum! Cui Satyri lituis conſtrepant. Sed audiamus quid ſui impotens Scriptor, his nec ſale, nec nitro conditis jocis, porro ſubjungat: *Id modi Demonſtrationes*, inquit, *hac ætate ad Antyciras relegari ſolent.* (c) Etſi nullus dubitem Eruditos Viros probe intelligere, quid iſta phraſis indicet: ut tamen vulgus etiam ſciat, qua Hypercriticus noſter polleat humanitate, quamque acri præditus ſit judicio, juvat illam iſthic ſuccinte declarare. Antycira ad ſinus Corinthiaci litus inter Criſſam & Siphas eſt, & Phocica cognominatur. Eſt quoque Anticyra ad Oetam montem, & Sinum Maliacum: utrobique

(a) Diatr. pag. 77. in Not.
(b) Id. ibid.
(c) Id. ibid.

bique naſcitur Helleborus. Unde adagium apud Horatium (a) in amentes ortum: *Navigat Anticyram.* En! huc me cum meis demonſtrationibus relegat, hic me amentem palam pronuntiat. Non ſufficit illi, quod me omnium Mortalium ignorantiſſimum non uno loco declararit, jam etiam delyrum proclamat. (b) His talibus temere impactis, Eruditionis famam, quam forte ſolam ubivis captat, apud doctos, probos, & cordatos homines minime omnium ſibi conciliavit: cui ego vindictæ loco in aurem ſuggero: *Qui dixerit fratri ſuo Raca, reus erit Concilio: Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* Matth. V. 22.

Poſſedit igitur S. Stephanus Sclavoniam, in qua fuit Sirmium: hujus Epiſcopatum, injuria temporum collapſum, primum quidem inter Diæceſis Quinque Eccleſienſis terminos collocavit, poſtea vero e re populi eſſe arbitratus, reſtauravit, Sed Adverſarius noſter contra nititur, & ait, Sclavoniam a S. Ladislao primum adjectam Hungariæ fuiſſe. (c) Vereor, ut conatus hic illi tam parum, quemadmodum ubivis alibi, feliciter cedat. Luſtremus. Profert ille Diploma Andreæ II. quo Privilegia Eccleſiæ Quinque Eccleſienſis confirmat, (d) ubi cætera inter hæc habentur: *S. Ladislaus, primus tranſiverat Dravum fluvium, &*

Sclavoniam enim poſſedit S. Stephan.

(a) Horat. Lib. II. Serm. Sat. III. ver. 165. in ſpecie in ſtoicum quemdam inſanum, & mentis morbo laborantem: in genere autem ſicut ex Eraſm. Chil. I. Cent. VIII. Adag. 52. Pag. 232. Col. a. videre eſt.

(b) Cæterum: Plinius Lib. XXV. Cap. V. pag. 457. & ex eo Gellius Lib. XVII. N. A. Cap. XV. pag. 565. ſequ. ſcribit: Helleborum, candidum præſertim, in tam promiſcuo fuiſſe uſu, ut plerique ſtudiorum gratia ad pervidenda acrius, quæ commentabantur, id ſæpius ſumptitaverint: ut Carneades reſponſurus Zenonis Libris. Sed ſi hoc ſenſu phraſim in me noſter contorſit, minus peccavit quidem, attamen nec illi obeſſet Helleborum taliter ſumptitare, & in clara luce non ita ſæpe cæcutiret. Strabo Lib. IX. Georg. duas commonſtrat Anticyras, & in altera, quæ ſit poſt Criſſam Oppidum, Helleborum naſci, in altera, quæ ſit ad Sinum Maliacum, optime temperari, atque in eam quam plurimis e Regionibus Θεζαπείας, χάριν ſanitatis gratia ad navigari. Pauſanias Lib. ult. ſcripſit, ſupra Antyciram montes eſſe, magnopere petricoſos, in his copioſe provenire Helleborum: nigro purgari alvum, albo vomitum cieri, ac ſuperiora corporis purgari. Cuperem, iſto uratur noſter, ut bilem, qua in me ſine noxa mea plenus eſt, egereret, & ſanus fieret, nec me, atque alios tam illiberaliter laceſſeret. Nam Druſum quoque conſtat hoc medicamento liberatum Comitiali morbo in Anticyra Inſula.

(c) Diatr. pag. 78.

(d) V. Diploma ap. Kerchel pag. 127.

partes ſibi Slavonicas Regno primum occupavit adducto, quis tam excors (a) eſſe poteſt, ut non exiſtimet, Sclavonicas partes, hoc eſt, Sclavoniam a Ladislao Hungariæ Rege primum adjectam fuiſſe, itaque prius non pertinuiſſe ad Reges Hungariæ. Aſt Bonus fallitur, aut fallere vult. Prius, quam hunc ejus Achillem proſternam, ſciendum eſt, Sclavoniam in ſtrictiori ſenſu a Croatia diſtinctam eſſe, & fuiſſe, neque ad Reges Croatiæ circiter ante annum MXXXI. pertinuiſſe; tum quia Reges Croatiæ in Diplomatibus nuspiam ſe Reges, aut Duces Sclavoniæ nominaverunt: tum quia inter monumenta Croatica ne unius quidem Arcis, Urbis, Oppidi, Pagi, qui ad Sclavoniam pertinuiſſent, fit commemoratio, ut locuples teſtis eſt Kerchelichius, cui Tabularia Regionis perſpecta erant. Deinde, Sclavoniam olim extenſam fuiſſe ultra Savum, ad uſque Vinodolium, & Modruſſiam, utique liquido docet Diploma Andreæ II. quo anno MCCIX. Comiti Jerindoni de Veglia elargitam Donationem confirmat: inter alia his utitur verbis: *Attendentes itaque animo benigniori ſinceritatem & devotionem dilecti, & fidelis noſtri Comitis Jerindonis de Veglia, totam terram pertinentem infra Ducatum Sclavoniæ, ſcilicet Vinidol, & Modrus - - jure hæreditario contulimus.* Igitur Ducatus Sclavoniæ limes videtur fuiſſe Vinodolia & Modruſia.

Idcirco falſum eſt, illam ab S. Ladislao primum adjectam Hungariæ fuiſſe.

Jam ad priora. Diploma, ab Adverſario allatum, intellectum omnino non fuit. Attenta ſolum lectione Diplomatum opus eſt, ut ea intelligantur etiam, & non detorqueantur. Scire debebat Hypercriticus noſter, ante Andream II præter S. Ladislaum duos alios homonimos Hungariæ Reges fuiſſe. Ac proinde, ſi recte legere voluit Diploma Andreæ Regis, interpunctiones, ut dicimus, videre, & in recitato textu de induſtria non omittere debuiſſet: atque ideo ſic illi legendum ſcribendumque fuit: *S. Rex Ladislaus Primus, tranſiverat Dravum*; erat etenim Primus inter hujus nominis Reges. (b) Aſt illud: *Partes*

(a) Is ille eſt, quem ad Anticyram cum inſigni contumelia Prayus relegavit ſed cordatum ſe probabit.

(b) Advertit id, ut ſagax eſt, Samuel Timon, ideo Hung. nov. de Illyr. Cap. XVII. pag. 201. maluit vocem *Primus* numero Romano ſcribere: *Cum S. Rex Ladislaus I. tranſiverit Dravæ fluvium.*

tes sibi Sclavonicas Regno primum occupavit adducto, paullum obscurius est, & in re ipsa debito sensu caret; attamen non aliud significare potest, quam quod S. Ladislaus Sclavoniam Regni titulo primus donaverit: aut quod Regnum Croatiæ primus adjecerit Sclavoniæ. Et hæ conjunctiones fecerint, ut Regiones illæ, jam Croatiæ, jam Sclavoniæ nomine promiscue venirent: imo Sclavonia superior etiamnum Croatia vocatur *(a)*

Ne tamen Adversarius sibi persvadeat, a me temere susceptam esse illam explanationem; juvat ea compendio recolere, qnæ hac de re in Dissertatione mea prolixius pertractavi. Ex Diplomatibus S. Stephani anni MIX. & MXIX. Item Belæ IV. anni MCCXXIV. Sclavoniam Saviam S. Stephano paruisse demonstravi. Vetustissima Sæculi XII. Ecclesiæ Zagrabiensis Breviaria & Missalia exserte prodere, S. Emericum, Ducem fuisse Sclavoniæ ostendi: Docui item dilucide ex Testamento Rado Palatini per Andream I. anno MLVII. II. Non. Jun. Albæ in Comitiis confirmato; *(b)* Sclavoniam ad rationes Andreæ Regis a Rado Palatino recuperatam fuisse, seu ut ille loquitur, iterum

(a) Vid. Kercheſ. Du Fresne. cæt.

(b) Ut id palpabile evadat, Rado Palatini Testamentum subjicio: - - *Quomodo ego Rado Palatinus, licentia piissimi Regis Andreæ, ejusque fratris Adalberti invictissimi Ducis, partem Possessionis meæ S. Petro Quinque Ecclesiensi ordinavi, & Maurum ejusdem loci Episcopum Spiritualem in Patrem adoptavi, sperans - - Ecclesiam autem, quam supra Dravum fluvium in honorem S. Michaelis Archangeli ædificavi, & hanc S. Petro, ac præfato Episcopo Mauro commendavi, ut inde semper in promptu Plebanum habuisset. - - Rogavi etiam gratiam Dominorum meorum glorioſissimi Regis Andreæ, & optimi Ducis Adalberti, ego Rado Palatinus, ut Monasterium meum S. Demetrii super Savum fluvium, quod multis bellicosis laboribus cum tota Provincia illa sanctæ Coronæ rectificavi, & iterum aquisivi: quia illud Monasterium est in Parochia S. Petri Quinque Ecclesiensis, sicut in Spiritualibus, ita etiam temporale Dominium, quod ego Rado in illo habeo, quod Prioratum vocant, dedi etiam S. Petro Quinque Ecclesiensi, & Patri Nostro Mauro, ubi etiam sepulturam volo - - curam ipsius Monasterii semper ipse Episcopus, vel post eum qui fuerit, habeat, & curam omnium Possessionum Ecclesiæ seu Monasterii ipsius, - - Episcopus Quinque-Ecclesiensis teneat, &c.* Ecclesiam S. Michaelis supra Dravum etiamnum in monte Legradiensi exstare, Monasterium S. Demetrii, super Savum pone hodiernum Jeszenovicz esse, quod inter Savam, & Unnam jacet: nominantur in Testamento etiam aliquæ Possessiones, ut: Sunna, Rava, quas in moderna superiore Sclavonia sitas esse, testatur Kerchelichius, apud quem plura de his rebus legesis. Habemus præterea ex his Tabulis Sclavoniam rursus ad jurisdictionem Episcopi Quinque Ecclesiensis rediisse, &, quod hinc efficitur, Sirmiensem Episcopatum iterum abolitum fuisse, nec amplius ante Ugrini tempora reparatum.

aquisitam, cui fratrem suum Adalbertum, sive Belam Ducis titulo præfecit. (a) Quia vero hæc talia prius, quam S. Ladislaus ad Regale solium sublimatus fuisset, contigerunt; exploratissimum evadit, tractum trans Dravanum, seu Sclavoniam Savanam ante S. Ladislaum ditioni S. Stephani & Andreæ I. subjectam fuisse. Certe Rado Palatinus illam pro Andrea Rege *iterum aquisivit*, quæ voces utique duo important, alterum, quod Sclavoniam subjugaverit, alterum, quod eadem antea ad Reges Hungariæ pertinuerit. Liceat jam mihi quærere cum Adversario: Quis tam excors esse potest, ut existimet, Sclavonicas partes, hoc est Sclavoniam Savanam a S. Ladislao Hungariæ Regno *primum* adjectam fuisse, itaque antea nunquam Regibus Hungariæ paruisse? Unde recte scripsit Timon: (b) *Circa annum MLXXIII. propter incursionem, quam Rascii & Bulgari transito Sava in agro Sirmiensi fecerunt, Salamon Rex, Geisa, & Ladislaus Duces Albam Græcam obsederunt, cæperuntque, unde amplius patet, ante illum annum Saviensis Pannoniæ partem in ditione Hungarorum fuisse.* Cum autem S. Ladislaus non nisi post mortem Svinimiri Regis Croatiæ, quæ post annum MLXXXV. secuta est, transiverit Dravæ fluvium, & partes Sclavonicas occupaverit; manifestum est, non fuisse Primum inter Hungariæ Reges, qui Sclavoniam Saviam occupaverit & possederit. Quæ omnia Diplomatis Andreæ II. explanationem supra relatam mirifice confirmant.

Cæterum: etsi liberaliter concederem voces illas Diplomatis: *Primus & Primum* in sensu ab Adversario intento accipiendas esse; nihil tamen plus inde efficeretur, quam quod S. Ladislaus Regum Hungariæ primus partem Croatiæ, sacræ Coronæ asseruerit. Scitum enim est, Sclavoniæ totius nomine olim Dalmatiam, Croatiam, & modernam Sclavoniam venire; ut &, quod ante S. Ladislaum Croatia proprios Duces, & Reges per vices habuerit: adeoque quod is fuerit primus, qui Croatiæ partem subjugaverit. Hinc factum esse arbitror, ut Diploma Andreæ II. his uteretur verbis: *partes Sclavonicas occu-*

(a) Joannes Archi-Diaconus de Qverche. ap. Kerchel.
(b) Timon. Imag. Hung. nov. pag. 201.

cupavit, ne ſi dixiſſet: *Sclavoniam*; quis putaret, ibi non de Croatia, ſed Interamnenſi Sclavonia ſermonem fieri. Id quod ipſemet S. Ladislaus ſatis illuſtravit, cum Almum Nepotem ſuum Croatiæ, quam primus occupavit, Regem conſtituit. *(a)* Et de hac Sclavoniæ parte Andream locutum fuiſſe, ſi tamen Adverſarii expoſitioni locus eſt, cenſere debemus; ne ſecus graviſſimi erroris jure convincamur. *(b)* En Lupus! quem noſter auribus ſe tenere exiſtimavit, non modo evaſit; verum etiam egregio ſcilicet Domitori ſuo viam ad cognoſcendam veritatem, declinandaque convitia complanavit. *(c)*

Sed & Sirmium, & Poſſeganam, & Valkoienſem Provincias in Sclavonia fuiſſe, quod Adverſarius de plano negat *(d)* facile apud peritos rerum Patriarum evincam. De Sirmienſi poſtea ſingillatim. Audiamus paullum Critonem noſtrum: *Poſſeganum* inquit, *& Valkoienſem Comitatus non fuiſſe Sclavoniæ* par-

Illius pars fuit Provincia Poſſegana, & Volkoienſ.

(a) Vid. Joan. Lucium, & nota, quod Croatia cis Savum exiſtat, porrigebaturque verſus oras maritimas a Zettinæ fluvio, qui ad Brazzum Inſulam in mare illabitur, uſque ad Iſtriæ montana. Du Fresne Illyr. Veter, & novi pag. 73. Quod ex Conſtan. Porphyr. de Admin. Imp. Orien. Par. II. Cap. XXX. ſumptum videtur. Sic iſte habet: *A Zentina autem fluvio Corobatia incipit, extenditurque verſus, mare ad Iſtriæ uſque confinia, ſive Albunum Urbem; verſus montana aliquatenus etiam ſuper Iſtriæ Thema excurrit, ac verſus Tzentina, & Chlebena Serviæ Regionem attingit.*

(b) Dum Sclavoniam memoro, ſemper Saviam intelligo, hoc eſt, illam, quæ inter Savum, & Dravum porrigitur. De hac Du Fresne ita ſcribit. *Totius Sclavoniæ nomine olim veniebat Dalmatia, Croatia, Sclavonia; modo ſola Pannonia Savia a Copranicza - - inter Savum, & Dravum amnes - 50. mill. in longitudinem, & 12. in latitudinem extenditur.* Neque enim huc pertinet, veteres Sclavoniæ limites, pro ratione temporum ſæpius mutatos, indagare.

(c) Non eſſet inutile fata illius ætatis Sclavoniæ percenſere, hoc eſt: quomodo? quando? per quem Hungariæ Regum amiſſa, aut recuperata fuerit? Sed id partim extra argumenti mei rationes eſt, partim ita intricatum, ut vix certi aliquid ſtatui poſſit, præſertim quantum ad Chronologiam attinet. Id ex Cedreno eruere alii volunt, ſub S. Stephano Sclavoniam inferiorem amiſſam fuiſſe, ſcribit enim Diogenem, Bulgariæ, ac Sirmii Præfectum ab Imperatore Orientis creatum. Sed amiſſæ modus prorſus incertus eſt. Recuperavit illam Andreas I. Sed quo anno, quave occaſione? ignoratur. Recidit iterum Slavoniæ hæc pars in poteſtatem Regum Croatiæ: & alii quidem affinitatis cauſa rediiſſe ad Croatas, alii armis recuperatam exiſtimant. Tandem S. Ladislaus rurſus illam ſubiecit S. Coronæ, nec unquam deinceps ab Hungaria avulſa fuit. Sed hæc aliis penitius examinanda relinquo.

(d) Diatr. pag. 79.

partem ex Literis Andreæ II. paulo ante depromptis, puto cuivis liquere. Ohe! parcius: & quomodo id cuivis liquet? *Nam*, pergit, *ab illo fluento Lyſniche, quod alio nomine dixit Volko vocari, totam circuendo Poſſogam, quod terræ iſthic fuit, fatetur ad Diæceſim Quinque Eccleſienſem, & ejus juſtam Decimam pertinuiſſe.* Quid tum poſtidea? fortaſſe monſtrum naſcetur. Igitur, concludit, ad Hungariam pertinuit. Sed jam, o bonum factum! finis illius argumenti: quid ſuper eſt? aberrationes, quæ non optimam Hiſtoriarum notitiam indicant, detegamus. Omnis ergo vis argumenti in eo eſt: Epiſcopus Quinque Eccleſienſis in Poſſegana & Valkoienſi Provinciis exercuit Jurisdictionem, & Decimos fructus percipiebat: itaque hæ duæ Provinciæ non ad Sclavoniam, ſed ad Hungariam pertinebant. At, at bone Vir! quorſum iſta? Eſt ne iſta legitima conſequutio: Archi-Epiſcopus Strigonienſis longiſſima annorum ſerie in Decanatibus Cibinienſi & Barcſaienſi exercuit jurisdictionem, & Decimas accipiebat rerum, ergo Decanatus iſti ad Hungariam pertinent? cum tamen certiſſimum ſit eos in Tranſilvania, & quidem in collimitio Valachiæ quæri debere. Vel: olim Epiſcopi Pragenſis jurisdictio uſque ad Moravam amnem protendebatur; ergo quidquid terræ iſthic fuit ad Bohemiam pertinebat. Alias jam monui, Regionum, & Diæceſium fines pro temporum fortuna, & vetuſtate mutari. Non itaque erat opus tanto verborum apparatu rem ordiri; quando nec Pyrho dubitat, Diæceſis Quinque Eccleſienſis terminos, verſus Auſtrum, ad Savum uſque, adeoque per Sclavoniam porrectos fuiſſe. Id dilucide evincit Diploma S. Stephani paulo ante relatum, & anno MIX. elargitum; Teſtamentum item Rado Palatini, quo, ut vidimus, Abbatiam S. Demetrii Martyris juxta Savum poſitam, Diæceſis Quinque Eccleſienſis fuiſſe, luculente probatur: Non abſimiliter Abbatia Petrovaradinenſis longo poſt tempore, an. inquam MCCIII. fundata, finibus Provinciæ Valkoienſis continebatur, & ad jurisdictionem Quinque Eccleſienſem ſine dubio pertinebat. Non tamen iſthinc conſequitur: ergo Provinciæ Valkoienſis & Poſſegana non erant portio Sclavoniæ Savanæ. Imo tota Regio Cis-Savana, ut explanat Andreas Rex, attributa fuit Epiſcopo Quinque Eccleſienſi: atque ideo ſi Adverſarii argumentum quidpiam probaret, non ſolum duos illos Comitatus, ſed & reliquos inter

ter Savum & Dravum, imo & ultra Savum extenſos, non fuiſſe Comitatus Sclavoniæ, ſed Hungariæ, ſtatuendum foret: quod tamen abſurdum eſſet. In quem Pyrrhonismum prolabimur. Magis fertilem criſim commendat Franciſci Foris Otrokoczy animadverſio, qui ex allato Andreæ Diplomate conjecturam capit, Sirmienſem Epiſcopatum a S. Stephano ante annum MIX. non fuiſſe conditum; quia videlicet, ut, Noſter (a) vult, ante hunc annum Sirmienſem Provinciam ſuis Principibus, nullius Dominio, aut Clientelæ obnoxiis, paruiſſe, veritati conſentaneum eſt. De hoc poſtea.

Quod Scriptorum authoritate probatur.

Exploremus jam, quid de his Viri Docti. Hübnerus (b) ait: *Valko, Poſſega, & Sirmium ſunt in Sclavonia.* Rurſum: *Valkovár Urbs ad Valponem in Sclavonia:* (c) idem habet de Poſſega. Inchofferus (d) *Poſſeganus Comitatus eſt inter Savum & Dravum*, & multum quidem a Danubio verſus Croatiam remotus. Martinus Stella (e) *Valpo arx in confinibus Bosniæ, Croatiæ, & Hungariæ ſita:* igitur ſicut non eſt in Boſnia, aut Croatia, ita neque in Hungaria, quamvis prope ad Dravum, adeoque ad Hungariam ſit. Du Fresne (f) affirmat, Sclavoniam inter Savum & Dravum protractam iſtis Comitatibus abſolvi: Sirmienſi, Verőcenſi, Poſſegienſi, Valkovienſi, ſeu Valponenſi. Lucius (g) ait, Croatas eam partem occupaſſe, quæ olim Savia, ſive Interamnia dicebatur, inter flumina ſcilicet Sava, & Drava, nomenque Regioni a generali nomine Sclavorum, particulare *Sclavoniæ* indidiſſe. Pfiaczevich (h) *Sclavonia dicitur ea Regio, quæ inter Dravum, & Savum jacet, ab occaſu Styria, ab ortu Danubio clauſa - - In inferiori Sclavonia eſt Poſſega, olim Reccatina dicta, Valpo Civitas olim culta, Sirmium a Sirmio Rege Tri-*

(a) Pray in Supplem. ad Annal. Hunn. pag. 84.
(b) Hübner in Nov. & Antiq. Geograph.
(c) Idem in Lexico.
(d) Inchoff. Epit. rer. Hung. pag. 330.
(e) Joan. Mart. Stella de Turcarum ſucceſſibus Epiſt. I. pag. 604. ap. Schvand.
(f) Du Fresne Illyr. nov. Div. Cap. I. pag. 143.
(g) Luc. de Regn. Dalm. Croat. Sclav. Lib. I. Cap. XII.
(h) Pfiaczev. in Illyrico.

Triballorum sic dictum. (*a*) Denique ne nimium longus sim, omnes fere quotquot habere potui, Scriptores Geographi, chartæque, quemadmodum Sclavoniam inter Savum, & Dravum collocant, ita Comitatus Valkoiensem, & Posseganum, Sirmium item Sclavoniæ adnumerant. (*b*) Unde non sine Sclavoniæ injuria ex ejus gremio noster has Provincias eripere contendit; sed irritus sane illius conatus est. Interim, quia tamen non desunt Scriptores, quos Adversarius suapte infirmæ sententiæ suæ Patronos accersit, videndum quid isthic lateat.

Brodericus scribit, Valkoiensem, Posseganum, & Sirmiensem Comitatus Hungariam a Sclavonia divellere; igitur *manifestum est illos in Sclavonia non fuisse.* Listhius dicit: *In Sclavonia tres sunt Comitatus, Zagrabiensis, Crisiensis, & Varasdinensis*: igitur Valkoiensis, Posseganus, & Sirmiensis non sunt in Sclavonia. Verbőczius inter Hungariæ Comitatus numerat Posegam & Valko. (*c*) Hæc sunt, quæ manifestam certitudinem Critoni Nostro, velut quadam oneraria navi advexerunt. At, si Sclavoniam inferiorem a superiori rite discrevisset, poterat operosam Declamationem in melius tempus reservare. Superioris Sclavoniæ nomine, & partem Sclavoniæ, Saviæ, & Croatiæ venisse, nemini Historiarum perito est incognitum. Hinc de utraque Slavonia loquens Pfiaczevichius (*d*) in hæc verba scribit: *Caput Regni est Zagrabia*; ac proinde, sicut certum est, Crisiensem & Zagrabiensem Comitatus, qui modo in Croatia sunt, in Sclavonia superiore fuisse, ita pariter certum est, Valkoiensem, Posseganum, & Sirmiensem Sclavoniæ inferiori adnumerari debere. Isthinc conficitur relatos Scriptores, dum me-

(*a*) Idem habet Mart. Szentiványi in Miscell. Dec. II. Par. I. pag. 14. Sclavonia ptoprie dicitur ea Regio, quæ inter Dravum & Savum amnes jacet, ab occasu Styria, ab ortu Danubio clausa.

(*b*) Miratur Noster in Suppl. ad Annal. Vet. Cl. Kaprinaium, Virum doctum, & in detegendis Historicis nævis valde industrium, quod plerisque Eruditis accedat, & Valkoiensem, ac Sirmiensem Comitatus in Sclavonia collocet. Nos autem cum plerisque Eruditis Scriptoribus miramur Cl. Authorem Nostrum, quod illos Comitatus, sua Authoritate a Sclavonia avellere audeat.

(*c*) Diatr. pag. 30.

(*d*) Pfiaczev. in illyr.

[library stamp]

memoratos Comitatus e Sclavonia excludunt, ſuperiorem intelligere, in qua Zagrabienſem, Criſienſem, cæteros collocant: alias Diviſionem Sclavoniæ in ſuperiorem, & inferiorem negare oporteret: quod nullus, ut arbitror, Geographus, nullus Hiſtoricus facit.

Broderici quidem ſententia magis obſcura eſt, quam ut ex illa *manifeſtum* evadat, illos Comitatus in Sclavonia non fuiſſe. Verba enim ejus ſunt: *Hungaria Valkonem, Poſſegam, Sirmium a Sclavonia divellit.* Si ille indicare voluiſſet, hos Comitatus Savam verſus limitem Hungariæ eſſe; utique dicendum erat: *Valko, Poſſega, Sirmium Hungariam a Sclavonia divellunt.* Igitur, ut mihi videtur, id ſolum innuit, quod illos Comitatus Hungaria certis de cauſis avulſerit a Sclavonia: unde tamen neutiquam efficitur, illos fuiſſe Hungariæ, non vero Sclavoniæ partem. Id, quod ex ipſiusmet Broderici teſtimonio exploratum fit; nam (a) de ſeipſo ſic ſcribit: *Cancellarii munere fungebatur Stephanus Brodericus, in ea parte Pannoniæ ſuperioris natus, quæ nunc peculiariter Sclavonia nominatur.* En! in Pannonia *ſuperiori*, quæ *peculiariter* Sclavonia nuncupatur, natum ſe affirmat; hoc eſt, non in inferiori, quæ tres illos Comitatus complectitur. Rurſus, (b) poſtquam de occupata per Solimannum Turcarum Imperatorem parte Sirmii loquutus fuiſſet, confeſtim iſta ſubjungit: *quæ res talem Hoſti aditum in Hungariam patefecerat, ut quoties - - in Hungariam irrumpere vellet, ægre poſſit ab eo prohiberi.* Si itaque ex occupato Sirmio quoties vellet, in Hungariam irrumpere poterat, certe Sirmium non fuerat in Hungaria, uti neque Valko illi conterminus Comitatus. Iterum (c) *Hungaria*, inquit, *citerior eſt ea, ubi olim Pannoniæ fuerant: hæc - - a Sclavonia Dravo terminatur.* Conſtat autem Dravum inter Comitatus Poſſeganum, & Valkonenſem decurrere. ergo illos non eſſe in Hungaria, quæ hac parte Dravo terminatur, pariter conſtat. Tandem (d) *Huic* ait,

(a) Broderic. in Deſcrip. recog. a Sambuco edit Hanov. MDCVI.
(b) Idem. ibid.
(c) Idem ibid.
(d) Idem ibid.

eiteriori Hungariæ, ubi Dravum transieris, adnexa Sclavonia est, pars olim Pannoniæ superioris inter Savum & Dravum posita: sed Savum etiam longe transgressa, & usque ad flumen Hunnam -- protensa, ubi Croatia incipit. Sclavoniæ Caput Zagrabia est. Non obscure hic Sclavoniam, in superiorem, & inferiorem dividit, & clarissime verbis istis: *ubi Dravum transieris, Sclavonia est*, innuit, id, quod ultra Dravum porrigitur, ad Sclavoniam pertinere; atqui Dravus inter Hungariam, & dictos Comitatus fluit, ut idem Brodericus testis est, inquiens: *Ultra Dravum Valpo Arces nobiles habentem*: (a) igitur Comitatus Valkoiensis, & Posseganus citra dubium in Sclavonia sunt. Denique (b) sic habet: *Præerat tunc ei Pannoniæ inferioris parti* (scilicet ut ante dixit, *Sirmio, & ei Regni*, Sclavoniæ, *parti, quæ inter Savum & Dravum per ripam Danubii jacet*) *quod superius dictum, Paulus Thomori.* Rursum Sclavoniam inferiorem a superiore secernit, cum ait: *Pannoniæ, seu Sclavoniæ inferioris*; nam quando de Hungaria loquitur, nuspiam utitur voce: *Pannonia*, sed: *Hungaria.* Ex his liquet, a Broderici sententia non satis feliciter ab nostro argumentum mutuatum fuisse, cujus mens longissime diversa est. Listhius etiam seipsum satis manifestat, dum Comitatus Zagrabiensem, Crisiensem, & Varasdinensem in Sclavonia collocat, nemo enim inficias iverit, illos in Sclavonia superiore esse; ast nobis de Inferiori est sermo.

Verbőczius, Ulpianus ille Hungariæ, Possegam & Valko inter Hungariæ Comitatus numerat. Quid tum? ergo Possega, & Valko nequaquam in Sclavonia, sed in Hungaria, & pars Hungariæ sunt: Teneo hic hominem, nec ni Protheus, ut fere solet, fiat, elabi illum mihi sinam. Ejus argumentum in eo est; Posseganum & Valkovienſem inter Hungariæ Comitatus numerat Verbőczius, ideo illi pars Hungariæ sunt. Atqui Noster iste Ulpianus ad calcem juris Patrii Codicis inter Hungariæ Comitatus refert etiam sequentes: Verőcensem, Borovienſem, Kis-Hevesienſem, Horonensem, Maczoensem, Orbacensem, Zebernekken-

(a) Broderic. ad calcem Bonfinii edit. Hannov. pag. 161.
(b) Ibid. pag. 157.

nekenſem; ergo ſi quid Critonis noſtri ad Verbőczium perfugium valet, ſeptem iſti Comitatus ad Hungariam pertinent, ſuntque pars Hungariæ Regni. Hoc autem ut ridiculum, ita aperte falſum eſt. Nam Verőcenſis eſt in Sclavonia: Kis-Heveſienſis nuſpiam & nunquam legitime extitit: Borovienſis Eruditis incognitus eſt, niſi quis dicere velit iſto Baranyenſem indicari, quod tamen eſſe nequit, quia Verbőczius ibidem nominat etiam Berenienſem, quem Baranyenſem eſſe arbitramur. Horonenſem pariter ignorant Scriptores, nam ſine fundamento adſtruitur, illum hanc nomenclaturam ſortitum fuiſſe ab Harano, loco inter Pancſovam & Orſovam a Geographis notato, fuiſſeque partem Kraſſovienſis; ſi enim eſt ſolum pars Kraſſovienſis, nec Comitatus eſt, nec inter Comitatus ſeparatim a Kraſſovienſi ponendus erat. (a) Kővienſis eſt tractus adjacens Danubio inter Savum & Moravam amnes, continetque complexu ſuo Belgradum, ut perhibet Iſtvánfius (b) Maczovienſis, ſeu Matshovienſis eſt Kővienſi finitimus, procurrens a Savo Moravam verſus. (c) Huic jungitur Orbaczenſis circa amnes Savum & Drinum: iſti conterminus eſt Zebernikienſis, ſeu Strebernikienſis pertinens ad Boſniam. Zerenienſem quoque nominat Verbőczius, qui forte eſt Severinenſis: at Banatus Severinenſis non Hungariæ, ſed Valachiæ pars fuit: vel ſi ab hac illum diſtinguas, certum eſt, nomen illum habere ab Arce olim celebri infra vicum S. Severini, pontemque Trajani prope cataractas, apud quas Danubius, ut Straboni placet, aſſumit nomen Iſtri, quod tamen in Hungaria fruſtra quæſiveris. Audin' cum igitur Noſter

(a) Hinc diſplicet mihi Scholion imæ marginis in Corpore Juris Patrii ad Mathiæ Corvini Decreti IV. Art. VI. per quemcunque adpoſitum, ubi aperte ſtatuitur, Horonenſem, ſeu Haramenſem Comitatum Hungariæ fuiſſe, cum tamen ipſa Lex, Poſazim & Haram ſolum Caſtra fuiſſe memoret, nec Joan. de Thurocz in Chron. Hung. Cap. LXIII. Haram nominat Comitatum.

(b) Iſtvanf. Hiſt. Lib. VI.

(c) Amnis Morava Serviam a Bulgaria diſterminavit, etenim Guil. Tyrius Expeditionem ſacram anni MCXVI. deſcribens mentionem facit Maroes fluvii, vel Maroæ in finibus Hungariæ, hoc eſt, in finibus Serviæ, in quam ditio Hungarica extenſa fuit. Arnoldus vero Abbas Lubecenſis in Chron. Sclav. Cap. XXIX. Lib. III. refert copias Friderici Salankeminum delatas, Savum trajeciſſe, inde in terminos Hungariæ, ſeu Serviæ, in quam Hungariæ Dominium extenſum erat, ad Moravam conſtitiſſe.

tueatur Comitatus Valkoenſem, Sirmienſem & Poſſeganum, ideo non ad Sclavoniam, ſed Hungariam pertinere, quia illos Verbőczius inter Hungariæ Comitatus enumerat: ex eadem cauſa concedere illum oportebit etiam reliquos ad Hungariam ſpectare, partemque Hungariæ eſſe, ac quod abhinc conſequitur, Boſniam quoque, Valachiam, Serviam, hoc eſt Comitatus, quos hæ Provinciæ complectuntur, imo, etiam incognitas terras partem eſſe Hungariæ. Hem! quæ monſtra. Poſſegam itaque, Valkonem, & Sirmium ad Sclavoniam Saviam referre, omnino neceſſe eſt. *(a)* Ad hæc, dicendum eſt, ab Adverſario Verbőczium non fuiſſe recte intellectum; is enim ſub nomine *Comitatuum Hungariæ.* Illos omnes, nulla habita Provinciarum ratione, neque enim Geographum agere propoſuit, enumerandos ſibi ſumſit, qui circa id tempus Regum Noſtrorum poteſtati ſubjecti fuerunt, ſolosque Sclavoniæ ſuperioris Comitatus ex cauſis, quas ignoramus, ſeparatim adnotavit.

Adverſus quos momentaAdverſarii nihil evincunt.

Minoris momenti ſunt, quæ Noſter pro ſtabilienda ſua opinatione porro adducit. Ea ſunt: *Jovius, tametſi externus - - eſt Mons, ſcribit; qui Sclavoniam, atque Poſſegam dividit. Itaque Poſſega nequaquam in Sclavonia.* Ut videtur non omni cum diligentia legit Adverſarius Jovium; alias profecto ad Scriptorem, ſibi e diametro oppoſita ſentientem, tanta confidentia, effugii cauſa, non provocaſſet. Illius narratio *(b)* hujusmodi eſt: *Eſt Mons qui*

(a) Pulchre in hanc rem ſcribit Du Fresne Cap. I. pag. 3. *propter gentium Sclavicarum*, inquit, *conjurationem, ſola Pannonia Savia, Savo & Dravo amnibus terminata, Illyrico Magno adnumerata fuerit.* Poſtea enumerat loca, quæ in hac Sclavonia florebant: inter quæ etiam Sirmium collocat: item Acimincum, ſeu Petri Varadinum, Cornacum ſeu Bucovarum, Rittium ſeu Salankemenum, Baſſianam ſeu Mitrovicium, Murſam ſeu Eſſekinum, Bononiam ſeu Vicum non procul Eſſekino, qui Gratiano Imperatori in deliciis erat. Hæc vero loca partim in Sirmienſi, partim in Valkoienſi, & Poſſegano Comitatibus ſunt.

(b) Jov. Hiſt. ſui temp. Par. II. pag. 352. edit. Francford. MDLXX. Non mihi ſuccenſebit Lector, ſi forte Authoris verba examuſſim non recito; utor enim germanica verſione Matth. Geor. Forberger, & Hier. Halverii, ſenſum certe integre referre conor, verſio ſic habet: Es iſt ein Berg, welcher Sclavonien, und Poſſegam unterſcheidet und ſich in die Länge ausſtreckt: unten am ſelben Berg auf den rechten gehet ein Weeg durch Poſſegam, auf der linken aber iſt eine Straße durch Sclavonien gen Exechien; die Trab fleuſt an Sclavonien, die Sauw aber ſamt den andern kleinen Wäſſern an die Landſchaft Poſſegam.

qui Sclavoniam, atque Posſegam dividit, & in longum protenditur: infra montem ad dextram ducit via per Posſegam, ad ſiniſtram vero eſt via per Sclavoniam verſus Eſſekinum. Dravus fluit pone Sclavoniam, Savus autem cum reliquis minoribus fluviis ad Provinciam Posſeganam. Notum vero eſt. Poſſegam verſus Savum, ſeu nclavoniam ſuperiorem extendi, Eſſekinum vero eſſe ferme ad Oſtia Dravi, ubi Danubio illabitur, poſitum, & utrumque inter Savum & Dravum. Itaque, ſi ad ſiniſtram montis, qui Sclavoniam atque Poſſegam dividit, eſt via ducens per *Sclavoniam* Eſſekinum, manifeſtum eſt, tractum inter Eſſekinum & Poſſegam eſſe in Sclavonia: atqui hic ipſe eſt Comitatus Poſſeganus, igitur iſte in Sclavonia eſt. Quia nihilominus *eſt mons, qui Sclavoniam & Poſſegam dividit;* rurſum manifeſtum eſt, Jovium duplicem Sclavoniam deſcripſiſſe, Cis-Savanam, & Trans-Savanam. Ab iſta ſeparat Poſſegam Mons, dubio procul ad Savum exſtans. In illa vero ſita eſt Provincia Poſſegana. Nam & alibi (a) ſcripſit Jovius. *Terram Poſſeganam circumdant, & circumfluunt Danubius & Savus. - - Hæc Provincia, quæ a fronte & lateribus magnis amnibus cingitur; a Sclavonia per Savam dividitur, & Dravus decurrit in extrema ora Hungariæ ſecundum Poſſegam.* Ex hac Jovii deſcriptione clariſſimum evadit, Tractus Poſſegani, a parte Sclavoniæ, Savum eſſe limitem: Dravus autem eſt terminus Hungariæ. Quomodo ergo nominabimus plagam, quæ inter Savum, & Dravum porrigitur? Non partem Hungariæ, quia hæc ad Dravum deſinit, illa vero plaga ultra Dravum eſt: neque partem Sclavoniæ, quia Jovio teſte, hujus limes, Savus eſt, & intermedia illa terra Cis-Savum jacet. Ecce! in quas pedicas ſe Noſter induit, dum exaggerata opera, cum alius injuria terrarum dimenſionem ſuſcipit. Proinde ex deſcriptione Jovii dicendum omnino eſt. Tractus Poſſegani, &, quod hinc ſequitur, Valkoienſis, atque Sirmienſis ex una parte ſuperioris Sclavoniæ limitem eſſe Savum,

(a) Idem ibidem. pag. 348. Das Land Poſſegam umgeben und umflieſſen die Donauw, und die Sauw. - - Dieſe Landſchaft, ſo da fornen und zu beyden Seiten mit groſſen Wäßern umringet, wird von Sclavonien mit der Sauw geſchieden, und läufft die Trab an den Geſtad des Ungerlands Poſſegen hinab.

ex parte vero Hungariæ Dravum: illud vero, quod inter hos duos amnes medium eſt, Sclavoniam inferiorem, ſeu Cis-Savanam, aut Saviam eſſe.

Idem Jovius (a) porro ſic ſcribit: *omnium locorum in Provincia Poſſegana commodiſſimus eſt, Eſſekinum - - nam ex hoc per Dravum in Hungariam navigare poſſumus.* Eſſekinum eſt in ripa Dravi, & in ipſo Comitatu Poſſegano, (b) ſi igitur Eſſekino, tranſito Dravo, in Hungariam devenimus, quis tam cæcus eſt, ut non videat, Eſſekinum, adeoque tractum Poſſeganum extra Hungariam eſſe? & ubi alibi, quam in Sclavonia Savia? Jam vero, hæc utique perſpicue demonſtrant, Critonem noſtrum ad Jovium perperam confugiſſe, quem aut non legit, quod adverſus Critices regulas grave peccatum eſt, aut ſi legit, diſſimulavit, nosque poſt Cortinam ducere voluit, quod ingenuo Scriptore indignum eſt. Non ſum inter περιαυτολόγους (c) ſed audacter hoc dicam, ad detegendas Adverſarii molitiones nunquam, aut oppido raro, mihi Aedipo opus eſt, aut Theſeo.

Sed ſequamur porro errantem. *Liber* inquit, *Regius Proventuum, ei Expenſarum - - Poſſeganum Comitatum in Hungaria locat, quod is tributum unius Floreni, ut cæteri Hungariæ Comitatus, perſolverit, Sclavoniæ: autem Comitatus medium duntaxat, ut Matthiæ Corvini, & Uladislai II. Regum Decreta aperte docent.* (d) Siccine? aperte docent? imo ne obſcure quidem. Id certe Cl. Author aut non vigilans ſcripſit, aut disjecta mentis acie in chartas imprudens conjecit, aut denique Codicis Juris Patrii copiam, uſumve non habet. Ego arbitror, artem Critices imprimis poſcere, ut dum Scriptor ex fide ſanctiorum id modi Codicum quiddam adducit, id prorſus integerrime, atque

(a) Jov. loc. cit. Einer unter denſelbigen allen in Poſſega, der anlegründt mit Namen Eyechien. - - Dieweil man von denſelben über die Trab in Ungern kommt ſchiffen.

(b) Rectius in Comitatu Valkoienſi, ſed Jovii ſententia retinenda erat.

(c) Sui jactatores.

(d) Citat in Margine Matthiæ Decr. IV. Artic. VII. Uladislai II. Decr. III. Artic. XVI.

atque ſumma cum adcuratione intemerate præſtet, ut ne latum quidem unquem aberret. Hoc Noſter, Archi-Critici licet partes ſibi ſumat, hoc loco facere, omnino neglexit. Nulla ſane in Decretis ſeu Matthiæ Corvini, ſive Uladislai II. quamvis ille ſex, iſte ſeptem Decretis Legis Articulos complectantur, mentio occurrit tributi unius floreni, item medii floreni perſolvendi. Hinc liquet Adverſarii illam temere prolatam ſententiam omnino exterendam, & ne quis eam deinceps videat, legatque, prorſus occulendam eſſe: quod ſi noſter pluſculum in jure Patrio verſatus eſſet, non dubito, quin facturus fuerit.

Interim: quantumvis Liber Regius Proventuum id habeat, non rite tamen abinde conſequetur, Poſſeganum Comitatum partem Hungariæ eſſe. Næ! non recte concludunt iſti Syllogismi: Comitatibus Hungariæ in Libro Regio Dica unius floreni imponitur, ſed Comitatui Poſſegano pariter unius floreni Dica imponitur, ergo Comitatus Poſſeganus eſt Comitatus Hungariæ. Rurſum: Comitatibus Sclavoniæ medii floreni Dica imponitur, ſed Comitatui Poſſegano unius floreni Dica imponitur, ergo ille non eſt Comitatus Sclavoniæ. Hæc argumentandi ratio, niſi me omnia fallunt, in Lycæo Stagyritæ ſtomachum moveret. Liquido demonſtrandum fuiſſet prius, ſolutionem unius floreni, item & floreni medii inter Comitatus Hungariæ, & Sclavoniæ veluti quoddam diſcernens ſignum conſtitutum eſſe, hoc eſt: generaliter omnes illos Comitatus ad Hungariam pertinere, qui florenum unum ſolvendum habent: contra vero illos, qui dimidium florenum, non ad Hungariam, verum ad Sclavoniam pertinere: & tum aliquid valuiſſet argumentum: Modo vero *poſitivum*, non *excluſivum* ſenſum efficit, atque ideo nihil probat. Poterat Poſſeganus Comitatus pluribus ex cauſis ad plus ſolvendum, quam cæteri ejusdem Regionis, id eſt, Sclavoniæ Comitatus adigi: vel ideo, quia pluribus amplior eſt, & pluribus portis conſtans; vel quia pluribus beneficiis gaudet, vel quia paucioribus maleficiis oneratur, vel denique quia reliquis minora onera fert. Id quod illis, qui manipulationem, ut dicimus, Comitatuum exploratam habent, nec mirum, nec rarum videtur: proinde major, aut minor ſolutio, Regnis limites non ſtatuit.

tuit. Sed alioquin infirmius eſt illud argumentandi genus, quam ut in illo confutando plura verba perdere neceſſe ſit.

Pari modo claudicant cætera in rem præſentem argumenta, qnæ lubens præterirem, niſi viderem, Adverſarium iis plus nimio confidere. (a) Refert ab Hatvanienſi Conventu Poſſeganum, Sirmienſem, ac Valkonenſem Comitatus Hungariæ aperte attribui. Acta iſtius Conventus non vidi, idcirco arduum mihi reſpondere. Si illa inſpicere liceret, ſicut in aliis multis, fortaſſe hic quoque talia detegerem, quæ Lectorem aut delectarent, aut in admirationem raperent, neque enim omnis noſtri fulgor, auri eſt. Interim ex ipſiuſmet verbis ſcrutemur rationum vim, quæ id *aperte* docet. *Ita enim Articulus XXXIV. habet*: Sic ille ait, *Item Comitatus partium inferiorum videlicet. Temes, Thorontal, Báts, Valko, Zerem, Poſſega pro cuſtodia.*-- Ex his id modi conſequutionem effingit: ut igitur ex partibus ſuperioribus, ſic ex inferioribus quoque ſpeciatim Hungariæ Regnum conſtari, nullum dubium eſſe poteſt: proinde Sirmienſem, Poſſeganum, & Valkoenſem Provincias, internam Hungariæ portionem eo modo fuiſſe; quo Temeſienſis, Torontalenſis, & Bátſienſis Comitatus etiam hodie ſolent eſſe. Papæ! quid faciam jam bono Viro? Conſecutio verbis turgida, re vacua, toto, quod ajunt, cœlo a ſenſu memorati Articuli aberrat. Poſſegam, Valponem, Sirmium, ſeu dicamus eſſe partem Hungariæ, ſeu Sclavoniæ, ſemper inter partes inferiores referre oportet. Non me quidem latet, Comitatus partium inferiorum Hungariæ, eſſe veras partes, internamque portionem Hungariæ: aſt Articulus XXXIV. poſt verba *Comitatus partium inferiorum*, additne: *Hungariæ*? minime gentium. Unde oppoſitum conjicias velim, hoc eſt: omnes illos ſex Comitatus eſſe quidem partium inferiorum, ſed non omnes partium inferiorum Hungariæ; ſcitum enim eſt, pervetuſtum morem obtinere, qui tam in Diplomatibus, quam Codice Juris Patrii crebro occurrit, ut nomine partium iuferiorum etiam eæ Regiones, ad S. Coronam per-

(a) Diatr, pag. 81.

pertinentes, quæ interna Hungariæ portio haud sunt, venire soleant. Id manifestum evadit ex Ludovici II. Regis Decreti VI. Articulo XXX. cujus tenor hic est: *Nobiles partium inferiorum, & signanter XII. Comitatus a Zewrino usque Possegam in eorum libertatibus, juxta contenta Decreti, conserventur.* Constat autem Severinensi Comitatui limitaneos esse, Mattsovienſem, Belgradenſem, seu, si malis, Kövienſem, qua Possegam versus tenditur. Si igitur nomine partium inferiorum, quod noster vult, Hungariæ Comitatus, atque interna Hungariæ portio significetur, consectaneum est, Comitatus Severinenſem, Mattsovienſem, & Belgradenſem, internam Hungariæ portionem esse: quod si quis tueri velit, ne ille oleum, & operam, & cum his etiam rationem perdiderit; palam siquidem est, Mattsovienſem, & Belgradenſem Serviæ, Severinenſem vero Valachiæ internam portionem esse (a) Jam vero si hoc est *aperte* docere, Posseganum, Valkoienſem, & Sirmienſem Comitatus per Conventum Hatvanienſem Hungariæ, non item Sclavoniæ *aperte* attribui; sane, nemo unquam aliquid magis exorbitans docuerit.

Nihilo validius est, quod Noster denique oggerit his verbis: *Ejusdem Conventus numero XXXVIII. Articulus, qui Sclavoniam a dictis Comitatibus secernit, in hæc verba exhibet: De Sclavonia & Transylvania hoc idem est intelligendum, quod scilicet Oratores duntaxat ipsorum mittant.* Non video, quomodo isthinc extundi possit, Comitatus Valkonenſem, Sirmienſem, & Posseganum partem Hungariæ, non item Sclavoniæ esse. Ast Articulus ille Sclavoniam a dictis Comitatibus secernit; imo vero conjungere censendus est; nam Articulus XXXIV. ait: Valko, Zerem, Possega nuntios de sui medio destinent: & XXXVIII. dicit: Sclavonia Oratores duntaxat suos mittat. Quod quemadmodum in idem recidit: ita Comitatus hos Sclavoniæ accenseri satis clarum est. Vel certe Articulus XXXVIII. de Sclavonia superiori intelligendus est, quod ex hactenus dictis perspicuum, ut arbitror, evadit.

(a) Vid. Tim. Imag. Hung. Par. II. pag. 38.

Hæc, quæ hucuſque retuli, egregie illuſtrat Beatus Rhenanus (a) de Pannonia ſecunda, ac Savia in hæc verba ſcribens: *Ultima Provinciarum, quæ e regione veterem Germaniam ſpectant, in Danubii ripa, eſt Pannonia ſecunda, cujus pars Savo flumini imminens, Savia dicta eſt Romanis, & Savienſis Regio.* Viden' uſque ad Danubii ripam protenditur Pannonia ſecunda, & quia Savo flumini imminet, Savia cognominatur: quod ſicut Poſſegano & Valkoienſi Comitatibus, ita præprimis Sirmienſi apprime convenit. *Sextus Ruffus*, ſic ſuam narrationem proſequitur Rhenanus, *Vir Conſularis ad Valentinum Auguſtum: Amantinis inquit, inter Savum, & Dravum proſtratis, regio Savienſis, ac ſecundorum loca Pannoniorum (b) obtenta ſunt. Pannonia ſecunda Præſidem ſuum habuit, Savia Correctorem, qui unicus per Pannoniam erat. Nec Italia plures Correctores habuit, quam duos. Porro Dux Pannoniæ ſecundæ Riparienſis, ſive Saviæ Præfectos Militares Oppidis diverſis collocatos habebant.* Deinde recenſet loca Præfecturarum, inter quæ ponit: Acimircum, Rictos, Taurunum, Sirmium, & Murſam. Hæc vero loca reſpondent (c) hodiernis: Petrovaradino, Salankemeno, Zemlino (d) Sirmio & Eſſekino: quorum quatuor priora in Comitatu, ſeu Regione Sirmienſi, quintum vero in Valkonenſi eſſe, etiam Doctores de trivio non ignorant. (e) Bilibaldus Pirkheimerus quoque Milatem, ſive Ujlakum, aut Illokum in hanc Pannoniæ partem refert. (f) E quibus, niſi me nimium amem, liquet, ſicut Poſſega-

(a) Beat. Rhen. rer. Germ. Lib. I. pag. 25. & 26.

(b) Conſtat Pannoniam ſecundam, ſeu inferiorem etiam Cis-Dravum, hoc eſt, inter hunc amnem, & Danubium extenſam fuiſſe: quæ ſola portio apud Scriptores interdum Pannoniæ ſecundæ nomine venit, etſi communiter ſub eo nomine etiam Pannonia Savia intelligatur.

(c) Vid. de his Topogr. M. Hung. Regni.

(d) Taurunum magis congruere videtur Zemlino, quam Belgrado, quod verius Singidunum fuit: quantumvis Pirkheimerus Tauruno Belgradum veluti rem exploratam indicari exiſtimet propter confluentiam Danubii & Savi: at id quidem nihil certi probat, nam Semlinum quoque ad illam confluentiam eſt. Vid. Topogr. Hung.

(e) De horum locorum nominibus nullum eſſe poteſt dubium, nam ut idem Rhenanus affirmat, ſumpta ſunt ex volumine de Præfecturis Romanis, elegantiſſimo antiquitatis monumento.

(f) Pirckheim. Germ. Deſcrip. pag. 667.

ſeganam, & Valkonenſem Provincias, ita & Sirmienſem, internam Sclavoniæ Saviæ portionem eſſe.

Habemus igitur Poſſeganam, Sirmienſem & Valkonenſem Provincias ad Sclavoniam, ſeu Pannoniam, nam Sclavoniæ nomen id temporis minime cognitum erat, inferiorem, ſive Saviam, non vero ad Hungariam pertinuiſſe. Hinc actum agit Adverſarius, eluceſcit enim cum ex aliis, tum præprimis ex limitibus Quinque Eccleſienſis Epiſcopatus ad Savum uſque ab S. Stephano extenſis, Sanctum Regem ſtatim a principio initi regiminis univerſam jure ſacræ Coronæ Hungariæ Sclavoniam Saviam poſſediſſe, quamvis enim Epiſcopatus iſte in ipſa Hungaria erectus ſit, limites attamen ejus etiam per Sclavoniam ſuperiorem porrigebantur: quod quemadmodum in aliis quoque Regnis factitatum ſcimus, ita nec rarum, nec mirum videri poteſt iis, qui præjudiciis neutiquam occupati ſunt. Hanc Sclavoniam ſubinde amiſſam, Rado vero Palatini virtute recuperatam, reparatamque, atque Epiſcopatui Quinque Eccleſienſi jurisdictionis terminos reſtitutos fuiſſe, pariter in liquido eſt. Id Critonem Noſtrum ignorare, profecto non oportebat.

Sirmium quoque S. Stephano R. paruit.

Supereſt, ſcribit porro Noſter, *ut Sirmium - - S. Stephano nunquam paruiſſe oſtendam*, & mox generoſe ſe jactans, ſubdit: *quod apud eos, qui in Græcanicis Scriptoribus hoſpites non ſunt, nullo pene negotio ſtatuminaverim.* Aſſurgo tam egregio gloriæ Tubicini, ſed herbam porrigere nequeo. Statuminat ille, ſolius Cedreni teſtimonio, immodice præfidens, cogitationes ſuas. Cedrenus (a) narrat: *ante ſubactam (b) a Baſilio Imperatore Bulgariam, quod anno MXIX. contigit, Sermonem Chrobatum Sirmii*

 fuiſſe

(c) Tutius uti potuiſſet Adverſarius Græcanicis Scriptoribus, ſi illos in ſuis operibus paſſim ſuſque deque non habuiſſet, & tantum non mendaces plane illiberaliter non proclamaſſet. Sed nempe ubi illius opinationi favere videntur, pro eorum fide, velut pro aris, & focis, decertat, cum vero illius placitis non ſuffragantur, omni eos fide & integritate deſpoliat.

(d) Hoc omnino falſum eſt, nam Cedrenus non ſcripſit ante ſubactam Bulgariam, Sermonem Sirmii Dominum fuiſſe; ſed ſolum: poſt ſubactam, Sermonem dolo Diogenis cæſum fuiſſe.

fuisse Dominum (a) quo per dolum cæso Constantinus Diogenes Sirmio præfectus erat, & mansit in hac præfectura, post mortem etiam Basilii, proinde post annum MXXV. *(b)* quem Constantinus Imperator, Basilii Successor, Ducem Bulgariæ creavit. Idem Diogenes sub Romano Argyro Imperatore Sirmiensem Provinciam anno MXXX. curabat, & inde translatus, Thessalonicæ Dux constituitur. *(c)* Ex his arguit Adversarius Sirmiensem Provinciam S. Stephano nunquam paruisse. Magna fateor hoc loco est apud illum Cedreni authoritas, quæ, subjiciente sperati triumphi cupidine stimulos, adeo excrevit, ut omnia reliqua Historiarum adminicula aspernetur, vilipendat, atque repudiet.

Docui jam, &, ut arbitror, non obscure, partim in Dissertatioue mea, de S. Ladislao Rege, partim iis, quæ hactenus retuli; & quidém scriptis, & chartis probatorum Geographorum,

---

(a) Notat hoc loco Cl. Pray id æræ Constantinopolitanæ 6527. qui annus, anno Christi 1019. respondet. Falsum autem est, quod Cedrenus id ad annum Mundi 6527. affigat. Hoc quidem anno victoriam de Bulgaris reportatam, & triumphantem Basilium describit: sed dum Sermonis exitum narrat, nuspiam ad dictum annum provocat, sed solum scribit: *Subacta Bulgaria - . Jolus adhuc Imperium detrectabat Sermo*: imo si Cedreni narrationem recte expendamus, si verum est, quod Basilius Bulgaros Anno Mundi 6527. devicerit, Sermonem consequente, aut altero post anno occisum fuisse comperiemus. Cæterum Kerius in Orientis Imperatoribus, etiam in consignatione subactæ Bulgariæ anni Cedrenum erasse putat. Nam in Præfatione scribit, ex Græcis Scriptoribus, qui rebus gestis coævi fuerunt, sua se sumsisse, & nihilominus pag. 321. affirmat Bulgariam a Basilio Imp. an. MXVII. subactam fuisse. Qui præterea exerte ait, Græcorum Scriptorum in annis adnotandis summam fuisse indiligentiam, ut adeo necessum fuerit, illum annorum seriem sæpe ex aliis conquirere. Commendari nihilominus hic rursum Cl. Pray diligentia meretur, quod rursum ex Viennensium Rumusculorum Germanico Scriptore, ea, quæ refert, fere ad verbum impigre exscripserit. V. Anzeigen, VI. Jahrgang. XIV. Stück. S. 108.

(b) Hic quoque error in Anno cubat. Narrat enim Cedrenus Paczinacitas in Bulgariam irrupisse, & a Sirmii Præfecto Diogene fusos fuisse: quod non Anno MXXV. verum biennio post contigisse ex Scriptoribus itidem Græcanicis Kerius erudite refert.

(c) Hic rursus corrigendus Annus est: Nam Cedrenus scribit, Constantinum Imp. Anno 6537. seu Christi 1029. die nona Novembris e vita migrasse. Successit illi Romanus Argyrus, & ut idem Cedrenus narrat, post tumultum Cleri in die Pentecostes coortum, Romanus Diogenem Thessalonicæ Ducem constituit, quod sine dubio ante annum MXXX. fieri non potuit.

rum, antiquorum monumentorum item, atque Diplomatum authoritate, quæ omnium Scriptorum narratione potior esse debet, Sclavoniam Saviam complexu suo etiam Comitatus Possegranum, Valkonensem & Sirmiensem continuisse: docui S. Stephanum hujus Sclavoniæ, ac quod inde consequitur, Sirmiensis Provinciæ Dominum fuisse. Nunc Adversarii basis, hoc est solius Cedreni sententia in examen revocanda supereſt. Non mihi quidem constitutum, fidem Scriptoris vellicare, fecerunt alii, sed solum quidnam ex ejus testimonio extundi possit inquiro, In confesso est, S. Stephanum Hungarici Regni habenas Anno CMXCVII. capessiviſſe: atqui Cedrenus scribit, Sermoni (a) Sirmii Domino per fraudem occiso, Diogenem Sirmio Præfectum datum esse, ergo, hæc est nostri Logica, S. Stephanus non erat id temporis Sirmii Dominus, Egregie! quid porro? ergo nunquam fuit Dominus Sirmii. Pulchre me hercle! quasi diceret: Anno 1780. Bosniæ Dominus est Turcarum Imperator, ergo

(a) Salagius mirum in modum isthic hallucinatur. Nam Lib. III. pag. 108. scribit Scylicem, Cedrenum, & Zonaram uno ore testari, sub exitum Sæculi X. & principium XI. Sirmio proprium Principem fuisse, nomine Sermonem. Hæc utique nec peritissime, nec optima fide dicuntur, & manifesto nobis indicio sunt, quod etsi in Ecclesiæ Quinque-Ecclesiensis Bibliotheca amplissima versari possit, Græcorum tamen Scriptorum aut modicam notitiam habeat, aut vasta eorum volumina inspicere illum piguerit. Tam falsum enim, quam quod falsissimum est, Salagii dicterium. Nam solus, & unicus Cedrenus memorat, Sermonem Sirmii Dominum fuisse. Continuator autem Cedreni Joannes Scyliczes Curopalata suam Historiam inchoat a regimine Isaacii Comneni, hoc est ab anno MLVII. adeoque nec poterat *Sermonem* nominare, utpote, qui sub Basilio Constantino vixit, & XXXVIII. annis ante, quam Isaacius Comnenus thronum conscendisset, occisus fuit. Zonaras pariter nuspiam, & nunquam *Sermonis* nomen commemorat. Adeat illos, sed noverit, se in quærendo oleum, & operam perditurum. Et nihilominus tanta licentia audet palpum legentibus obtrudere, quando plane dictatorie audet scribere: *Scyliczes, Cedrenus, Zonaras uno ore fatentur Sirmio proprium Principem fuisse nomine Sermonem.* Hui! quam insignis hæc Oscitantia est: & tamen non raro præsumit Viros Eruditos non sat humane lacessere. Ad hæc falsum est, quod Cedrenus, nam Scyliczes, & Zonaras omnino tacent, Sermonem *Principem* nominet; *Dominum* ille dicit Sirmii fuisse. Falsum itidem est, quod sub exitum Sæculi X. aliquis Græcorum Scriptorum Sermonis *meminerit.* Cedrenus illum primum ad annum Mundi æræ Constantinopolitanæ 6527. qui æræ Christianæ Anno 1019. respondet, adeoque ad initium Sæculi XI. memorat. Unde duo discat Salagius, alterum, ut sincere magis, & diligentius ad Scriptores provocet, & eorum Volumina prius excutiat, ne videlicet aliis imponere voluisse existimari possit, proinde nomen suum in discrimen jure meritoque adducat: alterum, quod periculi plenum sit, *Cicadam ala eo ripere.*

Reges Hungariæ nunquam erant Domini Bosniæ. Ab Anno CMXCVII. quo S. Stephanus regnare cæpit, uſque ad Annum MXIX. quo Sermo Sirmio præerat, fluxerunt anni XXIII. Non poteratne aliquibus horum annorum S. Stephanus Dominus Sirmii fuiſſe? Nonne XXIII. annorum intercapedine poteſt aliqua Provincia poſſideri, amitti, & recuperari? Et numquid oſtendi alias, S. Emericum Ducem fuiſſe Sclavoniæ? imo ſumpta ex Diplomate Belæ Regis IV. veriſſimillima conjectura, etiam S. Stephanum Geyſa Patre illius, adhuc in vivis agente. Igitur ſi quid Hipercriticus noſter ſuam conſequutionem valere voluit, debebat minimum ab initio regiminis ad obitum S. Stephani ſeriem Sirmii Dominorum texere, & non unum Sermonem obtrudere; ac tum primum elevata Diplomatum fide, ex Cedreno concludere: ergo S. Stephanus nunquam erat Sirmii Dominus. Hoc non præſtitit, igitur titulo authoritatis Græcanici illius Scriptoris prorſus nihil evincit. Simillimum, id eſt, nullum noſtro præbent aſylum, etiam alia duo Cedreni teſtimonia, videlicet quod idem Conſtantinus Diogenes Sirmienſem Provinciam curaverit etiam Annis MXXV. & MXXIX. nam ab iſto ad obitum S. Regis ſuperſunt adhuc Anni IX. ut ibi Anni XXIII.

De hinc ex Nicephoro Bryennio probare nititur, Sirmium ſub Michaële Duca, itaque poſt Annum MLXXI. Græcis paruiſſe. (a) At, quid tum? Nos de S. Stephano loquimur, ille de Michaele Duca, qui XXXIII. Annis ab obitu Divi Regis Orientale ſolium conſcendit. Illud denique veriſſime ex Cinnamo refert, Sirmium ſub annum MLXXXI. Hungaris ceſſiſſe. Certe enim & in trivio notiſſimum eſt, atque dubio caret, Sclavoniam, cujus pars Sirmium, ab S. Ladislao ſacræ Coronæ rurſus aſſertam fuiſſe. Amiſſa illa erat denuo poſt Adreæ I. ætatem, & a juribus Regum Hungariæ avulſa, itaque recuperari debuit. Attamen, quod Noſter vult, Sirmium cum Sclavonia non

(a) Adverſarius hæc Bryennii verba refert: *Scupi quoque, & Naiſſus vaſtabantur, quin ipſum etiam Sirmium & quæ circa Sagiam (Savum) amnem ſita ſunt oppida.* Quomodo ex hac ſententia effici poſſit, Sirmium Græcis iſto anno paruiſſe, profecto non pervideo. Poterat enim Sirmium vaſtari, quin ad Græcos pertinuerit.

non prius, quam ſub Annum MLXXXI. in poteſtate Hungarorum fuiſſe, falſum eſſe demonſtrant relata Diplomata: ſignanter Rado Palatini Teſtamentum, per Andream I. & Belam Ducem Sclavoniæ, publicæ fidei Tabulis confirmatum. Tres ergo Scriptores Græcanicos in medium Crito Noſter protulit. Bryennius, & Cinnamus ſcribunt de rebus, quæ ab argumento noſtro longiſſime abſunt. Cedrenus vero prorſus nihil mercium illi advexit. Unde clariſſime conſit, Adverſarium Noſtrum ante victoriam triumphum egiſſe, cum præmatura confidentia ſcripſit: *Sirmium S. Stephano nunquam paruiſſe oſtendam, quod apud eos, qui in Græcanis Scriptoribus hoſpites non ſunt, nullo pene negotio ſtatuminaverim.* Ita ſane, ſed admodum debili pedamento, quod vel leni tactu proſtratum eſt.

Ex quibus, niſi in meridiana luce non videam, liquet, Sclavoniam Saviam S. Stephano Regi paruiſſe: ab ejus obitu vero Andreæ I. cujus frater Bela, Dux Sclavoniæ fuit, itidem obnoxiam fuiſſe: amiſſa dein ab Hungaris, ſub S. Ladislao Rege rurſum recuperata, magnaque portio Sclavoniæ ſuperioris, ſeu trans Savanæ, quæ etiam Croatia nuncupatur, Sclavoniæ Interamnenſi adjecta fuit, nec amplius a Regno Hungariæ avulſa. (a) Hinc porro liquet, I. S. Stephanum verum Dominum Provinciæ Sirmienſis fuiſſe, utpote quæ interna Sclavoniæ inferioris portio eſt. II. Fuiſſe iſthic conditam, aut inſtauratam a Divo Rege Epiſcopen; incredibile enim Apoſtolici Regis in promovenda Religione Chriſtiana ſtudium nunquam admiſſurum erat, ut in tam late patente Regione ſua populum ſine Paſtore relinqueret, eo magis, quod non potuerit pientiſſimum Regem latere, olim in ea regione celeberrimum Epiſcopatum, imo & Archi-

(a) Quo tempore, quave occaſione Sclavoniam inferiorem Hungari amiſerint? non eſt expeditum. Niſi forte illam S. Stephanus Croatiæ Regi amicitiæ cauſa ceſſerit, quod clare affirmat Archi-Diaconus de Gvercſe apud Kerchel, pag. 101. ego in medio relinquo. Id certum eſt ſub Croatiæ Regum poteſtatem rediiſſe. Nam Andreas I. Bela Duce Sclavoniæ declarato, hujus, & Rado Palatini virtute illam recuperavit, ut docui. Rurſum amiſſam S. Ladislaus juribus Hungariæ, cum parte ſuperioris Sclavoniæ aſſeruit.

Archi-Episcopatum extitisse, (a) injuria temporum subinde collapsum. Certe cum nemini ignotum sit, Divum Regem magno studio, & sollicitudine, in terris illis etiam, quæ antea nunquam suos habuere Antistites, novos condidisse Episcopatus, quis sanus credet, in sua Sclavonia, cui filium Emericum Ducis titulo præfecit, eversum Episcopatum Sirmiensem ab illo restitutum, & verius conditum, quam reductum non fuisse? III. Non esse mera inanimenta, ut Noster conviciatur, verum plusquam simplicem conjecturam dicere: Episcopatum Sirmiensem a S. Rege erectum, partim per Manichæos, partim per Græcos destructum fuisse, ut rursum reparatione indigeret. (b) IV. Liquet, Adversarium e Græcis Scriptoribus, quod inter æacidinas minas polticitus erat, non modo perspicue non declarasse, sed nec tenui probacilitate statuminasse, Sirmiensem Provinciam non fuisse in potestate Hungarorum tempore *S.* Stephani. V. Omnino falsum esse, quod Sclavoniam inferiorem, seu Saviam primus omnium S. Ladislaus Hungariæ adjecerit, hoc est, quod illam antea nullus Hungariæ Regum possederit. VI. Illud nostrum epiphonema: *Sclavoniam igitur, cujus Hungariæ proxima pars est Sirmium, sub regia potestate S. Stephani fuisse, adeo manifestum est, ut eum, qui huic veritati contradicere præsumit, obstinatissimum esse pronuntiare audeam*, hoc inquam, nostrum in Dissertatione de S. Ladislao Rege epiphonema veritati omnino consentaneum esse. VII. Sententiam nostram Diplomatum aliorumque veterum monumentorum, Scriptorum item non obscuris testimoniis fultam, Pyrhonismi insimulari, quod Crito noster te-

(a) Adversarius hic pag. 86. cum insigni S. Stephani, totiusque Hungariæ contumelia in nota imæ marginis isthæc scribere non exhorrescit: *Si quid tamen Stephano, & Hungaris tum de Sirmiensi Episcopatu constabat.* Ergone existimat S. Stephanum, & universim Hungaros, adeo ignorantes fuisse, ut neque sciverint Sirmii aliquando Episcopatum extitisse? Sirmii, quod ad ipsos Hungariæ limites est: Sirmii, quod florentissimum Episcopatum habuit? Adeone obtusæ mentis fuerunt, S. Stephanus, & tota Hungarica natio, ut nesciverint, aliquando Sirmii Concilia celebrata fuisse, quibus Episcopi Sirmienses subscripserunt. Quid dicent ad ista exteri? egregia hæc, si superis placet, S. Stephani & gentis Hungaræ laus. Quis id a Viro docto, ab Scriptore Hungaro exspectare ausus fuisset? An id non est exterendum, & occulendum, imo & publico scripto retractandum est.

(b) Vid. Diss. meam de S. Ladisl. pag. 101.

temere facit, neutiquam posse, nisi quadrata rotundis miscere velimus.

Audiendæ jam sunt insignes Hypercritici nostri antilogiæ, in quas miserande impingit. Has illiusmet sententia, etsi idem olus toties recoctum lectori fortasse tædio sit futurum, palam facere juvat. Scribit (a) ille, *nec Sirmium, nec Posseganam, nec Valkoiensem Provincias unquam in Sclavonia fuisse -- facile -- evincam.* In qua ergo regione erant? de primis duobus exerte affirmat, illos internam Hungariæ (b) portionem fuisse. Sed Sirmiensis Provincia, cujus Regni pars fuit? non Sclavoniæ, ut illemet contendit: nec Hungariæ portio esse poterat, alias dicere oportebit, S. Stephanum universam Hungariam non possedisse, Sirmium enim, illo Judice, non possedit: quod tamen sicut aperte falsum est, ita Noster quoque dubio procul inficiabitur. Quid igitur? Ducatum, cuipiam privato Duci parentem, pronuntiabit? at non est illi liberum sua Authoritate Ducatus constituere, & ad hæc, nos testes poscimus; Cedrenus enim *Sermonem* non *Ducem*, non *Principem*, sed *Dominum* duntaxat Sirmii fuisse perhibet: ac Timon, Oraculum illud (c) nostri, cui non consentire horrendum flagitium est, disertis verbis hæc nobis in-

Objectiones Adversarii dissipantur.

(a) Diatr. pag. 79.

(b) Ridiculum est, quod hoc loco Noster scribit, videlicet, arrepta occasione ex literis Andreæ II. toties memoratis, confidenter subinfert, eosdem prorsus Regni Hungariæ limites ex parte Sclavoniæ, qui Episcopatus Quinque Ecclesiensis, fuisse. Quam præclarus hic Noster Regnorum Mensor est. Et unde illud? *Liquet id etiam* inquit in notis, *ex literis Matthiæ Corvini de Anno MCCCCLXXVII. quibus mandat, ut Comitatus Posseganus Decimas Episcopo Quinque Ecclesiensi persolvat.* Ast hinc id solum liquet, quod Comitatus Posseganus pertinuerit ad jurisdictionem Episcopi Quinque Ecclesiensis, de quo nec Bagas dubitat. Non liquet autem hujus Episcopatus & Hungariæ eosdem prorsus limites fuisse. Si hoc est rem in liquido ponere. -- Sed sileo. Ignoravit Vir bonus, quod dum Sclavonia Savana a S. Corona avulsa erat, ante ætatem S. Ladislai, attunc jurisdictio Episcopi Croatensis usque ad Dravum porrecta fuerit, adeoque etiam ad Comitatum Posseganum: & tamen ex Hungariæ finibus nihil amissum erat. Id Nostro non deberet esse ignoratum.

(c) Hæc fortasse acerbius dicta videbuntur, absit tamen, ut in Samuelem Timon, qui, si quis alius, ex egregia adcuratione editis operibus spectatæ eruditionis famam post se reliquit, injurius esse velim. At quia Noster illi, ut polypus saxo, adhæret, nec fert, si quis ab ejus sententia recedit, arbitrabar, illum Adversarii *Oraculum* merito nominari posse, quo illi effugium uno velut ictu resecarem.

dicat (a) *nullo autem ſuperiore tempore Sirmienſis tractus in Ducatus honore eminuit, ut nonnulli opinati ſunt.* (b) Igitur Sirmium nec Ducatus fuit, nec Hungariæ, aut Sclavoniæ pars; quorſum ergo illud collocabimus? niſi forte Utopiæ portionem internam fuiſſe, adſtruere velit Adverſarius. (c) Sinamus hæc.

Modo vocemus in benignum examen rationum momenta, quibus Noſter ait, nec Sirmium, nec Poſſegam, nec Valkonem unquam in Sclavonia fuiſſe. Ideo, inquit, quia Brodericus Epiſcopus Sirmienſis, itaque partium illarum gnariſſimus, ſcribit: Hungaria *Valko, Poſſegam, Sirmium tres inſignes Provincias, quos nos Comitatus vocamus, a Sclavonia divellens.* En! jam Necromantes quispiam, verbis Noſtri utor, Sirmium in Hungariam traduxit. Nam Noſter ex Broderici iſthoc teſtimonio concludit: *Si autem Valkoienſis, Poſſeganus, & Sirmienſis Comitatus Hungariam a Sclavonia divellit, manifeſtum eſt, illos in Sclavonia non fuiſſe.* (d) Infert porro ex iſtis, Valkonem, & Poſſegam internam portionem Hungariæ eſſe: & quia Brodericus, ac ex illo Noſter de tribus his Comitatibus æquali prorſus ratione loquuntur, neceſſe eſt conſequi, quod ſicut Poſſega, & Valko, ita Sirmium quoque Hungariam a Sclavonia divellunt, adeoque ſicut Poſſega, & Valko non in Sclavonia, ſed Hungaria ſunt, ita Sirmium quoque: ac proinde rurſus neceſſario conficitur, aut Sirmium a S. Stephano poſſeſſum fuiſſe, aut certo univerſam Hungariam Divo Regi haud paruiſſe. Utrum libet, eligat Adverſarius: ſemper tamen ſuis antilogiis circumſeptus eſt. Tale eſt & illud: Liſtius ait: *In Sclavonia tres*

(a) Timon Hung. nov. Cap. VIII. pag. 75.

(b) Iſta Timon ex occaſione Laurentii Ducis ſcripſit, addens: *Laurentius enim Nicolai illius Vajvodæ, poſtea Regis Boſniæ filius, fuit Dux ſolius Uſlaki, teſtificante idipſum ejus epitaphio, & approbatione, ſive clauſula Decretorum Anni MCCCCXCII. ubi cæteris Provinciarum Rectoribus interſeritur, Laurentius Dux de Uſlak, ut Banus Matſchovienſis. Sirmienſis enim ager ſemper erat iuris Regii, Laurentius autem privatus poſſidebat Uſlakum. Accipiebat ſibi nomen Ducis, qui filius Regis fuit*, unde vide ſis, quo ſint referenda illa, *ut nonnulli opinati ſunt.*

(c) Agnoſco hanc brevem ſententiam nugatoriam eſſe, ſed quia Noſter ſæpius id modi nugis indulget; rebar, neque mihi vitio dandum eſſe, ſi talibus interdum utor.

(d) Diatr. pag. 79.

tres ſunt Comitatus: Zagrabienſis, Criſienſis, & Varasdinenſis. E quibus arguit Noſter: *igitur Valkoienſis, Poſſeganus, & Sirmienſis Comitatus non ſunt in Sclavonia.* Ego vero ex utriusque verbis, & noſtri ſuppoſitione infero: ergo ſicut Poſſega, & Valko, ita & Sirmium in Hungaria ſunt, & S. Stephano paruerunt; nam Sirmium perinde ac Valko, & Poſſega Comitatus ſunt, & aliquo pertinere debent. Rurſum: Conventus Hatvanienſis Anni MDXXV. Articulus XXXIV. ſic habet: *Comitatus partium inferiorum, videlicet: Themes, Thorontal, Bats, Valko, Zerem, Poſſega* - Noſter hinc concludit: *Sirmienſem, Poſſeganam, Valkoenſem Provincias internam Hungariæ portionem eo modo fuiſſe, quo Temeſienſis, Thorontalienſis, & Batſienſis Comitatus etiam hodie ſolent eſſe. (a)* Ego arguo: ergo Sirmium pars Hungariæ eo modo eſt, quo reliqui quinque Comitatus: ergo S. Stephanus aut Dominus Sirmii fuit, quod Noſter de plano negat, aut non totam Hungariam poſſedit. *(b)* Piget cætera referre, quæ in idem recidunt. Habemus itaque, ſi Critonem noſtrum audimus, quod tamen æquo animo facere non poſſumus, Poſſeganum, Sirmienſem, & Valkoenſem Comitatus ad Hungariam pertinuiſſe, & S. Stephano paruiſſe, quia portio interna Hungariæ ſunt: & una non paruiſſe, quia Noſter contendit, S. Stephanum, nunquam Sirmii Dominum fuiſſe. Ita ejus argumenta irrefragabilia ſunt. *(c)*

(*a*) Diatr. pag. 81.

(*b*) Juvat iſthic Deſcriptionem Hungariæ a Critone noſtro in ſua Diſſer. de S. Ladislao pag. 54. exhibitam recitare. Sic vero habet: *Fuit Hungaria per id tempus ab Oriente Dacia - - tum Savi parte a finitimis populis diſcreta, a Meridie Sclavonia, & Croatia: ab Occaſu Auſtria, Moravia, & Styriæ parte concluſa; in Septentrionem vero Carpaticis montibus a Sarmatia gentibus divulſa.* Ubi jam quæramus tractum Sirmienſem? lubens permitto eruditum Lectorem iſthanc Hungariæ deſcriptionem in examen revocare, & ut mihi perſvadeo, nuſpiam iane locum inveniet, ubi Sirmium ponat. Non in Hungaria, quia hanc S. Stephanus totam poſſedit, & tamen Sirmium non poſſedit. Non in Sclavonia, quia hæc ætate S. Stephani, ad quam deſcriptionem ſuam refert, limes erat Hungariæ, & inter hanc, atque illam Sirmium eſt. Hoc præterea ſeparatus Ducatus non fuit.

(*c*) Cl. Pray in Supplem. Diſſ. V. pag. 83. agnoſcit Sirmienſem agrum paulo ante tempora S. Stephani Hungaris paruiſſe; adducto enim Conſtantini Porphyrogeniti Scriptoris Sæculi X. quo S. Rex Regnum capiſſivit, iſthoc de Hungaris teſtimonio: *Et habitant quidem trans Danubii flumen in terra Moraviæ, atque etiam ulterius*

§. IX.

Vaciensē Episcopatum Geysa erexit.

Vaciensis Episcopatus origines in prima parte Hierarchiæ Hungaricæ (a) se se diligenter exploraviſſe gloriatur Adversarius. Tanta scilicet diligentia, quanta & Sirmiensis; hoc est: cui nihil prorsus deesse videtur, quam, quod rectum, certum, exploratumque sit. Occupat se rursum minutulis, & prolixo sermone id unum denique quærit: Quomodo Geysa validissimæ famis tempore, quæ principio Anni MLXXV. toto Regno grassabatur: quomodo item infensissimo Hoste Henrico Imperatore Anno MLXXIV. præsente, id est intra unius Anni cursum Vaciam Urbem, & Episcopatum condere potuerit? Res mira! Romam Anno Mundi MMMCCVII. a Romulo & Remo conditam esse, etiam imberbes Doctores noverunt, muris quoque circumdatam non nesciunt. Num propterea confestim intra unius anni spatium exsurrexit Roma? num illico perfecta fuit? minime: nunquidne ignoramus ludibrio Fratris Romuli Remum novos Romæ transiluisse muros? inde ab irato Romulo interfectum. (b) Num idcirco inficiabimur Romulum, Conditorem esse Urbis Romanæ? num muri tenues, & humiles quidquam illius Romuli gloriæ decerpunt? Urbium Conditores nominantur, non qui augent, firmant, ornant, extendunt; sed qui initia, fundamenta Urbibus ponunt, locum deligunt, incolas convocant. Id autem profecto diuturnitatem temporis non exigit? intra unius anni curriculum nullo negotio effici potest. Ac proinde etsi Adversario concederem, Geysæ non nisi unius anni intervallum pro condenda Vacia Urbe superfuisse; intra hujus fluxum poterat sane illam condere, hoc est: locum designare,

---

terius inter Danubium & Sabam fluvios, isthoc Corollarium deducit: *Itaque videtur jam hoc tempore pars ea, quæ inter Savum & Danubium porrigitur in Hungarorum potestate fuisse. Nec enim a quoquam deinceps Regum hanc portionem juri Hungarico assertam esse, comperi.* Quid autem magis est inter Savum & Danubium, quam Comitatus Posseganus, Valkoiensis, & Sirmiensis? & quia hæc portio a nullo deinceps Regum, Hungariæ asserta est, manifestum evadit a S. Stephano totum hunc tractum possessum fuisse.

(a) Diatr. pag. 87.

(b) Vid. Livii Histor. Dec. I. Cap. IV.

re, incolas convocare, fabros conquirere, fundamenta deponere: cætera vero Urbis ornamenta, decora, robora, & his similia aliis exequenda relinquere: & nihilominus sibi glorioſi Urbis Conditoris nomen comparare. Minus vero temporis requirit Epiſcopatuum erectio, quæ ut plurimum a benefici Fundatoris, quantum ad deſignationem, voluntate pendet. Unde perſpicue apparet, quam inficetum ſit Adverſarii argumentum, a mora temporis ſumptum.

Nihilo melius illud quoque, quod (a) queritur hiſce verbis: *id mihi prorſus lepidum videri, S. Stephanum non potuiſſe Epiſcopatum Vacienſem ſylvas inter & inhoſpita ſaxa condere: potuiſſe id contra Geyſam efficere.* Mihi vero præpoſtera hæc Criſis, non tam lepida, quam plane iniqua videtur. Statui ego eo in loco, ubi antea vaſtæ fuerant Sylvæ, Vaciam Urbem ab Geyſa conditam fuiſſe, & deinde Epiſcopatum: tum ſubdidi: *Si ne tenue Civitatis illius id temporis exſtitit veſtigium, qui ſylvas inter, & inhoſpita ſaxa collocari potuit per S. Stephanum ſedes Epiſcopalis?* (b) Id igitur non ita a me ſcriptum fuit, ut ille dedita opera denormat: certe illa mea, diverſa ſunt ab ejus narratione: & quantumvis ultro fatear veriſſimum eſſe, qnod ſi Geyſa inter horridas ſylvas, & inhoſpita ſaxa poterat Urbem Vaciam, & Epiſcopatum condere: poterat etiam S. Stephanus: ſed a potentia ad actum non valere argumentum, Philoſophi definiverunt. At vero nullus antiquorum Scriptorum ſomniavit unquam ab S. Stephano Urbem Vaciam conditam fuiſſe; unde quis erit tam veſanus, ut ſibi perſvadeat ab Divo Rege Epiſcopatum erectum eſſe in loco, ubi ne veſtigium quidem Urbis, imo ne vici quidem eſt. Epiſcopi ab Anachoretis diſcernendi ſunt. Contra vero ex concordi ſenſu Scriptorum, & auſim affirmare, veruſtiorum omnium, exploratum habemus, ab Geyſa I. Urbis Vaciæ fundamenta eſſe poſita: & vel hinc manifeſtum evadit, Geyſam facilius potuiſſe Epiſcopatum Vacienſem erigere condita Urbe, quam S. Stephanum; ille enim jam non inter ſylvas & inhoſpi-

(a) Diatr. pag. 87.
(b) Diſſer. meæ Pag. 8.

ta saxa erexit; S. Stephanus vero in plaga Sylvis, montibus, & saxis horrida, & nondum culta erexisset; adeoque feris, non hominibus Episcopum præfeciſſet. Hæc Noſter, si modo Scriptorum ſententias detruncare non asveviſſet, & nullo negotio cognoscere poterat, & narrationem meam non depravare, nec quærere debebat ædipum admodum catum; nam si mea liquida mente legit, omnia plana esse non difficulter videre potuit. (a)

Alterum, quod me Hypercriticus noſter humaniſſime monitum voluit, est: quod illiberaliter Viros, externorum quoque ſententia non male de literis meritos, utpote, Timonem, & Schmittium deſpicatui habeam. Sed fruſtra ſub protectione horum Eruditorum deſperatam cauſam ſuam latere cupit. Hos ego inſigni doctrina & eruditione conſpicuos fuiſſe, multa item mihi cum in Diſſertatione mea, tum in Epiſcopis Varadinenſibus

ſup-

(a) Adverſarius hoc loco in Nota de me ſcribit, quod illa Thuroczii: *Fundavit Eccleſiam Vacienſem, & dotavit prædiis multis*, ita diſtinguam, ut Erectio Epiſcopatus videatur alia a Dotatione Epiſcopatus. vah! quæ iſta fides? De his ego cum Vacienſis Epiſcopatus originem explorabam, ne verbulum: & nihil penſi ducit ſcribere, mihi de plano videri, erectionem Epiſcopatus diſtinctam esse a Dotatione Epiſcopatus? Etſi vero iſtnd haud memoraverim, certum habent tamen Juriſconſulti, *Fundationem*, & *Dotationem* duas res esse diverſiſſimas: verum quia de hoc ſuperius in Epiſcopatu Veſzprimienſi prolixius egi, illuc Lectorem remitto: hic illud ſolum moneo, ut Adverſarius in mentem revocet ea, quæ in diſſertatione ſua de S. Ladislao retulit, ne illum rurſus Orbilium nominare cogar. Scribit autem pag. 67. iſta: *Gregorius IX. Pontifex Anno MCCXXIX. ampliſſimam erigendi Epiſcopatus Sirmienſis veniam eidem* (Ugrino Colocenſi Archi-Epiſcopo) *impertiit.* Pag. vero 68. ſic habet: *Abhinc igitur Epiſcopatus Sirmienſis cæpit.* Rurſus pag. 69. *Antiſtites Sirmienſes in principio Penſionarios Colocenſium Archi-Epiſcoporum fuiſſe - - conſtat, quod ego uſque ad Annum fere MCCL. obtinuiſſe reor.* Hæc ille. Itaque Epiſcopatus Sirmienſis illo Authore, Anno MCCXXIX. erectus est, & ab hoc Anno uſque ad MCCL. hoc est, uno & viginti annis Epiſcopi Sirmienſes *penſione* ab Archi-Epiſcopis Colocenſibus præbita contenti esse debebant. Erectus igitur erat Epiſcopatus Sirmienſis, & nihilominus viginti & uno annis caruit *Dote*, id est, latifundiis, & aliis redditibus ad ſuſtentandam cum honore vitam requiſitis. Nonne igitur *Erectio Epiſcopatus alia, diſtinctaque eſt a Dotatione Epiſcopatus? locupletatio* vero longe est diverſiſſima. Erectio proinde rite ſecernitur a Dotatione. Noſter itaque non ſatis critice arguit: *Si Epiſcopatus ſponſa eſt, quis Sponſam ſine dote dabit, aut accipiet?* Annuente Bela IV. Gregorius IX. PP. dedit, & Epiſcopatus Sirmienſis accepit: atque adeo omnia hic male cedunt Noſtro, & ſuis se armis jugulat.

ſuppeditaſſe, propalam & lubens, & gratus profiteor. Neminem tamen inter Hiſtoriarum Scriptores hactenus legere mihi obtigit, qui ſibi *infallibilitatem* arrogare auſus fuiſſet: proinde uti alii omnes, ita & illi falli poterant, & interdum errore lapſi ſunt, quin propterea bonæ famæ detrimentum ſubiviſſent. Itaque cum mihi errare viſi ſunt; recedendum erat utique ab illorum errante opinione: neutrius tamen famam læſi, certe conatus non ſum. At enim Timonem, id enim Noſter mihi objicit, de Epiſcopatu Varadinenſi *ridicula* quædam ſcripſiſſe affirmavi. Hoc ita habet, & neque retracto: ſed, ſi id eſt Viros Eruditos deſpicatui habere, quid fiet illis, qui doctiſſimos Scriptores, Timoni, & Schmittio non impares, fortaſſe iſtis etiam præcellentiores, non modo *ridicula* ſcripſiſſe vociferantur, verum præterea maledictis, contumeliis, convitiis, & cavillis ſumma inclementia laceſſunt? Inter Mendaces, ineptos, delyros referunt. Talis certo eſt Crito noſter, ut videre licet ex iis, quæ ſupra §. I. recenſui: & cum ipſe ſine diſcrimine in univerſos graſſatur, alteri nec modice dura vocula ſenſa ſua pandere permittit.

Inſpiciamus paullum, cur id ego, & an recte de Timone ſcribere auſus eram. Tria ille momenta pro abjudicanda S. Ladislao Epiſcopatus Varadinenſis erectione adduxit. Primum his verbis: *Varadinenſis Epiſcopatus videtur eſſe parens D. Stephanus; nam Varadinenſis jurisdictionis termini, & ampli & rite diſpoſiti ſunt.* Alterum: *Exſtat in vico Hárskutienſi, Provinciæ Gömörienſis, ad Roſnaviam pervetuſta pictura, & S. Ladislai, & Chuni, & puellæ equis inſidentium.* Tertium ex Breviario Strigonienſi ſatis implexe deſumit. *(a)* Hæc ego alias refutavi, & exploſi. *(b)* Modo ad Docti Lectoris judicium impavidus provoco, an, & imprimis ſecundum argumentum *ridiculum* non ſit? inde factum erat, ut atrociſſimam hanc, quemadmodum Noſter perſvadere ſatagit, calumniam in Timonem jecerim: attamen ne tum quidem Cl. Viri non modicorum in Republica lite-

(a) Tim. Hung. Nov. pag. 69. & 70.
(b) Diſſer. meæ pag. 21. & ſeq.

literaria meritorum immemor fueram, adjeci enim isthæc: *quod bona gratia Cl. Scriptoris dixerim*, ut videlicet ostenderem, invitum me talia scribere. Sed istud Noster memorare oblitus fuit, aut dissimulavit, quo mihi apud legentes invidiam conflaret. (a) Schmittium vero nullo acriori verbo perstrinxi. Iste scripsit: Ex Diplomate Regiæ Abbatiæ Tihonienſis patere, Ecclesiam Strigonienſem moderatum fuisse Neæmiam, Colocenſem Benedictum, Clementem Vacienſem: quod tamen apertissime falsum esse, ex ipso illo Diplomate, a me ptoducto, clarissime elucet. Itaque ut Schmittii majus istud historicum sphalma corrigam, & Doctum Virum innocue aberrasse ostendam, scripseram generatim, crassius exerrare solere eos, qui Tribulium suorum manu exaratis schedulis cæcam habent fidem: nec indagant, unde illi ea sumserint, quæ in chartas conjecerunt: aut forte cogitationes solum suas, ne dicam somnia, ad nos transmiserint. Ex his meis quisquis recte arbitrari novit, non difficulter intelliget, me de Schmittio hoc loco non aliud voluisse dicere, quam quod in manus ejus venerit hujusmodi aliquod manuscriptum Schaediasma, quo arrepto, Vir doctus existimaverit, per eum, qui id chartæ illevit, omnia explorata fuisse: nec indagaverit porro, num ibi quæpiam difficultas non subversetur, sed confestim, bona fide, illa, quæ recitavi, exscripsit, & deinde vulgavit. Id sane neque poterat aliter evenire; nam certum est, Diplomati alios ab his Schmittianis subscripsisse. Cur igitur Adversarius me, longe alia scribentem, tam gravi censura castigare audet? cur tympana pulsat, & de se ostentat, quod talia ne per somnum quidem, o innocentiorem Metello! sibi excidere pateretur. Utinam vigilans atrociora non scribillaret

- - Nec minimo sane discrimine refert
Quo gestu lepores, & quo gallina secetur. Juven.

§. X.

(a) Suspicor Adversarium conductum Secretarium fuisse Viennensium rumuſculorum Scriptoris Germanici, qui, uti Bongarsius Vir mirificæ eruditionis loquitur, Historiarum volumina in nundinas conficiebat, ut animos pasceret plebeculæ, sæpius etenim iisdem plane verbis sententias profert. Ille sic habet. Solche Männer, die sich um die Gelehrsamkeit gewiß verdient, und selbst den Ausländern rühmlich bekant gemacht haben, als einem Timon, Nicolaus Schmidt nicht verschonet hat. Noster quoque hæc eadem, ut vidimus, in me contorsit. Sed uterque sicut indigne, ita omnino perperam.

§. X.

Nunc ad ea venio, quæ Adverſarius extra argumenti mei rationes a me pertractata fuiſſe, clamitat. (a) Id ſane non ſcripſiſſet, ſi ea in mentem ſibi revocaſſet, quæ hac de re ſæpius recoxi: videlicet, me eam ſolum ob cauſam illa perſequi, quia Cl. Pray veſtigio inſiſtere propoſui, ejusque rationum momenta, maximam partem oppido invalida, refellenda ſumſi (b) adeoque, hac quidem parte, nihil a me peccatum fuiſſe exiſtimo. Nam Venatoris partes iſthic ſuſtinere debui, qui per avia, & devia fugitantem leporem vel invitus perſequendum habui: ne ſi trito ſolum calli inſiſtam, fera, mihi, latibula operoſe queritans, elabatur. Cæterum infirma hæc ejus, præcoxque criſis meminiſſe eorum me jubet, quæ Adverſarius in ſua Diatriba, ſecundum argumenti ſui ſcilicet rationes nobis propinat. Adjicit ille opellæ ſuæ Synodum ſub Laurentio Metropolita Strigonienſi celebratam: tum Conſcriptionem Decimæ Pontificiæ in Diæceſi Veſzprimienſi, & exerte ſcribit (c) iſta cum ſuo argumento *nexum neceſſarium* habere. Profecto, non ego hic alium nexum video, quam qui eſt inter enſem & Saxum. Synodi illius in ſua Opella ne verbulo quidem uſpiam meminit: Conſcriptionem tamen Decimæ Pontificiæ unico loco in teſtimonium advocat. Sed ad id, excerptum pauculorum verborum ſuperabunde ſuffeciſſet; nec erat opus integram Conſcriptionem, eadem ferme pluries regerentem, operoſe deſcribere: niſi forte auctarium operis quæſitum fuerit? & re vera, his ad præſens propoſitum minime, pertinentibus Additamentis plus, quam quinta parte Diatribæ moles aucta conſpicitur. Hæc obiter. Ad noſtra redeo.

Inanes Adverſarii querelæ.

(a) Diatr. pag. 91.

(b) Id ego & alias, & pag. 172. his verbis palam declaravi: *Hæc ſunt, qua titulo inſiſtendi veſtigiis Cl. Pray latius, quam ſeu argumentum, quod ſcribendum ſumſi, expoſceret, ſive quam in principio voluerim perſequi neceſſum habui.* Unde aperte liquet, Criſonem noſtrum ſubdole, nolo enim malam fidem edicere, de me ſcripſiſſe, quod ea extra argumenti mei rationes, velut exorbitans, pertractaverim.

(c) In Præfat. ad Diatr.

Uxor S. Ladislai fuit Adelhais, Rudolphi Rheinfeldici filia, & Bertholdi Alemanniæ Ducis Soror.

Scripsit Noster in Dissertatione sua, Adelheidem S. Ladislao Regi Conjugem datam fuisse, (a) quæ Soror erat Bertholdi Alemanniæ Ducis, non item filia Rudolphi Reinfeldensis, qui Forchemii Cæsar electus fuit. Ego spissum hunc errorem non esse dissimulandum ratus, in mea Dissertatione refutavi, & correxi, liquidoque ostendi, Adelhaidem Sororem fuisse Bertholdi

(a) D. Cornides in opere, quo Regum Hungariæ Sæculi XI. Genealogiam ab se illustrari profitetur, ipso statim principio aperte prodit, quam hostili animo compareat. Nam pag. I. nec satis castigate, nec peritissime isthæc notat: *S. Ladislaum expertem conjugii vixisse - - inepti quidam hodie Declamatores de Ludo accerrime propugnant, quod nempe abstinentiam a Conjugio ad Sanctimoniæ laudem pertinere arbitrentur.* Hæc humanissima illius proloquutio est. Nec id mirum, in iis enim enutritus est castris, ubi Cælibatui nedum locus non relinquitur, quin potius diris is etiam omnibus devovetur. Ut autem meo quoque sensu verum est, S. Ladislaum in Conjugio vixisse, ita omnino temerarium, absurdumque est asserere, ideo ineptos *declamatores de Ludo* esse illos, qui Cælibatum S. Ladislai tuentur, quia hunc *ad Sanctimoniæ laudem pertinere arbitrantur.* Nullus sanus negavit unquam, Sanctimoniam etiam inter Conjugatos persistere posse: Sed an propterea inepti Declamatores de ludo sunt, qui ajunt, Virginitatem, aut Cælibatum præcellere Matrimonio, adeoque ut rem Deo præplacentem, ad laudem Sanctimoniæ pertinere? Non mequidem latet, hoc loco a Cornideso subtili hac, si Diis placet, argutatione Ecclesiam Romano-Catholicam, quæ inde a sui origine Virginitatem, & Cælibatum probat, atque commendat, peti. Sed quam id perperam, ex iis, qui hac de re copiosius scripserunt, facile intelliget. Adeat Epistolam S. Pauli ad Corinthios, & meliora discat; ast quia Spiritu intelligentiæ vix est præditus, suadeo, ut Magistrum Ducem adhibeat. At enim pergit porro telam suam, quam infeliciter orsus est miserandum in modum pertexere. Nam eadem Pag. I. scribit, mihi incredibile videri, aliquos Scriptorum adeo desipuisse, *ut putarint Sanctimoniam difficulter consistere cum Conjugio posse.* Hoc verum est, nec ejus quidquam muto. Desipit certe, qui existimat, Ladislaum ea de causa cælibem vitam vixisse, quia Sanctimoniam cum conjugio difficulter copulari posse sibi persuadet. Etsi enim Apostolus affirmet, plura impedimenta Sanctitatis se se objicere Conjugibus, quam Virginibus, adeoque cælibes facilius ad Sanctitatem pertingere posse, quam Conjuges; nam *qui sine uxore est, sollicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est, quæ sunt Mundi, quomodo placeat Uxori, & divisus est. Et Mulier innupta, & Virgo cogitat, quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore, & Spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat, quæ sunt Mundi, quomodo placeat Viro.* 1. Cor. 7. Nemo tamen sanus hinc inferre ausit: *Sanctimoniam difficulter consistere posse cum Connubio*, quod prorsus diversum est ab istis: *Facilius Cælibes pertingere possunt ad Sanctimoniam, quam Conjuges.* Illud, imprimis si ab osore Cælibatus dicatur, invidiosum est, & Matrimonium cum argutia reprobat; istud S. Paulus docet. Unde apparet, D. Cornides sumpto ex amicissimi sui Cl. Pray non obscuris verbis argumento, rursus Ecclesiam Catholicam, Cælibatum & Virginitatem cum Apostolo nullo non tempore commendantem, impetere. Nunquam Ecclesia Catholica dubitavit, ut in Cælibatu, ita in Connubio ad Sanctitatem cum adjutorio Dei perveniri posse: inde innume-

tholdi Alemanniæ Ducis: atque adeo si iste Rudolphi Comitis Reinfeldici filius erat, ut re ipsa erat, necessario illam quoque filiam ejusdem Rudolphi fuisse oportuit. Ille, ne uspiam erasse videatur, usque ad commiserationem se torquet, ut immodicum hoc sphalma suum emolliat, extenuetque, impactis etiam convitiis vindicet. Ast frustraneus est adversus claram veritatem nisus. Tam multa ego de his (a) attuli, ut ea sine injuria, & dispendio Lectorum hic iterum occentari vix possint. Sane in hoc toto diffusius a nobis pertractato argumento, nihil magis veremur, ne nobis vitio detur, quam sæpicule iterata ejusdem rei commemoratio, iis etiam molesta, qui otio abundant, & diffluunt, nedum occupatis, & ad graviora studia & curas attentis: quia nihilominus Crito noster ob hæc, & me non una contumelia lacessit, & aberrationes suas mordicus defendendo damnum eruditioni infert; hic rursus refellendum, convincendumque esse arbitror.

Ut sententiam meam certa veritate niti, illius contra prorsus erroneam demonstrarem, ipsos quinque illustres Scriptores, videlicet Bertholdum Constantiensem, Waltramum, Saxo-

numeros Conjuges in Sanctorum Fastos ritu solenni retulit; una tamen agnoscit, non esse mollem ad Cælum viam. Illud vero, quod istis suis confestim subjungit D. Cornides, ut ad Scenicas Declamationes pertinet, ita aperte falsum est. Sic autem scribit: *Dies me citius deficeret, quam Homilias, frigidasque illas omnes orationes Panegyricas in S. Regem Ladislaum habitas, hæc talia ad nauseam usque dictitantes commemorem.* Ego autem ajo: Non illum dies solum, sed & vita deficiet prius, quam ut vel unicam Orationem producat, quæ adstruat, S. Ladislaum ideo Cælibem vitam vixisse, quia Sanctimonia difficulter consistere potest cum Connubio. Id modi commenta ex male in Ecclesiam Catholicam animata mente procedunt. Celebrant sacri Oratores Castimoniam & Virginitatem: præferunt Cælibatum Conjugio: horum momenta promunt: at nuspiam affirmant, Sanctimoniam difficulter cum Conjugio copulari posse. Nuspiam Connubium damnant. Adeoque prorsus temerarium est, hujusmodi Panegyres, *frigidas* pronuntiare: etsi malim, quam ab impetu Cornidesii calidas. Non dubito tamen has ipsas, de continentia, & castitate disputantes orationes illi, quod ait, *nauseam* ciere; quis enim nescit, abstinentiam illis dissipere, qui non nisi carnibus inhiant? Aberrat igitur ille a scopo: aberrat a veritate: aberrat a recto, & modesto, dum sub tali larva, ab Amico suo Presbytero, meliore tamen, ut mihi persuadeo, animo porrecta, primo in medium prosiliens, fucata, fraudisque, & odii plena, atque jam pridem protrita dicacitate Nomen sibi quærit: & nihilominus, nec dubito, *non illum magis pudet, quam Coccygem, suæ cautionis.*

(a) Disser. meæ de S. Ladislao R. Pag. 117. & sequ.

nem, & Auguſtenſem Crhonographos, Annales item Hildesheimenſes, omnes Synchronos (a) citavi, qui exerte ſcribunt, Bertholdum Ducem Alemanniæ, ſeu Sveviæ, filium Rudolphi Anti-Cæſaris, & Comitis Reinfeldenſis fuiſſe: & quia Noſter affirmat, Adelheidem S. Ladislai uxorem, Sororem hujus Bertholdi fuiſſe; ideo neceſſe eſt conſequi, & Bertholdum & Adelhaidem ejusdem Patris Rudolphi Reinfeldici proles eſſe. Adverſarius palmarem hac in re errorem ſuum agnoſcere erubeſcens, in ſpiram ſe colligit, & rem manifeſtam, una & ſe ipſum præcipitare pergit. Ac primo quidem, cum inſigni injuria Clariſſimorum Auctorum, Waltramum, Saxonem, & Auguſtenſem Chronographum, Annales denique Hildesheimenſes, & immodice, & ut in cæteris fere ſo et, præcoce judicio turpis plagii accuſare non veretur, affirmatque æquævos iſtos Scriptores *Bertholdum Conſtantienſem fere ad verbum exſcripſiſſe.* (b) Ita nempe

---

(a) Hoc loco in *Nota* miratur Adverſarius, neque ab ſe intelligi declarat, cur Annales Hildesheimenſes Synchronos dicam? *Inchoant enim*, ejus verba ſunt, *ab Anno DCLXXXVIII. & deſinunt in Anno MCXXXVIII.* Hæc equidem pro Critico non ſatis perite. Annales iſti non inchoant, ut ille perperam arbitratur, ab Anno DCLXXXVIII. verum ab anno DCCXIV. id eſt, a morte Pipini Ducis, quæ Anno DCCXIV. reſpondet, ut notat Leibnitzius in Introductione ad Scriptores Brunſvicenſes. Hos Annales ex Codice Membranaceo Manuſcripto Bibliothecæ Regis Galliarum edidit Franciſcus Du Cheſneus, ſive Quercetanus inter Scriptores Francorum Tom. III. Cæptum eſt opus in Monaſterio Laureshamenſi Sæculo VIII. continuatum in Fuldenſi poſt Annum DCCC. Sed pro maxima parte in Eccleſia Hildesheimenſi abſolutum. Hinc patet falſum eſſe, hos Annales duos, ut Noſter ait, Authores habere; plures enim erant in tribus locis. Ac quia Sæculo XI. quo S. Ladislaus vixit Hildesheimii continuabuntur, & uſque ad annum MCXXXVII. perducti ſunt, quis tam temerarius erit, ut eos Synchronos eſſe, in dubium vocare audeat? Intelligit jam noſter, ut reor, cur Annales Hildesheimenſes *Synchronos* dixerim? & mirari deſinat.

(b) Carpit me Adverſarius Diatr. Pag. 91. in not. quod Diſſ. meæ Pag. 118. iſthæc ſcripſerim: *Bertholdus Conſtantienſis Scriptor Sæculi XI cujus Continuator Herm. Contr.* Id dubio procul error eſt; nam Hermannum a Bertholdo continuatum fuiſſe ſub titulo *Appendicis*, etiam ii norunt, qui Hiſtoriam primum legere cæperunt. Irrepſit cuiuscunque demum oſcitantia, aut inadvertentia particula: *cujus*, quam exterendam cupio, & vera erit dictio: *Bertholdus - - Continuator Hermanni.* Etſi vero Noſtrum ſecurum reddere poſſim, voculam: *cujus* in MS. haud reperiri, id tamen metuens facio: prævideo enim ſuſpicioſiſſimum Authorem, ut fere facit, id ægre crediturum. Viderit. Ego nihilominus quod qualemcunque hunc errorem correxerit illum laudo: ſed quod me ob id non ſatis modeſte infamia aſpergere cupide elabo-

pe naufragus fluctus pro tabula arripit. Si illi Authores Synchroni sunt, ut re ipsa, etiam Nostro fatente, sunt, quid erat opus in re sibi alio pacto præsente, & notissima Constantiensem exscribere? Sit autem ita, quod Constantiensem ad verbum exscripserint, nihil certe id eorum fidei derogat; ac quia plane coævi sunt, nec Bertholdum Constantiensem correxerunt, aut mendacii insimularunt, imo narrationem ejus suo testimonio ad verbum confirmarunt; evidentissimum est, horum quinque Synchronorum Scriptorum authoritatem irrefragabilem esse: atque ideo ab Adversario in unum Bertholdum Constantiensem omnino perperam compinguntur.

Hinc sane liquet, ab illo etsi magna contentione, non tamen peritissime, quinque his coævis Scriptoribus authoritatem Ottonis Frisingensis opponi: quando videlicet Noster alia inter scribit, hunc paris authoritatis cum Constantiensi, itaque & *probabilitatis* esse. (a) Gratulor interim Critonem nostrum jam ad solam probabilitatem redactum esse, qui paullo ante in Dissertatione sua de S. Ladislao Adelheidem Rudolphi Reinfeldensis Comitis filiam inter suppositas Hungariæ Reginas, tanquam ex tripode, adeoque velut rem exploratissimam, decretoria sententia, non tamen satis matura, relegavit. (b) Huc apposite quadrat, quod Ovidius (c) de Protheo, quem Latini Vertumnum dicunt, cecinit: Adversarius frustra contra nititur.

Ille suam faciem transformat, & alterat arte
Mox domitus vinclis, in sua membra redit.

elaboret, quis, si modo ebrius non sit, probabit? poterat ille ex Syllabo erratorum, & prævia Monitiuncula meis facile agnoscere, aberrationem isthanc nulla mea culpa, certo non ignorantia natam fuisse. Tale est, & illud, quod pag. 97. mihi objicit, quod scripserim, Bertholdum Anno MCXI. Ducem Alemanniæ creatum fuisse, cum id uno Anno serius acciderit. Indecorum sane est id modi minutuli, & nullo negotio corrigibilibus rebus tanta cum acrimonia immorari, quæ non tam meam insciitiam, quam ejus malevolum in me studium notant. Sed talia jam in consuetudinem adduxit.

(a) Diatr Pag. 96.
(b) Disser. suæ Pag. 91.
(c) Ovid. Lib. I. Fastor.

Male profecto esset Theologiæ Morali, si ad asserendam probabilitatem sufficeret dicere: Petrus; exempli causa, est anterior cæteris Scriptoribus, & ideo posteriores Theologi Petrum exscripsisse censendi sunt, qui nempe idem cum illo sentiunt, atque ita alii omnes considerandi sunt, uti solus Petrus: & quia Paulus Petro contraria scripsit, licet singularis sit, ejusdem probabilitatis, itaque & auctoritatis cum Petro, eique consentientium Doctorum caterva, est: ac proinde Pauli sententia singularis eandem probabilitatem cum Petri communi sententia nanciscitur. Insana enimvero hæc Theologia foret. Simillimum autem est Cl. Pray argumentum, sed in genere Historico. Mittamus hæc; non enim in hoc ulcere libenter unguem teneo: & videamus, num Otto Frisingensis ab Adversario recte in subsidium accersatur, riteve intellectus sit?

Otto ergo Frisingensis (a) ista scribit: *Rudolfus Dux Svevorum - - Rex factus - - hujus Rudolfi filiam quidam ex nobilissimis Regni Optimatibus Bertolfus nomine de Castro Zaringen habuit.* Et mox: *Occiso Rudolfo gener ejus Bertolfus Ducatum Sveviæ tanquam a Socero sibi concessum usurpat.* Itaque affirmat Otto, quod Rudolfus Bertolfi filiam, Uxorem duxerit, adeoque Gener Rudolphi effectus sit. Hoc verum est; quid tum postidea? Ergo magnis animis concludit Noster Stagyrita: Adelhais uxor S. Ladislai non potuit esse filia Rudolphi Reinfe dici. Nam, sic porro argumentatur. (b) *Si Constantiensis & Ottonis testimonia contendamus, necesse est consequi, ut Adelhais Filia, ut existimat Adversarius, Rudolphi Comitis Reinfeldensis, aut nupeserit fratri suo, aut eodem tempore fuerit uxor duorum Virorum, nempe S. Ladislai Regis, & Bertholdi Alemanniæ Ducis* (c) Hem nu-

(a) Otto Frisingensis de gestis Friderici I. Imperator. Lib. I. Capit. VII. & IX.

(b) Diatr. pag. 95.

(c) D. Cornides pag. 3. prorsus mire hallucinatur, scribit enim inter me & Cl. Prayum controversiæ omnem in eo unice verti cardinem: *Utrum Berthildus Zæringensis, Alemanniæ, seu Sveviæ Dux, Patre natus sit Rudolpho, Anti-Cæsare Henrici IV. Imperatoris?* Insignita fallacia! Nullus, quod sciam, hactenus id somniavit, neque ego adeo desipui, ut ineptas id modi sententias promerem, aut cum Prayo, Viro docto

nucem! e qua Crito noſter integram ſe produxiſſe Iliadem arbitratur. Aſt, quæ hæc nova argumentandi ratio? quam egregia, Superi! conſequutio? Hanc Philoſophiæ Studioſis malo deridendam relinquere, quam refellendo verba perdere; ne tamen quidquam ſubterfugere velle videar, id duntaxat ajo: Docendum prius Noſtro fuiſſe, Rudolpho non niſi unicam, eamque Adelheidem filiam fuiſſe: tum non niſi unum Alemanniæ Ducem, nomine Bertoldum ætate Rudolphi vixiſſe. Et ſic demum cohærentem conſequutionem elicere poterat. Aſt id nimis quam arduum fuiſſet probare, quando ipſe Achilles ejus Otto

---

docto tam ſtolide nugarer: imo diſertis verbis pag. 120. iſthæc ſcripſi: *Manifeſte patet, & Bertholdum Rudolphi Ducis ſive Regis filium anno MXC. mortuum a Bertholdo altero, Bertholdi Zaringiæ Ducis filio, eſſe diſtinguendum, & Adelheidem Sororem prioris Bertholdi filiam Rudolphi Comitis Reinfeldenſis, & S. Ladislai coniugem fuiſſe.* Et audet Cornideſius ſcribere, controverſiæ cardinem in eo unice verti: an Bertholdus Zaringenſis filius Rudolphi fuerit? Hoc profecto meritam labem illi inurat, oportet. In eo mihi cum Cl. Pray non convenit: Utrum Adelhais Uxor S. Ladislai, Soror fuerit Bertholdi, Rudolphi Reinfeldenſis Filii, vel Bertholdi Zaringiæ Ducis? hoc eſt: an Adelhais Rudolphi Anti Cæſaris, vel vero Bertholdi Zaringenſis filia fuerit? ego illius, Prayus hujus gnatam fuiſſe affirmavimus. Proinde ſeu plenam narrationem meam non intellexit, ſeu intelligere noluit, ſive denique fallaciter interpretatus eſt, ac dedita opera detorſit; ſemper ſuperabundantem erubeſcendi materiam, neque enim exiſtimo frontem illum penitus projeciſſe, habet: & præterea ſciat, cum ejusmodi ſeu imperitiæ, ſive dolo, fraudeque pictis armis in arenam deſcendere, ut nimis quam temerarium, ita omnino ſervile, turpeque eſſe. Hinc illud quoque a veritate alieniſſimum eſt, quod continuo ſub ungit, videlicet Bertholdum Zaringenſem a Bertholdo Conſtantienſi, Chronographo Saxone, Annaliſta Hildesheimenſi, Chronico Auguſtenſi, filium Rudolphi diſerte vocari. Agnoſcunt illi Rupolpho filium fuiſſe Bertholdum, ſed hunc Zaringenſem fuiſſe nuſpiam adſtruunt; neque enim egregii iſti Scriptores ignoraverunt, Rudolphum Reinfeldenſem nunquam fuiſſe Ducem Zaringiæ, neque ejus filium Bertholdum hunc Ducatum adeptum fuiſſe. Vere me pudet, & tædet, tam abnormem Cornideſii falſimoniam memorare, & refellere; & nihilominus non veretur porro pag. 4. immodeſte ſcribere, me mire hallucinari, quod Bertholdum Ducem Alemanniæ, Rudolphi filium, quem ille Generum facit, Anno MXC. mortuum, negem Zaringenſem fuiſſe: & viciſſim Bertholdum Zaringenſem Anno MXCI. Alemanniæ Ducem creatum, inficier, memorati Ducis Alemanniæ, Anno MXC. exſtincti, filium fuiſſe. Utique nego, & niſi ignorantiſſimus ſim, non poſſum non negare: Nam Bertholdus Anno MXC. mortuus, filius fuit Rudolphi, Bertholdus Zaringenſis vero ejusdem Rudolphi Gener erat: adeoque Filium a Genero, Bertholdum Reinfeldicum Alemanniæ Ducem a Bertholdo Zaringiæ, & poſtea Alemanniæ Duce diſtinguere ſcio. Id Cornideſius ſi non ignoraſſet, auſus certe non fuiſſet, tam aperta temeritate ſcribere, me mire hallucinari. Legat, quæ hac de re diſſero, & immodicos, quibus raptatur, impetus, ut reor, cohibebit: neque narrationem tot Synchronorum Scriptorum teſtimonio ſuffultam, *Genealogicam hæreſim* vociture ſtentoria audacia præſumet.

Otto Frisingensis nihil illi favet. Lustremus. Frisingensis scribit, Bertholdum Zaringensem Rudolphi Anti-Cæsaris filiam, uxorem duxisse. Id ego quoque adstruo: verum Bertholdus iste, Rudolphi gener, longe alius est, a Bertholdo Anno MXC. mortuo, quem filium fuisse Rudolphi, liquidis testimoniis comprobavi, & post pauca evidenter demonstrabo: adeoque distinguendus erat Bertholdus Rudolphi filius, frater Adelheidis, a Bertholdo ejusdem Rudolphi genero, affine Adelhaidis. Certe, Frisingensis nuspiam affirmat, Bertholdum, quem Ducem Carentanorum, Dominum Castri Zaringensis, Sueviæ usurpatorem, & Rudolphi generum vocat, Anno MXC. e vita migrasse; neque ullibi negat, Rudolfum habuisse filium, nomine Bertholdum, quod tamen Synchroni Authores disertis verbis perhibent. Unde manifeste apparet, quam vanum sit Adversarii ad Ottonem Frisingensem perfugium, quem aut non intellexit, aut ab se non intelligi callide dissimulavit. Proinde plane incongruum est, quod sane adversus Critices leges, perperam scripsit. (a) Si *Constantiensis*, inquit, *& Ottonis testimonia contendamus, necesse est consequi, ut Adelhais Rudolfi Comitis Reinfeldensis filia, aut nupserit fratri suo, aut eodem tempore fuerit Uxor duorum Virorum, nempe S. Ladislai Regis, & Bertholdi Alemanniæ Ducis.* Imo vero si utriusque testimonia contendantur, necesse est consequi, duos fuisse Bertholdos, alterum filium, alterum generum Rudolphi, cujus alteram filiam Adelhaidem S. Ladislaus, alteram, quæ Agnes vocabatur, Bertholdus Zaringensis Matrimonio sibi conjunxerunt. Quod eruditus Lector ex iis, quæ adduxi, & quæ adducturus porro sum, sicut non difficulter, ita dilucide perspiciet, atque una animadvertet, Hypercriticum Nostrum, quantumcunque se magna verborum pompa in gyrum volvat, ac revolvat, deviis itineribus progredi, frustraque adversus claram veritatem niti.

Cæterum: cedo Ottonem Frisingensem Bertholdo Constantiensi contraria scripsisse, non ob id tamen Constantiensis, Waltrami, Annalium Hildesheimensium, Saxonis, & Augustensis Chronographorum, omnium plane æquævorum Scriptorum testimo-

(a) Diatr. pag. 94.

ſtimonia rejicienda, aut ſolus Otto Friſingenſis illis præferendus foret: illud enim, quod Noſter (a) majori audacia, quam veritate dicit: *rem omnem ad unius Conſtantienſis teſtimonium redire*, quemadmodum ex ſe ſe ridiculum eſt; ita graviſſimis illis Authoribus prorſus injurioſum. (b) Quid de Ottonis Friſingenſis auctoritate ſtatuendum ſit, inferius declarabo. Illud autem certum eſt, illum Hiſtoriam ſuam ut minimum dimidio Sæculo poſt mortem Rudolphi Reinfeldici ſcripſiſſe; nam iſte Anno MLXXX. obiit, Otto vero Anno MCXXVIII. adhuc ſtudiis Pariſiis vacabat, & Anno MCLVIII die XXI. Septembris Morimundi in Cænobio Ciſtercienſi, cujus antea Abbas fuit, quove poſt reditum e terra ſancta, quorſum fratrem Conradum III. Imperatorem ſecutus erat, ſe recepit, e vivis exceſſit. (c) Quoi gitur pectore Ottonis Friſingenſis teſtimonium, ſi tamen contrarium eſt, paullo ante relatorum Authorum, qui omnino Synchroni ſunt, teſtimoniis, quod Adverſarius cupit, præferam? aut hos illius cauſa falſi, vel mendacii inſimulem? Id cum ex ſe ſe abſurdum foret, Adverſarius mirum in modum ſe torquet, ut teſtimonia Scriptorum *ſibi*, verba ejus ſunt, *ad ſpeciem adverſantia conciliet* (d) Sed prorſus infelix *Conciliator* eſt, nam dum Charybdim incautus vitare contendit, in Scyllam ſe præcipitat: quod iis fere uſuvenire ſolet, qui aut res ſuas obſtinatiſſime tuentur, aut qui ubilibet certam ſibi victoriam pollicentur. Verum audiamus egregium Conciliatorem. Scribit (e) Bertholdum Ale-

(a) Diatr. pag. 93.

(b) Waltramus de Unit. Eccl. conſerv. Lib. II. pag. 309. ap. Freher ſcribit: *Eodem etiam Anno (MXC.) defunctus eſt. - - Bertolt Filius Rudolp i Regis quondam Saxonum in ipſo Juventutis ſuæ flore.* Bertholdus Conſtantienſis omnino diverſis verbis mortis hujus Bertholdi meminit: nec memorat *Regem quondam Saxonum* Rudolphum fuiſſe, neque Bertholdum *in ipſo Juventutis flore* e vivis abiiſſe affirmat, & tamen Adverſarius, neſcio qua confidentia, ſcribere audet, a Waltramo, cæterisque Bertholdum Conſtantienſem fere ad verbum exſcriptum eſſe. Id profecto non eſt ex norma Critices ſumptum, imo fidem Hiſtoricam nimium labefactat.

(c) Meihelbeck Hiſt. Friſing. Poſſev.

(d) Adverſarius Diatr. pag. 95. ſcribit, Authores pro Bertholdo Zaringenſi ſtantes, a me ſine reddita cauſa rejectos eſſe: quod equidem aperte falſum eſt. Nonne enim ſufficientiſſima Ottonis Friſingenſis rejiciendi cauſa eſt, quinque Synchronorum Scriptorum pro Adelheide Filia Rudolphi teſtimonium.

(e) Diatr. pag. 95.

manniæ Ducem, fuiſſe Generum Rudolphi Comitis Reinfeldenſis: Gener autem apud omnes Nationes communi quodam jure nomen filii apud Socerum participat, in primis Germanos, apud quos ut Socerum pro Patre, ita Generum pro filio dici ſolitum eſt: atque adeo quia Bertholdus Zaringenſis fuit Gener, & hoc ſolo titulo Filius, Rudolphi Reinfeldici, Soror quoque Bertholdi Ladislao nupta, non potuit eſſe Filia Rudolphi. Unde neceſſe eſt conſequi, Ottonem Friſingenſem Bertholdi Conſtantienſis, Waltrami, Hildesheimenſium Annalium, Saxonis, & Auguſtenſis Chronographorum interpretem eſſe, teſtarique, Synchronos hos Authores, cum ſcribunt Bertholdum filium fuiſſe Rudolphi Reinfeldenſis, nihil aliud indicare voluiſſe, quam quod Bertholdus Gener fuerit Rudolphi. (a) Hæc eſt noſtri, ſpecioſe attentata, conciliatio. Sed quæ hallucinationes? Næ, ſi id modi interpretationes apud Eruditos locum invenirent; periit Hiſtoriæ veritas & ſinceritas, tempora confuſa, rerumque ratio proſtrata ſunt. Quis non audebit deinceps Scriptorum ſententias detorquere, detruncare, verba pro arbitrio luxare? Scriptores coævos adcuratos, quorum in ſcribendo diligentia, & veritatis ſtudium omnium Doctorum Virorum teſtimoniis celebrantur, atque firmantur, Anticriticus noſter adeo ignaros, rudes, hebetes, aut certe callidos, & ad fraudem acutos facit, ut eos aut rudis plebeculæ loquendi conſuetudine deceptos, nomen *Filii* pro *Generi* inſcriptum ignorantiſſime retuliſſe, aut poſteros tali ſcribendi ratione in tam palmarem errorem pertrahere ſategiſſe, ſibi perſua-

(a) Ridiculum eſt, quod D. Cornides pag. 10. ſcribit, videlicet, Bertholdum Conſtantienſem, Waltramum. Annaliſtam Hildesheimenſem, Saxonem, & Auguſtenſem Chronographos vocem *Filii* pro *Genero* more Scriptoribus illius ætatis perquam *familiare* accepiſſe. Quod ut perſvadeat, promit Diploma Venceslai Bohemiæ Regis de Anno MCCXCI. Andreæ III. Hungariæ Regis de An. MCCXCVII. Sigismundi Cæſaris de Anno MCCCCIV. Superi! quam egregius hic ille Criticus eſt. Quinque illi Scriptores ſunt Sæculi XI. & XII. incipientis: & nihilominus in confirmationem ſui erroris non veretur illa Diplomata proferre, quæ Sæculi XIII. finientis, & XV. inchoantis ſunt. Ex his evincere ſatagit, illos Scriptores filium pro Genero accepiſſe, ut mos *illius ætatis* perquam familiaris tulit. Hoc revera eſt, horrenda Hiſtorica Hæreſis, nolo enim imperitiam dicere. Itaque ſi hunc audimus, quia Sæculo XIII. finiente, & XV. incipiente interdum nomen filii pro Genero ſumptum fuit, conſectaneum eſſe oportet, etiam Sæculo XI. finiente & XII. incipiente Scriptoribus morem perquam familiarem fuiſſe, ut filium pro Genero accipiant, ſcribantque. Derident talia, qui Criticen a Limine ſalutarunt, nos Lectorem arbitrari ſinimus.

ſuadeat, & cum inſignita contumelia tot probatiſſimorum Authorum pronuntiet, atque proclamet. Hoc certe eſt celebres Scriptores pro libidine ſuſque deque habere: hoc eſt ſpiſſum ſphalma, decerpta aliorum fama, velut quodam pigmento oblinere: quis alius unquam talia? ignorabantne tam egregii Viri Filium a Genero ſecernere? & in primis Bertholdus Conſtantienſis, qui in ipſa Alemannia, ſeu Suevia natus, & altus ſui temporis res geſtas pertractavit, adeoque præ cæteris cognitas habuit? qui actis inter Rudolphum Sveviæ Ducem, & Cæſarem Henricum etiam interfuit. Hæc ſi Noſter recte, ut nimiis affectibus liberi Critici conſueverunt, expendiſſet; nunquam ſane in hac Labyrintho ſine glomo Ariadne ſe ſe perdidiſſet, neque tanta ignorantiæ, aut doli labe Scriptores, omnibus nationibus probatos, & immodice, & ut ubivis fere facit, temere adſperſiſſet. Etſi enim daremus, apud Germanos in primis, id enim Noſter obtrudit, Generum pro Filio dici; id tamen apud Latinos Scriptores nunquam ſane conſuetum fuit. Jam vero quinque illi Synchroni teſtes latine ſcripſerunt, Bertholdum Rudolphi *filium* latine nominarunt, igitur filium pro filio, non filium pro Genero dicere voluerunt: ſecus illos aut ignorantes fuiſſe dicere oportebit, quod ineptum, aut decipere voluiſſe, quod injuriæ plenum eſt.

Quamvis vero iſthic per avia, & devia feratur Crito noſter, tamen non deſinit toties ruptum filum novis connectere nodis, quo nempe ſe certius jugulet. *(a)* Tres diſtinguit Bertholdos Zaringenſes, & narrationem tam implexe perſequitur, ut commiſeratione digniorem eſſe exiſtimem, quam refutatione. Tres ergo erant ea tempeſtate Bertholdi Zaringenſes: an inde bona lege conſequitur: Ergo Rudolpho Reinfeldenſi non erat filius Bertholdus. Ergo S. Ladislai Uxor Adelhais non fuit Rudolphi filia: Ergo Rudolphus non alias genuit proles, quam ſolam illam filiam, quæ, Ottone Friſingenſi teſte, Bertholdo Zaringenſi in manus convenerat. Hæ nempe ſunt Adverſarii inſolentis generis conſequutiones, quibus quanta vis inſit, advertet Lector,

(a) Diatr. pag. 96. ſequ.

si narrationem eatenus illius vel modica cum attentione ad trutinam revocaverit. Scribit porro Noster, Bertholdum I. Zaringensem natum fuisse Patre Bezzelino; (a) ex hoc Bertholdo vero, & Richvara ortum Bertholdum II. qui ex filia Rudolphi Reinfeldensis genuit Bertholdum III. Sinamus hæc; quid tum? *Atqui hic ille est*, ait, *quem Chronica Augustensis Ducem Alemanniæ anno MXCII. constitutum memorat.* (b) Jam post hac optime agetur cum Genealogia Ducum. Sed quid momentorum pro hac stabilienda sua opinione profert? nihil sane: stat pro ratione voluntas. Vult videlicet ille Bertholdum III. Alemanniæ Ducem Anno MXCII. renuntiatum esse: ergo Chronica Augustensis hujus meminit. Præclara ratiocinatio! sed quæ Ottonem Frisingensem cum coævis illis Scriptoribus minime conciliat; id enim Noster agit. Certe Frisingensis, cui ille tenacissime adhæret, nuspiam Bertholdi III. Zaringensis, ex Bertholdo II. & filia Rudolphi nati meminit: imo, si modo intelligatur, non nisi duos, Patrem & filium, hoc est Bertholdum I. & II. ea ætate egisse adstruit. Nam quem Bertholdum antea Generum Rudolphi Suevi nominavit, de eodem, qui sine dubio Bertholdus II. fuit, post pauca isthæc adnotavit: (c) *Fridericus Dux simul Suevorum, & Gener Regis factus - - Bertholdum tandem pacem petere coëgit; quod tamen quidam* (d) *sub filio suo Friderico factum tradunt.* Ille autem Fridericus Dux, sub Annum MCVI. mortuus fuerit. Nam idem Otto Frisingensis (e) hæc habet: *Mortuo Alemannorum Duce Friderico, Fridericus* (filius) *qui major natu erat, Patri in Ducatu successerat. Circa idem tempus Imperator Henricus apud Leodium Belgicæ Urbem diem obiit.* Scitum vero est, Henricum

(a) Etsi Vignierius Bezzelinum Bertholdi I. Ducis Zaringiæ Patrem fuisse adstruat, & filium Birctilonis, attamen Cl. Schöpflinus in Hist. Zaringo-Badensi Tom. I. pag. 26. id his verbis convellit: *Systema hoc* Birctilonem Guntramno, Bezzelinum Birctiloni filios, sine ulla auctoritate adscribit Ne nomen quidem Bezzelini chartis antiquis proditum est. Hoc Criticus noster ignorare non debebat.

(b) Diatr. Pag. 97.

(c) Otto Frisin. de gest. Frider. Imper. Lib. I. Cap. VIII.

(d) Miror, quo hic Scriptor dubitans scribat, cum tamen ex Filia Henrici IV. Imp. natus sit, & iste Fridericus Alemanniæ Dux ejusdem Henrici Imp. alteram filiam Agnetem Uxorem tenuerit, adeoque cui res gestæ inter Henricum, Fridericum, Rudolphum, & Bertholdum optime cognitæ esse debebant.

(e) Otto Friſ. idem Cap. X.

ricum IV. Anno MCVI. e vita migraſſe, ut ipſemet Friſingenſis teſtatur: igitur Bertholdus II. Gener Rudolphi, iſto anno etiamnum vixit: quin imo, ut idem Friſingenſis affirmat, etiam poſt hunc annum, hoc eſt: poſt mortem Friderici Ducis in vivis erat; narrata enim ejus morte, hæc ſubnectit: *Supra nominatus Bertholdus vacuum ex hinc nomen Ducis gerens.* (a) Proinde, teſte Ottone Friſingenſi, Bertholdus Dux Zaringenſis, qui Gener erat Rudolphi Comitis Reinfeldici, ætatem uſque ad Sæculum XII. adduxit. Atque ideo non peritiſſime (b) Adverſarius ſcripſit: *nec ſi hoc, vel illo anno Bertholdus Ducatum Alemanniæ adeptus ſit, propterea Bertholdus, anno MXC. mortuus, alius a Bertholdo Zaringenſis Ottonis Friſingenſis erat*: imo longiſſime alius erat; quia ſi Bertholdus Anno MXC. mortuus, gener erat Rudolphi, aperte falſum ſcripſiſſe Otto Friſingenſis cenſendus erit, utpote qui Bertoldum Rudolphi Generum, ut vidimus, etiam poſt an. MCVI. vixiſſe commemorat. Alius itaque erat Bertholdus Anno MXC. mortuus, a Bertholdo II. Zaringenſi; quia ille filius, iſte Gener Rudolphi Reinfeldenſis.

Hinc certum eſt, Bertholdum Alemanniæ Ducem Rudolphi filium fuiſſe, non Generum.

Hinc certiſſimum evadit, munus Conciliatoris improſpero plane eventu Adverſarium ſibi ſumpſiſſe, quando, neſcio quibus ſpebus oppletus, ſcripſit: *Opus eſt, ut teſtimonia Scriptorum ſibi ad ſpeciem adverſantia, quoad poſſunt, concilientur.* (c) Tum poſt non multa: *neceſſe eſt, ut dum Conſtantienſis Bertholdum Rudolphi Comitis Reinfeldenſis filium dicit, Generum duntaxat intellexerit.* Ita ſane, ſi Diis placet! ſed ſi rerum & temporum rationem, quod Criticorum munus eſt, ineamus; palam fit, illa ab Adverſario noſtro nec ſcitiſſime, nec optima fide declamari: Scriptorum vero teſtimonia pro pruritu huc illuc raptari. Igitur: quemadmodum Otto Friſingenſis duorum duntaxat Bertholdorum Zaringenſium meminit, ita clarum eſt, illius de his teſtimonium ad Bertholdum III. trahi neutiquam poſſe; verum præterea manere, Bertholdum II. Generum Rudolphi Reinfeldi-

(a) Id. idem Cap. IX.
(b) Diatr. pag. 97.
(c) Diatr. pag. 94.

ci, illum vero, qui Bertholdo Conſtantienſi teſte Anno MXC. mortuus eſt, filium ejusdem Rudolphi fuiſſe. Ex quo jam manifeſte patet, & Bertholdum, Rudolphi Reinfeldici Anti-Cæſaris filium, a Bertholdo altero, Bertholdi I. Zaringiæ Ducis filio, eſſe diſtinguendum, & Adelhaidem Sororem prioris Bertholdi, filiam Rudolphi Comitis Reinfeldenſis, ac S. Ladislai Regis Conjugem fuiſſe. Liquet etiam Adverſarium (a) non rite in chartam conjeciſſe, quod ſi Adelhais Rudolphi Reinfeldenſis filia fuit, neceſſe ſit conſequi, ut aut nupſerit Fratri ſuo, aut eodem tempore fuerit Uxor duorum Virorum, nempe S. Ladislai, & Bertholdi Alemanniæ Ducis: quæ conſequentia, quamvis Noſtro neceſſaria videatur, attamen, etſi ſolum per cribrum in eam oculos convertamus, admodum frivolam eſſe comperiemus.

Illud porro, quod Noſter (b) ſubnectit, videlicet a me quoque agnoſci, Bertholdum III. Zaringenſem, Bertholdi II. Rudolphi Generi, filium fuiſſe; aperto cachinno dignum eſt; tametſi enim Bertholdum III. Zaringenſem, Bertholdi II. filium norim, id nihilominus ex narratione illa mea non eruitur. Audiamus noſtrum Vatem, quibus ex cauſis id me agnoviſſe exiſtimat? quia inquit, Bertholdum Zaringenſem in pactis inter Paſchalem II. & Henricum V. anno MCXI. initis, comprehenſum fuiſſe, ſcribo. (c) Præpoſtera conjectura! quæ adverſus Ciceronis effatum, nec ex tempore, nec ex cauſa, nec ex perſona, nec ex facto ipſo capitur. Placet tamen illi infelici huic vaticinio aliqualem cauſam prætexere: *Non enim*, ait, *fruſtra Paſchalis inter pactorum obſides Bertholdum Zaringenſem eſſe voluit, quem ſcivit Bertholdo Duce, & filia Rudolphi Suevi, conſtantiſſimi amici Gregorii VII. prognatum eſſe.* Omnia ſpecioſe! Amavit Paſchalis P. filium Bertholdi Zaringenſis, qui hujus nominis ſecundus, & Rudolphi Gener erat, huc enim argumentum Adverſarii redit, & ille inter vades, & Sponſores a Paſchali II. & Henrico V. datus eſt, ergo ego agnoſco, ex Bertholdo II. & filia

(a) Diatr. pag. 94.
(b) Diatr. Pag. 99. in Not.
(c) Diſſer. meæ de S. Ladislao pag. 119.

lia Rudolphi Bertholdum III. prognatum esse. Nequaquam. Sciat itaque, Bertholdum II. & III. non modo causa Rudolphi Reinfeldici in amoribus Paschalis II. fuisse; verum etiam, & in primis ob propria eorum in Ecclesiam, & Pontifices Romanos merita; nam illi, uti & Bertholdus I. Secundi Pater, Tertii Avus, illis fidelitatem suam in turbatis ejus temporis rebus constanter, & fortiter probaverunt: ut adeo non fuerit opus ab amicitia, quæ inter Gregorium VII. & Rudolphum Cæsarem erat, amorem Paschalis in Bertholdum mutuari. (a) Hæc, ut reor, satis ostendunt, & frustraneum esse Adversarii ad Ottonem Frisingensem perfugium, & Adelhaidem Uxorem S. Ladislai, Rudolphi Reinfeldensis Comitis filiam, Sororemque Bertholdi an. MXC. mortui fuisse: adeoque Adversarii conciliationem prorsus fucatam esse, nulloque quantumvis specioso pigmento, spissum, quod admisit, sphalma ita oblini posse, ut clara veritas non transluceat.

Etsi vero ista ad revincendas Critonis nostri argutias omnino sufficere arbitrer, & Lectorum etiam otio abuti verear; quia nihilominus ille plane immodicus hac in re est, & certissimo sibi persuasit, ita me pondere argumentorum suorum, velut quibusdam compedibus, constrictum teneri, ut nuspiam egredi valeam. Ad hæc, quia omnis difficultas, eo recidit, an Rudolphus Suevus Reinfeldensis filium habuerit Bertholdum nomine? an item Bertholdus anno MXC. mortuus, fuerit filius Rudolphi, quod ego adstruo: vel vero Gener Rudolphi, seu Bertholdus II. Zaringensis, quod Noster vult? idcirco ad juvandam legentium memoriam, quæ hucusque eatenus prolixius retuli, in compendium cogere, regerereque necessarium esse arbitror.

Ita-

(a) Adeat Noster Biographum Paschalis II. P. P. ap Murat. Script. rer. Italicar. Tom. III. pag. 360. ubi & pacta conventa legere poterit, & inter vades, & Sponsores Paschalis & Henrici tales inveniet, in quos nihil minus, quam in sedem Romanam amor, amicitia, & fidelitas cadit, adeoque frivolum est dicere, ideo Bertholdum II. inter obsides esse, quia ejus Socer Rudolphus Gregorii VII. amicus fuit.

Tametsi alter Bertholdus Zaringensis filiam duxerit Rudolphi, adeoque ejus Gener fuerit.

Itaque: tres sub id tempus Bertholdos Zaringenses agnoscimus. Bertholdum I. ex Comite Brisgoviæ, Ducem Carinthiæ creatum Anno MLX. (a) in compensationem Suevici Ducatus, quem Agnes Imperatrix Rudolpho Reinfeldensi Comiti An. MLVII. contulerat: (b) qui deinde depositus fuit An. MLXIII. (c) titulo tamen Ducis retento: is obiit MLXXVII. (d) sepultus Hirsaugiæ. Ejus Uxor I. fuit Richvara stirpis incertæ. II. Beatrix filia Ludovici Comitis Moncionis: mortua MXCII. Hunc nonnulli (e) *Barbatum* cognominant. Iste genuit Bertholdum II. (f) Ducem Sueviæ renuntiatum a Guelphis adversus Fridericum Staufensem Anno MXCII. (g) Abbatiam in Sylva Nigra condidit Anno MXCIII. (h) Transactione cum Friderico Staufensi, inita Sueviæ Ducatum amisit MXCVIII. (i) obiit XII. Apr. MCXI. (k) Uxor ejus fuit Agnes Rudolphi Reinfeldici Anti-Cæsaris filia. (l) Ex hac genitus est Bertholdus III. Dux Zaringiæ Anno MCXXIII. Molshemii in Alsatia occisus. (m) Bertholdum IV. & V. Duces Zaringenses non memoro, quia paullum ultra tempus, de quo agimus, vixerunt.

Ber-

(a) Herman. Contr. ad h. a.

(b) Herman. Contr. Annal. Saxo. Chron. S. Pantal. ad h. a.

(c) Berthol. Constant. ad. h. a. Lamber. Schaffn.

(d) Guilliman. Habsb. Lib. IV. Cap. III. pag. 203. Chron. Friburg. pag. 4. Crusius in Annal. Suev. Lib. VII. Par. II. Cap. III. pag. 219.

(e) Chronog. Saxo. Chron. S. Pantal. Conrad. Ursperg. ad h. a. Berth. Constant. ad an. MLXXVIII.

(f) Annal. Saxo. Abb. Ursperg. ad. a MLVII. Berth. Constant. ad a. MLXXIV.

(g) Berth. Constant. ad h. a.

(h) Berth. Const. ad h. a. Anon. Fragm. Histor. Alb. Argent. præfixi ad. h. a. ap. Urstis. Scrip. rer. Germ. Lib. II. Pag. 83.

(i) Hanc Chron. August. ad an. MXCIV. Hottinger. in Spec. Tigur. vel Antiqu. Turic. ad a. MXCVII. Schöpfl. Tom. I. Lib. II. pag. 76. ad a. MXCVIII. collocant.

(k) Chron. Constant. ap. Pistor. Tom. III. pag. 742. Charta Bertholdi III. de anno MCXII. ap. Schann. Vindem. Liter. Collect. L. pag. 160.

(l) Geneal. Murensis, Honorius II. in Bulla Privil. Abbatiæ S. Petri in Sylva Nigra An. MCXXVI. Ducem Bertholdum cum sua Uxore Agnete, & filiis commemorat. Schann. Vindem. Pag. 162.

(m) Chron. Murense ad h. a. Königshov. Chron. Argent. Pag. 429. Ex hac Bertholdum III. & Conradum, qui ei successerunt, suscepit. Vid. Memoires de la Republ. Sequanoise Liv. V.

Bertholdus Conſtantienſis ad annum MLXXXIV. Gebhardum Epiſcopum Conſtantienſem appellat Bertholdi Ducis Filium, qui dubio procul *Primus* hujus nominis fuit. Hunc autem Gebhardum, fratrem fuiſſe Bertholdi Ducis, & Hermanni Marchionis, idem perhibet. (a) Hunc, inquam, Gebhardum fratrem vocat illius Bertholdi, qui Anno MXCII. a Suevis, Henrico IV. Imperatori contrariis, creatus eſt Dux. Certiſſimum vero eſt, Bertholdum II. Zaringenſem, Gebhardum, & Hermannum, tres fratres, unius Patris Bertholdi I. filios fuiſſe. Igitur Bertholdus II. Gebhardi frater Anno MXCII. in vivis erat; adeoque anno MXC. mortuus non eſt. In charta quoque Bertholdi IV. Zaringenſis de anno MCLII. Gebhardus Epiſcopus, Avi ejus, hoc eſt, Bertholdi II. frater nominatur. (b) Et rurſum Bertholdus Conſtantienſis (c) teſtis eſt, Bertholdum II. Sueviæ Ducem Anno MXCII. factum eſſe, & tum diſerte enunciat, ante hunc annum, illum nullum habuiſſe Ducatum, licet Ducis titulo uteretur. Igitur, quia certo conſtat, Bertholdum II. Generum fuiſſe Rudolphi Reinfeldici; idcirco certum itidem eſt, præpoſteram eſſe Bertholdi Conſtantienſis interpretationem, tanquam ſi ille, more Germanis uſitato, Rudolphi filium Anno MXC. mortuum fuiſſe ſcribens, Generum nomine Filii indicare voluiſſet.

Idem Bertholdus Conſtantienſis ad Annum MXCIII. in hæc verba ſcribit: *In Alemannia Dux Bertholdus Monaſterium novum in honorem S. Petri in Nigra Sylva a fundamento exſtruxit, multisque bonis ditavit. - - Hoc ergo Monaſterium frater ipſius Ducis Gebhardus Conſtantienſis Epiſcopus, & Apoſtolicæ Sedis Legatus, ſua conſecratione initiavit.* Idem habet Auctor Anonymus Fragmenti Hiſtorici, Alberto Argentinenſi præfixi, ad hunc Annum. (d) Igitur Anno MXCIII. condidit Monaſterium ille Za-

(a) Berth. Conſt. ad an. MXCII. ap. Urſtis. ſic habet: *Principes Alemanniæ - - fratrem Gebhardi, Conſtantienſis Epiſcopi Bertholdum de Zaringen Ducem totius Sueviæ conſtituerunt, qui nondum aliquem Ducatum habuit, etſi jam dudum nomen Ducis habere conſuevit.*

(b) Schann. Vindem. pag. 163.

(c) Berth. Conſtant. loc. cit.

(d) Anon. Fragm. apud Urſtis. Par. II. pag. 83.

ringenſis Bertholdus, qui Gebhardi frater fuit, id eſt, Bertholdus II. Gener Rudolphi Anti-Cæſaris: proinde Bertholdus Conſtantienſis affirmans, anno MXC. Bertholdum filium Rudolphi mortuum fuiſſe, una agnoſcit, & filium fuiſſe Rudolpho Bertholdum nomine, & in ſua ſententia, non fuiſſe ab ſe nomen Filii pro Genero ſumptum. (a)

Rudolphum Reinfeldicum Anti-Cæſarem habuiſſe filium Bertholdum nomine, Paulus Bernriedenſis Biographus S. Gregorii VII. (b) aliique Scriptores (c) exerte teſtantur. Auctor Apologiæ pro Henrico IV. ſic habet: *Bertolf filius Rudolfi, Regis quondam Saxonum, in ipſo juventutis flore defunctus eſt.* Hunc Pater haud dubie in Alemanniæ Ducatu ſibi ſucceſſorem præ Bertholdo Genero deſtinaverat, ſed cum filius firmatæ nondum eſſet ætatis, datus ei forte fuit a Patre Tutor, Bertholdus II. Zarin-

---

(a) Idem habet Dan. Cornides, cum hac tamen differentia, quod pag. 8. pro ſua in Religionem Catholicam, & Religiolos Ordines adfectione, hoc eſt, ex utriuſque implacabili odio videatur mihi inſignita licentia bacchari. Non enim erubeſcit Monaſticos Annalium Compilatores *Umbraticos* vocare. Pudeat hominem ex convitiis auram captantem, tam atrocis, atque improbæ ſententiæ. Quis, ſi modo a limine ſalutavit Hiſtoriam, tam hebes eſt, ut ignoret, Monachorum in primis medii ævi, authoritate maximam hiſtoricæ veritatis partem ſtare? & iſti Cornideſio umbras quærenti, *Umbratici ſunt.* Revocet, cui libet, ejus libellum in examen, & citra ambages comperiet, maximam mercium ſuarum partem ab his Monachis mercatum fuiſſe: horum fide, ubi vel modicum bene ſcribit, nititur: horum fide me impugnat; horum fide etſi ſæpius turbide & fallaciter ſua tueri ſatagit. Certe in hac ipſa de Bertholdo Zaringenſi quæſtione, ut plurimum Ottonis Friſingenſis, & Hugonis Flaviniacenſis auctoritate triumphare ſe putat: & tamen uterque Monachus fuit. Ille quidem Ordinis Ciſtercienſium Morimundi in Burgundia Abbas, poſtea Epiſcopus Friſingenſis: iſte vero Benedictinus Flaviniaci, itidem in Burgundia Abbas. Et nihilominus audet hos veritatis egregios teſtes, *Compilatores umbraticos* non ſat urbane vocitare? Talia ſcilicet monumenta Genealogiam Regum Hungariæ illuſtrant. Actum eſt cum Hiſtoria, ſi plures Scriptorum tam abominanda licentia utantur. Etſi vero id providenter faciat Cornideſius, ita enim omnia ex coævis licet Monachis ſumpta teſtimonia, quæ ſibi adverſa eſſe ſentiet, facillime ſemper eludet: at nihilominus Eruditis nunquam non bilem, atque ſtomachum movebit, quos non poteſt latere, ad ſinceritatem veterum Hiſtoriarum Monachos plurimum contuliſſe. Sed vel redarguere hominem Novitium, adeo inverecunde ſcribentem, pudet, & tædet.

(b) Bernr. in vita Gregorii VII. ap. Mabillon. Act. SS. Benedicti. Sæc. VI. Par. II. pag. 453.

(c) Berch. Conſtan. ad an. MLXXXIV. MLXXXVI. MXC. & cæteri, alias relati graves Scriptores.

ringiæ Dux, qui cum Sorore ejus Agnete in matrimonio vixerat. Imo vero Bertholdus Rudolphi filius, etsi teneræ etiamnum ætatis, post Patris sui mortem Sueviæ Ducatum adversus Fridericum Hohenstaufium sibi vindicasse videtur. Annotat enim Bertholdus Constantiensis, eundem Rudolphi Regis filium a fautoribus Henrici IV. Imp. bello petitum esse, atque in castro suo oppugnatum, sed a Suevis suarum partium obsidione liberatum, verba illius (a) sunt: *Nihilominus ut & Suevi ultra Rhenum Burgundicum expeditione proficiscuntur, & quoddam Castellum Bertholdi Ducis filii Regis Rudolphi a fautoribus Henrici obsessum viriliter eripuerunt.* Hic Rudolphus Anno MXC. mortuus est: ejus mortem Bertholdus Constantiensis hisce expedit: *Bertholdus Dux Alemanniæ filius Rudolphi Regis, in fidelitate S. Petri, Mayo mense diem extremum clausere -- Soror quoque præfati Ducis Regina Ungarorum, eodem mense obiit.* (b) Mortuo an. MXC. Bertholdo Rudolphi filio, Suevi in Bertholdum II. Zaringensem, ejusdem Rudolphi generum, & illius affinem, qui etiam in Comitatu Reinfeldensi uxorio jure successisse traditur, (c) fuere proclives. Unde biennio post a Principibus Sueviæ solenni electione Dux fuit renuntiatus: promovente rem in primis fratre Bertholdi II. Gebhardo Episcopo Constantiensi. (d)

Hæc, nisi me omnia fallunt, adeo evidentia, & velut manu contrectabilia sunt, ut qui porro negare fuerit ausus, Bertholdum Anno MXC. mortuum, filium Rudolphi Comitis Reinfeldensis fuisse: Adelhaidem hujus Sororem, adeoque ejusdem Rudolphi filiam S. Ladislao Regi nupsisse: Bertholdum II. Zaringensem pariter generum Rudolphi, & affinem S. Ladislai fuisse: Bertholdum vero Constantiensem, & cæteros Synchronos Scriptores nomen filii in sensu proprio accepisse: qui, inquam, ista negare ausus fuerit, illum sane jure meritoque non modo obstinatissimum, sed & Auctorum testimonia pensare ignorantem pronuntiabimus. Non sum quidem nescius, reperiri Scri-

(a) Bertholdus Constant. ad an. MLXXXIV.
(b) Berthol. Constan. ad an. MXC.
(c) Stumf. Chron. Helvet. Lib. VII. Cap. XXIX.
(d) Berth. Constan. ad an. MXCIII.

ptores, qui existiment, Bertholdum illum, qui Anno MXC. testibus laudatis quinque Synchronis, e vita excessit, Zaringensem fuisse: Verum hic error illis ex confusione Bertholdi, filii Rudolphi Anti-Cæsaris, cum Bertholdo Zaringio obrepsit: non tamen omni venia digni sunt, eo, quod tot præclaros, eosque æquævos Scriptores, aut consulere neglexerint, aut sequi noluerint.

Invictum Cl. Schöpflini argumentum id etiam docet.

Ex his illud quoque consectaneum est, quod Crito noster Ottonem Frisingensem, ut jam docui, non intellexerit. Interim, etsi omnino admitteremus, Frisingensem Constantiensi e diametro contraria scripsisse, graviter tamen peccat Adversarius, quod illum huic præferat. quodque hujus testimonium detorqueat, luxet, depravet. Nam Bertholdus Constantiensis Ottone Frisingensi non modo antiquior est, ille enim obiit MCX. iste MCLVIII. verum & rebus gestis, speciatim prælio Anni MLXXXVI. ipse interfuit (*a*) illisque temporibus Constantiæ fuit cum Gebhardus Bertholdi II. frater ibidem Episcopum ageret. (*b*) Adeoque etsi nullus alius adesset, adsunt autem præter illum quatuor alii itidem Synchroni, fidem præ Frisingensi meretur.

Id advertit celeberrimum nostræ ætatis Scriptorem, Historiographum Franciæ, Danielem Schöpflinum, qui singulari prorsus eruditione Historiam Zaringo-Badensem conscripsit, quique mihi pleraque, quorum memineram, suppeditavit. Iste Bertholdum Constantiensem cum Ottone Frisingensi comparans, diserte affirmat, illum, velut rebus gestis præsentem, Suevicarum, & Zaringensium rerum quam maxime gnarum fuisse; Guelphicisque Bertholdi II. & Gebhardi partibus addictum. De hoc vero isto verborum tenore (*c*) scribit: Otto Frisingensis a Bertholdi II. Ducis temporibus paullo remotior, in ipsa Bertholdi,

---

(*a*) Berth. Const. ad h a.

(*b*) A Gebhardo Constantiensi Episcopo Presbyterum se ordinatum dicit. ad a. MLXXXIV.

(*c*) Schoepfl. Histor. Zaringo-Baden. Tom. I. Lib. II. Cap. II. §. III. pag. 70. & 71.

di, & Zaringenſium Hiſtoria non ſemel hallucinatus, interdum dubius hæret. Poſtquam enim Ducatum Sueviæ, quem Bertholdo II. Genero Rudolphum Anti-Cæſarem conceſſiſſe vult, ab Henrico IV. Imperatore in Fridericum Staufenſem dixiſſet collatum; mox ſubjungit: *ne multis morer* (Fridericus) *Bertolfum tandem pacem petere coegit, quod tamen quidam ſub filio ſuo Friderico factum tradunt.* Ignoravit ergo Otto Friſingenſis novam illam Bertholdi II. electionem, quam An. MXCII. contigiſſe indubium eſt. Ignoravit transactionem, quæ poſt annum MXCII. evenit: incertus, an res ſub Friderico I. Duce, an ſub ejus filio Friderico Luſco evenerit. Idem Otto Friſingenſis Bertholdos Zaringios, nunc Carinthiæ, nunc Sueviæ Ducatuum poſſeſſores, nunc in Rectoratu Burgundiæ ab ipſis Imperatoribus conſtitutos, titulum Ducalem falſo ſibi arrogaſſe, eoſque nullum unquam habuiſſe Ducatum perſcribere auſus eſt. Nec mirandum profecto, ſi Gibellinis partibus addictus Otto, Bertoldis, Guelficas plerumque partes ſecutis, fuit iniquus. Fuit enim Conradi III. Imperatoris frater uterinus, Friderici II. Imperatoris patruus. Erravit quoque Capite VIII. ubi Lemannum Lacum, fluvium appellat, imo cum Lemago flumine aperte confundit, quod prope Turegum ex Turicenſi lacu profluit. Sic etiam ignoravit Otto, tertium Epiſcopatum, quem An. MCLVI. Fridericus I. Imperator pro Comitatu Burgundiæ Bertholdo IV. conceſſerat. Ipſum Burgundiæ Regnum a Rudolpho III. Rege Imperatori Henrico Conradi filio teſtamento relictum fuiſſe, ſcribit, & Rainaldum Burgundiæ Comitem, Friderici I. Imper. Socerum, omne hoc Regnum tenuiſſe, falſo aſſerit. His probe perpenſis, pronuntiare non dubito, Ottonem Friſingenſem, virum alias egregie doctum, Bertholdum II. Zaringiæ Ducem cum Bertholdo Rudolphi Anti-Cæſaris filio præcipitanter confudiſſe, quod aliis quoque junioribus non paucis evenit, nominis ſimilitudine deceptis. Huc uſque ad verbum Schöpflinus. (*a*)

(*a*) D. Cornides poſtquam in me uſque ad ſatietatem commota bile declamaſſet, Virum ab editis varii argumenti compluribus, iisque eruditiſſimis Voluminibus celeberrimum Schöpflinum indignum in modum laceſſit. Monendus autem Lector eſt, Cornideſium hoc labore ita defunctum eſſe, ut falſimoniæ jure inſimulari poſſit.

Nihil proinde est, cur Adversarius noster cum quinque recensitis Synchronis Scriptoribus, & speciatim Bertholdo Constantiensi, in scribendo diligentissimo, veritatisque studiosissimo, Ottonem Frisingensem in pari authoritatis gradu locet. Nihil est, cur propter Ottonis, quem non intellexit, aut petperam prætulit, testimonium, Bertholdum Constantiensem depravet, quasi is ignari vulgi loquendi methodo deceptus, *Filium* pro *Genero* nominasset. Nihil est, cur rejectis æquævis Scriptoribus, neget Rudolphum Anti-Cæsarem, filium quoque Bertholdum, & filiam Adelhaidem, S. Ladislao Regi nuptam, habuisse. Nihil est, cur Bertholdum Anno MXC. mortuum, filium fuisse Rudolphi inficietur: imo istum Bertholdum II. Zaringensem fuisse affirmet. Hoc solo elisо: certissimum evadit, & Adelhaidem Rudolphi filiam S. Ladislao nupsisse, & fratrem fuisse Adelhaidis Bertholdum illum, qui teste Bertholdo Constantiensi Anno MXC.

---

fit. Nam ea solum momenta profert, & refellere nititur, quæ Schöpflino secundi duntaxat ordinis sunt: ea vero, quæ prorsus solida, & tantum non evidentia sunt, alto silentio præterit. Cur id? quia illis aliquem se posse opponere fucum putavit: ista irrefragabilia esse sensit, adeoque astute declinavit: quod cordati Scriptores non faciunt, sed & ad vanos Vitilitigatores remittunt. Et revera Schöpflini pro Bertholdo Rudolphi filio argumenta tam fortia sunt, quod mea narratio demonstrat, ut nemo unus sit par iis dissolvendis, nisi una omnem Historicam fidem convellere velit. Sed lustremus paullum, quam scite procedat Cornidesius. Scribit pag. 12. Schöpflinum Pauli Bernriedensis testimonium induxisse, ut existimaret Bertholdum Anno MXC. mortuum, Rudolphi filium fuisse. Verum est provocat ille etiam ad Bernriedensem, sed ad id credendum & affirmandum Bernriedensis testimonio inductum fuisse falsissimum est: plus sane tribuit ille quinque Synchronis Authoribus, cæterisque manifestissime probantibus Documentis, quam Bernriedensi suppari, quanquam istius quoque testimonio nitatur: idcirco Cornidesius hic quidem viam vulpeculæ tenet. Deinde pag. 14. in Bernriedensem intemperanter invehitur; nescire enim se ait, an illi tuto fides haberi possit, quia, inquit, *Rudolphi res paucis, & obiter solum persequitur, ac sæpicule etiam exerrat.* Viden' ideo illi fides tuto haberi nequit, quia res Rudolphi paucis persequitur: quasi vero deberet verbosis major fides haberi. Et nonne ille vitam Gregorii VII. scripsit? igitur res Rudolphi memorare eas solum, quæ cum Gregorii rebus connexæ sunt, necessum habuit. *Sed sæpicule exerrat*: At nondum ego vidi Historiarum Scriptorem, qui lapsus nunquam fuerit. Nonne Ottoni Frisingensi Cornidesius ut polypus saxo, adhæret? & tamen ille, ut retuli, in ipsa quoque Bertholdi & Zaringensium Historia non simplici vice hallucinatus est. Quid fiet Cornidesio, si, illud constabiliatur? nuspiam sane illi fides haberi poterit; in sua enim opella non modo sæpissime exerrat, sed & variis errores pigmentis, atque falsimoniis vestitos prorsus frequenter propinat: quod jam vidimus & uberius visuri sumus.

MXC. e vita migravit. Eliditur autem præter ea, quæ hucusque attuli, *authentico*, quod ajunt, Documento. Istud manifeste demonstrat, non fuisse Bertholdum II. Zaringensem, Generum Rudolphi, Anno MXC. mortuum, quin potius etiam Anno MCIX. inter vivos egisse. Juvat Tabularum partem huc pertinentem promere. Sic autem habent: *In nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis. Notum sit - - quod Vir summæ nobilitatis Dux Bertholdus, cum Uxore sua bonæ memoriæ Agnete, hoc annuente & rogante Reverendissimo Constantiensi Episcopo Domino Gebhardo ejusdem Ducis Germano, inter cætera liberalitatis suæ opera quemdam locum - - Dux præfatus secum revolveret, quod egisse - - in vigilia Ascensionis Domini cum filio suo Domino Rudolpho advenit pacificus, videlicet ea, quæ injuste commiserat, correcturus. Igitur in sequenti die ipsius solemnitatis ad Monasterium procedens in conspectu Ven. Abbatis Domini Epponis, & Fratrum circumstante non parva, quæ tali die convenerat, plebe, Reliquiis Sanctorum apportatis, prædium, quod abstulerat, humiliter reddidit. - - Aderant eodem tempore cum Duce præter Vulgus alîqui nobilium virorum, quorum nomina hic conscripta sunt in rei gestæ testimonium, Hugo de Tannege, Walto de Pforron, Marcwart de Nedlingen, Erneſt de Steine, Harpertus de Wilheim, Immo de Inse. Actum ante Basilicam S. Petri. Anno ab Incarnatione Domini MCVIIII. (a).* Isthinc certissimo liquet I. Bertholdum Ducem, dum hæc agerentur, vixisse. II. Hujus Bertholdi Uxorem fuisse Agnetem, quæ tum jam e vivis abierat. III. Ejusdem Bertholdi fratrem Germanum fuisse Gebhardum Constantiensem Episcopum. IV. Istum Bertholdum habuisse filium Rudolphum. V. Hunc Bertholdum Ducem in vigilia Ascensionis Domini Anno MCIX. ad Monasterium S. Petri advenisse. Atqui hæc omnia in nullum alium, quam in solum Bertholdum II. Ducem Zaringiæ cadere possunt: nam manifestum est, I. Istum Bertholdum filiam Rudolphi Anti-Cæsaris, Comitis Reinfeldiæ, Agnetem Uxorem duxisse. II. Ex hac præter Bertholdum III. & Conradum, etiam Rudolphum filium suscepisse. III. Hujus, & nullius alterius Bertholdi

(a) Ap. Schöpfl. in Cod. Diplom. Hist. Zar. Bad. Tom. V. §. XVII. pag. 36.

tholdi fratrem *Germanum* fuiſſe Gebhardum Epiſcopum Conſtantienſem. Igitur ut evidens eſt, in his Tabulis Bertholdum II. Ducem Zaringenſem Rudolphi generum indicari, ita pariter evidens eſſe debet, hunc Bertholdum II. Anno MCIX. adhucdum in vivis egiſſe: atque adeo quod hinc conſectaneum eſt, evidenter falſum eſt, Bertholdum II. Zaringenſem Anno MXC. mortuum fuiſſe: ac omnino perperam, & inſcite teſtimonium Bertholdi Conſtantienſis, aliorumque Synchronorum Scriptorum detorqueri, depravarique. *(a)*

II-

(a) D. Cornides pag. 16. Veriſimillimum eſſe ſibi perſuadet, quod, etſi Rudolfus filium Bertholdum habuiſſet, is tamen Patri præmortuus eſt. Id inde probare vult, quia Rudolfo Anno MLXXX. cæſo, hortatu Pontificis Hermannus Lützelburgenſis ſuffectus, Imperatorque proclamatus eſt: quod Pontifex facturus non erat, ſi filius Rudolphi ſuperſtes fuiſſet. Hem! egregium argumentum! & quis unquam vel per ſomnium affirmavit, Comites Reinfeldenſes ſeu Duces Sueviæ ea ætate *Hæredes* fuiſſe Imperii Germanici? huc enim Cornideſii Logica redire debet. Quin imo ipſe Rudolfus declaravit, non eſſe ſibi animum, ut filio ſuo Hæreditas conſtabiliatur. Quod Paulus Bernried. ap. Gretſer. in vita Gregorii VII. Tom. VI. pag. 135. his expedit: *Rudolphum Ducem Suevorum fruſtra multum renitentem, in Regia dignitate ſublimaverunt - - qui utique Regnum non ut proprium, ſed pro diſpoſitione ſibi creditum reputans, omne Hæreditarium jus in eo repudiavit, & vel filio ſuo ſe hoc adoptaturum fore penitus abnegavit: juſtiſſime in arbitrio Principum eſſe decernens, ut poſt mortem ejus libere, non magis filium ejus, quam alium eligerent, niſi quem ad id culminis ætate, & morum gravitate dignum inveniſſent.* Ut igitur filio Rudolphi jus ſucceſſionis non ſuffragabatur, ita poſt mortem Rudolphi poterat Pontifex ſine ullius injuria Hermanno præ Bertholdo favere. Idem Bernried. ibid. pag. 157. poſtquam retuliſſet Rudolphi Legatorum in Synodo Romana Anni MLXXX. propoſitas querimonias, reſponſum Pontificis recitat, qui inter alia hæc dixit. *Rex Rudolphus feſtinanter ad me miſſo nuntio indicavit, ſe coactum Regni gubernacula ſuſcepiſſe, tamen ſe ſe paratum mihi omnibus modis obedire. Et ut hoc verius credatur, ſemper ex eo tempore eundem ſermonem mihi miſit, adjiciens etiam filio ſuo obſide, & fidelis ſui Bertholdi filio, quod promittebat, firmare.* Itaque, ut ex his patet, Filium Rudolpho Patri non fuiſſe præmortuum; ita omnia ea, quæ hac de re Cornideſius, inani contentione declamat, ſuapte corruunt. Proinde favit Pontifex Hermanno præ Bertholdo, quia exiſtimavit illum conatibus Cæſaris Henrici ſecurius, fortiuſque reſiſtere poſſe, quam Bertholdum admodum teneræ ætatis Ducem, adeoque illum potius ad Coronam Imperii ſublimandum cupivit. Certe Author Apologiæ pro Henrico IV. teſtis eſt, Bertholdum filium Rudolphi *in ipſo juventutis* flore defunctum eſſe. Jam: ſi Anno MXC. Bertholdus in ipſo juventutis flore fuit, utique Anno MLXXX. quo Pater ejus Rudolphus occubuit, pene infans eſſe debebat, atque ideo ad tuendam contra Henrici molitiones Eccleſiam omnino impar. Quid ergo mirum, quod Gregorius Hermanno præ Bertholdo faverit, tanto magis quod iſte Hæres Imperii haud fuerit. En! tam ſolida ſunt Cornideſii argumenta, & tamen ubivis velut triumphans ſcribit. Pergit porro nervos intendere, ut oſtendat Bertholdi

Illud adhuc hic non omisero. Scripseram, (a) Pacta inter Paschalem II. P. P. & Henricum V. Imper. Anno MCXI, inita fuisse. Hypercriticus noster, cui nihil rerum mearum placet, acerbissimam in me censuram contorsit (b) hisce verbis: *Pacta hæc ad Annum MCX. pertinere, non item, ut Adversarius vult, in Admonitione errores suos nimis operose excusans, ad Annum MCXI. quo pacta juramento a singulis obsidibus firmata sunt.* Erudite, me hercle! pessime posthac Jurisprudentiæ consultum erit. Errasse videor Viro docto, quod Annum MCXI. quo pacta sponsorum juramento confirmata sunt, atque adeo quo Tractatus Pacificationis inter Papam, & Cæsarem absolutus, consummatus, publicatusque erat, consignaverim: quasi vero pacta,

Pacta inter Paschalem II. & Henricum V. A. MCXI inita sunt, non vero MCX. ut Adversarius vult.

tholdum, si quis fuit, Patri Rudolpho præmortuum fuisse: ait enim ex Ottonis Frisingensis testimonio liquere, ab Rudolpho Ducatus Sveviæ *Hæredem* non filium, sed Generum Bertholdum Zaringensem scriptum fuisse. Id equidem tam falsum est, quam quod falsissimum. Nuspiam sane Otto affirmavit, Bertholdum Zaringensem *Hæredem* scriptum fuisse; imo si modo intelligatur, non fuisse *Hæredem* scriptum, adstruit. Sic enim habet: *Bertholdus Ducatum Sueviæ tanquam a Socero sibi concessum usurpat.* Item Cap. VIIi. *Ducatum Sueviæ Bertholdus invasit.* Quis erit jam tam excors, ut credat, ab Rudolpho Bertholdum Zaringensem Ducatus Sueviæ *Hæredem* scriptum fuisse, a Frisingensi perhiberi? Iste profecto Vir doctus fuit, ideo si Zaringensem constitutum fuisse *Hæredem* dicere voluisset, certo non dixisset; Bertholdus Ducatum Sueviæ *usurpavit*, *invasit*, quod Hæreditatis juri e diametrò oppositum esse liquet; Hæres enim suam hæreditatem non *usurpat*, non *invadit*, verum legitime adit. Hinc ex ipsiusmet Ottonis Frisingensis verbis non obscure confit, Rudolfum post se filium reliquisse quidem, sed qui ob imbecillem ætatem nondum par erat regendo Ducatui, ideoque a Patre Tutor ei datus fuit Bertholdus Zaringensis, qui ex Frisingensis sententia Ducatum Sueviæ, *tanquam* a Socero sibi concessum, hoc est, sub obtentu, tanquam si hic Ducatus illi a Rudolfo datus fuisset, *usurpavit*, *invasit*. Frustra igitur, nec peritissime obnititur Cornidesius Cl. Schöpflino existimanti Zaringensem Bertholdo a Patre Rudolpho Tutorem datum fuisse. Hoc ut evertat, audacter pronuntiare non veretur pag. 18. Bertholdum filium Rudolfi, si quem habuit, ab obitu Patris grandiorem natu fuisse, quam ut ei Tutore opus fuerit. Id, ut nobis persuadeat, ex solius, ut fere solet, arbitrii legibus depromptæ conjectationis suæ, hanc reddit causam: quia videlicet Mathildis Uxor Rudolphi Anno MLX. obiit; igitur antea filius illi nasci debuit, ideoque dum Pater ejus Anno MLXXX. occubuit, ætatis XX. Annum filius excessit, nec Tutore indiguit. Rem evictam Bonus daret, si docuisset, Rudolfum mortua Mathilde usque ad obitum Viduum permansisse: docebit autem ad Calendas Græcas. Sed satis sit in refellendis futilibus id modi argumentis tempus perdidisse. Reliqua ejus, aut eadem cum Prayanis sunt, aut ita absona, ut ea ne dum refutare, quin vel referre indignum sit.

(a) Disser. de S. Ladislao. pag. 119.
(b) Diatr. pag. 99.

& contractus non tum vim obligandi acciperent, cum consummantur: non tum inirentur, cum subscribuntur: non tum Partes invicem conciliarent, cum terminantur, atque concluduntur: sed tum, cum inchoantur, &, ut nostri loqui amant, *incaminantur*: ad eum plane modum, quo exempli causa dicimus: Petrus Anno MDCCLXXX. causa cecidit, etsi *Processus* ante annos XX. inchoatus fuerit. Verum hæc ad Juris scientiam pertinent: unde suadeo, adeat Noster Scriptores legum peritos, & ea præprimis legat, quæ illi de *pactis nudis*, & *vestitis* scripserunt, & nec dubito desinet porro hujusmodi jejunis, & Juris consultis risum excutientibus crisibus operose vacare.

Cæterum non modo adversus Legum notitiam Crito noster palpabili lapsu peccat, verum etiam in Chronologiam impingit. Nam re ipsa Pacta illa omnimode ad Annum MCXI. pertinent, quo & inchoata, & terminata, juramentoque confirmata sunt. Audiamus de his Scriptores Italicos, quibus ea maxime cognita esse debent. Sigonius (a) scribit, Henricum in die Epiphaniæ Domini Principibus Imperii Ratisbonam ad colloquium evocatis declarasse, se in Italiam trajicere velle: acceptoque ab illis Sacramento, & literis per Provincias Germaniæ missis, profectionem in Julium Mensem indixisse. Tum exercitu in duas partes diviso, unum ipse Henricus per montem Jovis duxit, alterum per vallem Tridentinam ire jussit (b) ac demum, superatis Alpibus, Eporœdiam venit, Novariam incendit, Cremonam accessit, Brixionam S. Martini Gavardici Arcem expugnavit, Veronam processit, trajectoque Pado, Castra ad Placentiam fecit. Inde post dies XX. Parmam versus digressus, venit ad Tarum, ubi Mathildis potentiam veritus, missis ultro citroque Legationibus, pacem postulavit, & impetravit. Post, Parmensi agro relicto, per Montem Bardonis, agrumque Mutinen-

(a) Sigon. de Regn. Ital. Tom. II. Lib. X. Pag. 622. ad an. MCX.

(b) Donizo Lib. II. Cap. XVIII. expresse refert Henricum ineunte Autumno in Longobardiam ingressum esse:

Ipse manu fortem coadunans mox in eodem
Scilicet Anno, cum multis galeatus in O tu
Autumni venit, Longobardosque peremit.

nenſem *difficile Apennini jugum ſæviſſima hyeme cum maximo exercitus detrimento trajecit, & poſt dierum L. ſpatium, in Montibus emetiendis conſumptum, tandem, rebus omnibus conflictatus, Florentiam ſub dies Natalitios venit*, ibique feſta peregit. Hæc Sigonius ad Annum MCX. Viden' Annum MCX. moleſtæ profectiones, Urbium, & Caſtrorum expugnationes, cæteraque non modicam moram poſcentia impedimenta, ita abſumpſerunt, ut Henricus cum XXX. millium exercitu uſque diem XXV. Menſis Decembris non ultra Florentinum agrum profectus ſit: & ad hoc tempus prorſus nihil in negotio Pacificationis inter Paſchalem & Henricum ſtabiliendæ, actum fuit: Idem Sigonius confeſtim porro ad Annum MCXI. ſcribit: Florentia Henricus Aretium contendit; ejusque Muros, & Turres evertit. Hinc primum Legatos ad Pontificem miſit, qui pacis negotia inchoarent: hos inter, ac Petrum Leonis, cæterosque Pontificis Legatos conventum eſt. Reliquis conditionibus adjectum fuit, ut Bertulfus quoque Bertulfi Ducis filius inter vades & ſponſores eſſet. Deinde obſidibus datis, acceptisque, conditiones pacis Sacramento interpoſito confirmatæ ſunt. Hæc rurſum Sigonius. Cupio Adverſarius iſta, ut prudentem Criticum decet, recto examine libret, &, ſi modo virilem animum gerit, certiſſimo comperiet, & Pacta illa omnino ad Annum MCXI. ut alias ſtatui, pertinere, & præpoſtera cenſura me ab ſe laceſſitum eſſe, ſciet.

Iſta eadem etiam Paſchalis II. P.P. Biographus *(a)* diſerte confirmat. Sic vero habet: Paſchalis II. *temporibus, anno videlicet MCXI. Pontificatus quoque ſui anno ſecundo, Indictione IV. Henricus IV. Teutonicorum Rex magno exercitu venit in Tuſciam & miſſis Romam in Porticu S. Petri nuntiis, cum Petro Leonis, & aliis Domini Paſchalis Nuntiis, hoc Pactum deliberatum eſt: &c.* Petrus quoque Diaconus in Chronico Caſſinenſi *(b)* teſtis eſt, Henricum IV. cum ingenti exercitu in Tuſciam Anno MCX.

(a) Card. Arag. ap. Murat. Script. rer. Ital. Tom. III. pag. 360.
(b) Chron. Caſſin. ap. Murat. Script. rer. Ital. Tom. IV. Lib. IV. Cap. XXXV. pag. 513.

veniſſe hyemis tempore, hoc eſt, ſub finem Menſis Decembris: inde vero Legatos, qui pacem cum Petro Leonis, cæterisque Paſchalis Papæ Nuntiis conciliare inciperent, & concluderent, etiam, Romam expedivit. Quod utique ante principium Anni MCXI. ne inchoari quidem, minus vero terminari poterat. Ex his cognoſcat Noſter, Pacta illa ad Annum MCXI. a me recte, riteque adfixa fuiſſe: ac una ſibi perſuadeat, quod dum intempeſtive me corrigere ſatagit, non ſatis periti Critici partes ſuſtineat.

§. XI.

Adverſarius ad res geſtas Henrici incaſſum confugit.

Cætera monumenta, ſcribit porro Noſter, (a) quæ adverſus filiam Rudolphi in Diſſertatione ſua adduxit, *Succenturiata* tantum & *ſecundi ordinis* fuiſſe. Hujusmodi illud erat: Ladislaum magnopere rationibus ſuis obturbaturum fuiſſe, ſi filiam Rudolphi Anno MLXXVII. ad iſtum enim Annum nuptias S. Ladislai locat, Uxorem duxiſſet, eo, quod & Gregorium Pontificem parum faventem habuerit, & metus eſſet, ne Henricus, Rudolphi æmulus, aliquid in Hungariam moliretur. Rectum habet Adverſarius, argumentum iſthoc ſuccenturiatum tantum eſſe, & quidem ſine omni omnino delectu. Nam ſi illud vel hili eſſet; conſequi oporteret, S. Ladislai Uxorem, neque Bertholdi Zaringenſis filiam eſſe potuiſſe, nam & iſte, & filius ejus Bertholdus II. Gregorii VII. fideles, & conſtantes amici erant, & Henrico IV. ut docui, infenſiſſimi; imo Bertholdus II. etiam Gener Rudolphi fuit; atque ideo S. Ladislaus perinde magnopere rationibus ſuis obturbaturus fuiſſet, ſi filiam Bertholdi I. & Sororem Bertholdi II. Ducum Zaringiæ Uxorem duxiſſet. Ut quid ergo opus erat tam longis canere tibiis? Illud quoque oppido probo, quod iſthæc momenta ſua *ſecundi ordinis* nominet, inde enim conficio, quod cum *primi ordinis* ejus momenta parum momenti habeant, hæc ſecundi ordinis evanida, nulliuſque momenti eſſe oporteat.

Cæte-

(a) Diatr. pag. 100.

Cæterum: ad iſta ego duo ſolummodo reſpondi: alterum, quod nuda prorſus conjectatio ſit, aſſerere: Si Ladislaus filiam Rudolphi Uxorem duxit, id in Annum MLXXVII. incidere debuiſſe: & revera nullus omnino veterum, imo ne poſterioris quidem ævi Scriptorum nobis in eo præluxit; idcirco hanc opinionem, nec rebus, nec tempori congruentem, velut commentitiam exploſimus. Unde ſicut S. Ladislaus filiam Rudolphi Anti-Cæſaris ante Annum MLXXVII. cum adhuc nec Henricus exauctoratus, nec Rudolphus, Rex electus fuerat, Uxorem ducere potuit; ita prorſus nihil rationibus ſuis obturbaſſet illo conjugio, tanto magis quod Rudolphus teſte Bertholdo Conſtantienſi (a) Anno MLXXIV, in Henrici amicitia fuerit: & Anno MLXXV. Henrico pugnæ ad Unſtruth (b) & Auctor, & rei non improſperæ geſtæ pars maxima fuit. (c) Sed etſi Conjugium iſthoc Henrico diſplicuiſſet, non erat ſane cur ob id S. Ladislaus rationibus ſuis *magnopere* obturbaſſet; quia videlicet non erat, cur Henrici Regis exauctorati, & vix ſua tueri potentis, iram, armaque expaveſcere debuiſſet. Alterum, quod ſcripſi id fuit: Gregorii VII. Litetis ad Nehemiam Archi-Epiſcopum Strigonienſem datis, nihil minus, quam non fuiſſe S. Ladislao Pontificem faventem, evinci.

Adverſarius his meis, ut & omnibus aliis, male contentus, *Togatum belli Ducem* me per ludibrium inclamat, & ait: *Quaſi Ladislaus certus fuerit ſe ex Henrico, ſi is Hungariæ ingrueret, victoriam relaturum.* (d) Aſt hæc non mea ſunt, nuſpiam ego talia; (e) ea propter tuto poſſum ea omnia, quæ de certa S.

(a) Berth. Conſtant. ad. h. a. ap. Urſtiſ. *Rudolphus Dux*, inquit *& cæteri reconciliantur Regi.*

(b) Bruno Monach. ap. Freher. Script. rer. Germ.

(c) Bruno Hiſt. belli Saxon. ap. Freher. Helmold. Chron. Sclav. ap. Leibnitz. addit, Rudolphum apud Saxones effeciſſe, ut ſe Henrico ſubjicerent.

(d) Diatr. pag. 101.

(e) Ridicula res! me Noſter carpit, quod ſcripſerim, non fuiſſe cur exauctoratum Regem timeret Ladislaus, quaſi his ego Ladislao certam victoriam adſtruere voluiſſem: at ille ipſe eadem pagina in eundem lapidem impingit, quoniam velut ex tripode pronuntiat: niſi Henricus Boſtaris Angliæ Regis molitionibus revoca-

Ladislai victoria occentans, mihi falso appingit, mirisque modis exaggerat, tanquam otiosa, & parerga silentio præterire: non tamen patitur ejus conditio, ut in his etiam hærere illum sinam, vel errare, in quibus aut ea callide, ut ostendam, dissimulat, aut innocenter allucinatur. *Et cur*, ita scribit porro, *dum Henricus ad Posonium, Salamon cum aliquot manipulis ad Nittriam erat, Ladislaus cum fratre Geisa, copias suas infra Vacium continebat, nec experiundæ aleæ copiam præbuit, si certus de victoria erat?* (a) Quam hoc frivolum est. Cur autem id fecerit Geisa? cum Cl. Prayo, & quibusvis ignarissimis pariter nescimus: licet tamen opinari, id eam ob causam factum fuisse, ut fervidiorem Salamonis animum mora temporis sanet, & præceps popularium sanguinis effusio antevertatur. Notum est An. MLXXIV. ab Henrico pro Salamone contra Geisam profectionem in Hungariam decretam fuisse: sed allato de Bostaris Angliæ Regis novis molitionibus nuntio, Henricus ad Rhenum, missis turbis hungaricis, properavit. Post brevi compositis Anglicis motibus reducem, Vormatiæ Salamonis Legati opem implorantes conveniunt. Henricus exorari se passus, eodem Anno Hungariam petivit. *Sed Geisa comperto ejus adventu, summa industria id operam dedit, ut in locis, in quibus irruptio hostis timebatur, nihil homines alimentorum, nihil animalia pabulorum reperirent: & sic ipse cum omnibus suis, in quandam Insulam, propter locorum difficultatem omnino hostibus inaccessibilem, se contulit. Exercitus Regis - - gravissima statim laborabat inedia - - qua necessitate compulsus Rex, nullo insigni facinore perpetrato, Hungaria excessit.* Hæc Lambertus Schaffnaburgensis (b) Scriptor Syn-

---

vocatus fuisset, Salamonem probabilius solio Paterno restituisset. Et quis illi ista suggessit? estne certus belli eventus? & probabilius restituisset? Non ego tamen ob hanc hariolationem illum Togatum belli Ducem facere ausim, nam id modi hariolationes, ut ego quidem reor, non modo belli Duces non promerent, sed ne Tibicines quidem.

(a) Nescio cur Noster addat: *Si certus de victoria erat?* ego talia mihi nec per somnium excidere paterer. Et nonne multum invicem differe ista duo: *Non est, cur timeat hostem*, & *certus est de victoria*, omnes, qui sanis oculis vident, norunt. Quapropter aut de istiusmodi certa victoria me non esse locutum scivit, & dissimulat, aut de ea etiam loqui putat debuisse, & hallucinatur.

(b) Lambert. Schaffn. ad. h. a.

Synchronus, & non indiligens. Videſis jam cauſam, cur Geiſa & Ladislaus fratres, dum Henricus ad Poſonium, Salamon ad Nitriam erat, id enim plane tum contigit, (a) copias ſuas infra Vacium continebant? ejecerunt videlicet prudenti conſilio e finibus ſuis hoſtem, quin ſuorum ſanguinem profundere neceſſum fuerit. Metus certe Pannicus, ut Noſter Geiſam & Ladislaum nimis pavidos facit, providæ illius ceſſationis non fuit cauſa. Fabius cunctando Romanam reſtituit rem.

Liquet hinc præterea, quam vere ſcripſerit, Noſter, Henricum, niſi Boſtaris Angliæ Regis molitionibus ad Rhenum fuiſſet revocatus, Salamonem *probabilius* Solio paterno fuiſſe reſtituturum. In qua, quæſo, officina hanc *probabilioritatem* mercatus eſt? imo vero ex ſecundo Henrici in Hungariam adventu fruſtraneo, *nullo enim inſigni facinore perpetrato Hungaria exceſſit*, prudens argumentum ſumere licet, primo ejusdem anni adventu Henricum Salamonem Solio paterno *probabilius* non fuiſſe reſtituturum. Si enim illum tum, cum Geiſa & Ladislaus toti perterrefacti ad Vaciam latitabant, ut Noſter vult, non poterat reſtituere, quin potius rebus infectis ad ſua redire coactus fuit: quî dicemus tum reſtituturum *probabilius* fuiſſe, cum Geiſa & Ladislaus majores forte habuerunt animos. Hæc quia Adverſarium latere non poterant, certe non debebant, invitus exiſtimo, illum, quando his adverſa garrit, multaque inaniter effundit, nuſquam non aut βαταζιζειν, aut βεγγαίζειν. (b) Cæterum dum hæc Noſter mihi objicit, antiquiora diphthera loquitur, & a ſcopo, quam longiſſime aberrat. Numquid enim ego de Anno MLXXVII. quo Henricus exauctoratus vix ſua tueri poterat, ſermonem habui? Proinde S. Ladislaus nulla juſta timoris cauſa agitari poterat. Ille vero, ut jam conſuevit, extra chorum, quod ajunt, ſaltat, & annum MLXXIV. mihi oggerit, quo Henrici res adhuc integræ erant, & Salamoni non modica pars Hungarorum adhærebat. Ita bonus Vir ubivis locorum extra argumenti rationes errores erroribus coronat; quod illorum eſ-

ſe

(a) Id ipſum affirmat Noſter in Annal. Tom. I. ad. h. a.
(b) *Aut nugari, aut ſincere non loqui.*

se solet, qui aut causam desperatam suscipiunt defendendam, aut non se labi posse, aliis persuadere perperam conantur. Quæ cum ita sint, quid mirum, si tam diversis itineribus ingressi, eandem ad metam non tendimus. Igitur præcipitem, quam tulit, censuram, revocare non erubescat.

Item ad Monachũ Erphesfordensem, qui illi aperte contrarius est.

At, at plane eodem impetu in me fertur Adversarius, dum prioribus confestim subjicit. *Quid Henricus inferre damni Hungariæ potuit, qui exauctoratus vix sua potuerit tueri?* hæc ego ajebam, post quæ relata sic ille: *Hoc reor non maximam illius temporis Historiæ cognitionem indicat. (a) Petamus hanc ex Monacho Erphesfordensi, qui Lambertum Schaffnaburgensem continuavit. (b)* Bene est! accepto consilium, adibo Scriptorem istum, & tanto majori cum lubentia, quanto certior sum, Adversarium ab eo palam conficiendum, proterendumque esse. Prius tamen subnotare juvat, omnino turpe, indignumque videri, ut tam acutus Hypercriticus, qualis est Noster, qui omnia ad strictas, adcuratasque perfecti Critirii regulas exigere sibi & proposuit, & venditat, neglectis plurimis Synchronis Authoribus, has ipsas res, & copiose, & perspicue pertractantibus, apud unum Erphesfordensem Sæculi XV. Scriptorem perfugium anxius quærat. *(c)* Iste igitur quatuor pugnas ab Henrico in Germania pugnatas narrat. Primam Anno MLXXV. ad fluvium Unstruth dictum, ubi Saxones fugam inierunt. Alteram Anno MLXXVIII. juxta Medelrichstat, ubi Henricus fugatus erat. Tertiam MLXXIX. pone Fladecheim. Quartam denique Anno MLXXX. juxta Olstram flumen, in quo Rudolphus Rex occisus est. Post relatam hanc Erphesfordensis narrationem scribit Noster in hæc verba: *Quis jam sibi persuadeat Henricum, qui prima pugna Saxones Rudolpho faventes*

(a) Diatr. pag. 101.

(b) Non video, quomodo Erphesfordensem Cl. Pray Continuatorem Lamberti Schaffnaburgensis facere audeat, utpote, qui CCC. & amplius Annis ab invicem distabant, ea propter neque Pistorius, ejus fidelis editor, illum Continuatorem Schaffnaburgensis appellat.

(c) Diatr. pag. 102.

tes (a) profligavit: altera, cum Rudolpho commissa, inferior: tertia æquato Marte discesserit. (b) Ex quarta autem, cæso Rudolpho, victor rediit, (c) non potuisse sua tueri? Quid faciam? utar bo-

(a) Videtur Noster causam, aut saltem occasionem pugnæ ad Unstruth Anno MLXXV. pugnatæ, repetere a favore Saxonum, Rudolpho præbito: quod tamen aperte falsum est, quin acerrimus hoc tempore propugnator Henricianarum partium contra Saxones erat Rudolphus. Is erat, qui, dum Moguntiæ Saxones per Legatos pacem peterent: *Regem, quatenus injuriam cum Deo, tum sibi, suisque Principibus universis contumeliose factam, non sine vindicta, dimitteret, instigavit, & ei se cum tota virtute, quam posset habere, promisit.* Hæc Brunonis Monachi Scriptoris plane coævi verba sunt. Sed & commentitium est ab Erphesfordensi vel verbulo commemorari, Saxones hoc tempore Rudolpho faventes fuisse. Petamus ista porro quoque a Synchronis Scriptoribus. Author Metricus de Bello Henrici IV. adversus Saxones ad Unstruth fluvium gesto, quem ipsis rebus actis interfuisse, & in Comitatu Henrici vixisse, nec dubitant Goldastus, Struvius, Heinecius apud Reuberum, de Rudolpho Reinfeldensi pro Henrico in Saxones pugnante, ita canit:

Primus init bellum, cogens in prælia secum
Suevos unanimes, Dux fortis in arma Rudolphus
Quos prius expertos Saxonica bella celebrat
Gloria quæsiti Carolo sub Rege triumphi
\- - - - - - -
Suevi, Bojoari, qui Regis in agmine primi
Extant, quos celebrat numerosis fama triumphis,
Præcurrunt celeres primique feruntur ad hostes.

Marianus Scotus itidem æquævus, qui teste Dodechino ejus Continuatore, qualem etiam Pistorius agnoscit, Anno MLXXXVI. obiit, de hac pugna ad An. MLXXV. ista habet: *In ista pugna Dux Suevorum Rudolphus - - exercitum Regis ducens, strenuissime dimicavit.* Lambertus Schaffnaburgensis pariter Synchronus hæc adnotavit: *Dux Suevorum Rudolphus ingrediens* (ad Henricum) *nuntiat - - Datum negotium est Duci Rudolpho, ut ipse cum suis prima acie confligat.* Unde Struvius in corpore Historiæ Germanicæ non obscure post Marianum Scotum indicat, Rudolpho summam exercitus Præfecturam in hoc bello Saxonico ab Henrico delatam fuisse. Sic enim pag. 310. scribit. *Rex igitur ex omni Germania exercitu comparato, & Duce militari utens Rudolpho Suevo.* Et nihilominus non veretur Noster prorsus immodica audacia scribere, quod Henricus in pugna ad Unstruth Saxones, *Rudolpho faventes* profligarit? Et istud non veretur Erphesfordensi Monacho falso allinere, ex hujus enim testimonio illud effici perperam existimat. Sciat itaque a Mariano Scoto, loco citato non aliam belli hujus Saxonici Anno MLXXV. gesti, causam reddi, quam quia Rex Henricus omnes Saxones servituti subjicere cogitabat.

(b) Rursum falsum est, quod Erphesfordensis scribat, ex pugna Anni MLXXIX. Henricum *æquato Marte* discessisse. Ille hæc solum notat: *Tertium bellum juxta Fladecheim commissum V. Cal. Febr.* E quibus sicut Henrici seu victoriam, seu cladem, ita profecto æquatum Martem ne fidiculis exquisiveris.

(c) Falsum denique est, ex Erphesfordensis testimonio extundi posse, Henricum ex quarta pugna juxta fluvium Olstram Victorem rediisse, etsi enim in ea

Ru-

na Adverſarii venia, ipſiusmet, quibus me hic & alibi perſtringit, phraſibus. Certe, tota hæc ejus declamatio non modo non maximam temporis ejus Hiſtoriæ cognitionem indicat, verum etiam aut narrationem Erphesfordenſis perfunctorie ſolum lectam, non intellectamve fuiſſe, aut dedita opera detorſam, depravatamque, liquido probat. Hoc poſterius notulæ imæ marginis expediunt, atque in luce ponunt: Prius vero ex Synchronis clariſſime oſtendo.

Marianus Scotus (a) deſcripta pugna ad Unſtruth flumen, hæc ſubdit: *Henricus ergo tantum vice victoriam habuit, licet cum dolo aquiſitam.* Helmoldus Bozovienſis, Sæculi XII. Scriptor (b) de hac eadem pugna iſthæc ad nos transmittit: *Cum non longe abeſſet pugna, factum eſt ex conſilio utriuſque partis, ut laudaretur pax uſque poſt biduum, ſperantes bellum pace ſopiri. Saxones ergo pace delectati, ſtatim exuerunt ſe armis, & diffuſi ſunt per latitudinem campi - - videntes ſpeculatores Regis, Saxones remiſſos & diſperſos. - - Itaque concitatus exercitus tranſmiſſo vado irruerunt ſuper quietos & inermes.* Monachus Herveldenſis (c) Scriptor contemporaneus, qui, teſte Grynæo apud Schardium, tempore ipſius Regis Henrici IV. vixit, hæc notat: *Quidquid in Regno Epiſcoporum erat, quicquid Ducum, quicquid Comitum - - omnes ſumma vi, ope, in hoc bellum eniſi convenerant - - Dux quoque Bohemorum aderat tanto ſtipatus agmine, ut ſe ſolum Saxonico bello ſufficere poſſe arbitraretur*: & poſt pauca addit: *Majus victores, quam victos tuliſſe diſpendium.* Eadem ferme refert Lambertus Schaffnaburgenſis, alii. Viden' Henricus ad fluvium Unſtruth non virtute, ſed dolo pugnavit; victoriam quidem de Saxonibus reportavit, ſed quam Marianus Scotus non aliter, quam *Vice-Victoriam* nominare auſus eſt; quia videlicet Sa-

---

Rudolphus Rex occiſus fuerit, victus tamen, ut in corpore narrationis doceo, receſſit Henricus. Proinde æquum Lectorem lubens volensque arbitrari patior, an argumentum ab Erphesfordenſi, quem, ut adeam, Noſter voluit, petitum, ſeu diligentiſſimam illius temporis Hiſtoriæ cognitionem, ſive Authoris noſtri intemeratam fidem prodat?

(a) Marian. Scot. Chron. ad an. MLXXV.
(b) Helmod. Chron. Slav. Lib. I. Cap. XXIX. ap. Leibnitz.
(c) Monach. Herveld. ad an. MLXXV. Tom. I. pag. 417. ap. Schard.

Saxones prius ſpe pacis deluſos, deinde imparatos oppreſſit, & diſſipavit verius, quam debellavit: & id quidem tum, cum Henrico præcipui Germaniæ Duces, & Principes auxiliares copias conjunxerunt: tum, cum Henricus nondum exauctoratus erat, & amorem diverſarum gentium necdum amiſerat. Quid ergo mirum, quod unam Saxonum gentem fugaverit? & illam non tam prælio, quam fraude fuderit? Aſt cum hæc pugna illo tempore, quo Henrici res non malo erant loco, hoc eſt, Anno MLXXV. geſta ſit, idcirco iſthoc Adverſarii argumentum extra Rhomboidem eſt, nec me ullatenus attingit, utpote qui ſcripſerim, nullam ſubeſſe cauſam, cur S. Ladislaus Henrici *exauctorati*, a Germaniæ Principibus maxima parte deſerti, atque jam etiam plebis odio afflati arma expaveſceret, rebusque ſuis magnopere obturbaret.

Miſſis itaque id modi parergis, videamus quid de reliquis tribus, ex Erphesfordenſi per Noſtrum deſumptis pugnis, poſt depoſitionem Henrici Cæſaris pugnatis, Synchroni Auctores commemorent? quid item patrocinii nanciſcatur Adverſarius ab Erphesfordenſi Sæculi XV. Scriptore? quid denique nobis his de rebus ſentiendum ſit? De ſecunda juxta Medelrichſtat Anno MLXXVIII. commiſſa pugna, Crito noſter poſt Erphesfordenſem recte ſcribit, videlicet, Henricum a Saxonibus fuſum fugatumque fuiſſe: cui ego, quo eorum narrationis fides plenior ſit, addo Monachum Herveldenſem. Iſte teſtatur (*a*) Henricum in lucro repoſuiſſe, quod aggreſſurus Saxones fluminis Mildæ repentina inundatione tempus & occaſionem nactus, ſe ſe in Bohemiam recipere, maturatoque reditu mæſtus & pœnitens Germaniam tenere potuerit. Tertiam pugnam juxta Fladecheim Anno MLXXIX. geſtam, e qua Noſter Henricum *æquato Marte* diſceſſiſſe, nobis perſuadere incaſſum contendit, Bruno (*b*) omnino Synchronus Scriptor ita deſcribit: *Exercitus*

(*a*) Idem ibid. pag. 433.

(*b*) Bruno de bello Saxonico ap. Freher. Tom. I. pag. 224. & 225. definitque in Anno MLXXXII. in Prologo ſic habet: *Bellum quod Henricus Rex cum Saxonibus egit, volo breviter & veraciter ſcribere, ſicut ab his, qui rebus intererant, potui cognoſce-*

tus uterque convenerunt in loco, qui Flathecheim vocatur. - - Saxones citiſſime converſi, hoſtibus - - & non ante quieſcunt, quam eos in fugam verſos ſibi terga monſtrare compellunt. Victores itaque Saxones reverſi, multas ſicut decebat, laudes referebant omnium bonorum Largitori. Bertholdus Conſtantienſis *(a) Iterum*, inquit, *Henricus poſt Epiphaniam cum exercitu in Saxoniam venire diſponens, a Rudolpho, VI. Kalend. Februarii fugatur. (b)* Quæ victoria Saxonum non modica fuerit, nam idem ſubnectit: *De qua expeditione Rudolphus ſtatim Legatum Romam ad Synodum direxit.* Audebitne adhuc Noſter, contra tot clara coævorum Scriptorum teſtimonia, prorſus nemine ſibi prælucente, obſtrepere: Henricum ex pugna juxta Fladecheim *æquato Marte* diſceſſiſſe? & id ex Erphesfordenſi? qui hujus æquati Martis ne verbulo meminit.

Quartam ad Olſtram fluvium pugnam contemporanei Scriptores taliter nobis proponunt. Marianus Scotus *(c)* ſic habet: *Bellum juxta Elſtra committitur a Rege Henrico Idus Octobris, in quo Rudolphus Rex occiditur - - Saxones vero Victoriam reportarunt.* Bertholdus Conſtantienſis: *(d) Henricus - -* inquit, *a militibus Rudolphi itinere unius diei fugatur, quamvis in ea-*

---

noſcere. Hiſtoriam ſuam Verinchero Epiſcopo Merſeburgenſi dedicat. Verincherus tamen iſte diſtinguendus eſt, ab altero ejusdem nominis Archi-Epiſcopo Magdeburgenſi: Uterque partes Rudolphi ſequebatur, ut ipſemet Bruno loco citato pag. 214. teſtatur hiſce verbis: *Exercitus ergo Saxonicus ad Methelrikeſtadt venit - - hoſtes interficiuntur - - Ex noſtris itaque primi fecerunt pugnam, qui nunquam venire debuiſſent ad pugnam, Epiſcopi ſcilicet unius nominis, ſed, ut ita dicam, non unius ominis. Uterque enim Verincherus vocatur, ſed Magdeburgenſis ab incolis illius patriæ interceptus, miſerabiliter occiditur, Merſeburgenſis vero deſpoliatus in Patriam nudus revertitur. Quod illi me non ad contumeliam, quisquis hoc legit, ſed dixiſſe putet ad gloriam, quod ab ipſius ore non ſemel audivi, quod ipſam nuditatem non tolerare nollet, pro pondere quolibet auri vel argenti.* Hæc ideo copioſius, ut appareat, quantam Bruno fidem hic mereatur. Hunc, ne quis in Verincherii nomine erraſſe putet, ſciendum eſt, Verincherum a Scriptoribus etiam Viſcelinum, Vecelinum, & Vernerum nominari: apud Bertholdum Conſtantienſem Vezel appellatur.

(*a*) Berthol. Conſtant. ap. Urſtis. ſed ad an. MLXXX. & hanc, & quartam pugnam refert.

(*b*) Confer. Chron. Reg. S. Pantaléon.

(*c*) Marian. Scotus. Chron. ad an. MLXXX.

(*d*) Berth. Conſt. ad an. MLXXX.

eadem congreſſione Rudolphus Rex piæ memoriæ occubuerit. Hugo Flaviniacenſis: *(a) Factum eſt,* ait, *prælium in Saxonia, in quo Rudolphus Rex occidit, & Henricus fugiendo victus eſt.* Bruno Monachus *(b)* ita ſcribit: *Henricus Caſtris in Eliſtra ripa locatis - - Ibi cum in tuto veniſſent, conſeruere manus - - Henricus autem - - ſe, ſicut ſolitus erat, in fugam dedit.* Chronicon Citizenſe *(c)* ſequioris quidem ætatis, ſed ex coævis Chronicis Saxoniæ hæc deſumpta refert: *Saxones triumpharunt Ottone Duce, licet Rudolphus Rex lethaliter vulneratus fuerit - - mortuus, cæde facta & Imperatore* (Henrico) *fugato cum ſuis, Saxones hoſtilia Caſtra pervadunt, & omnia, quæ ſunt inventa, diripiunt. - - Quidquid Unſtruth, ubi victi ſumus. in nos peccavit, Elſtrat pro nobis dupliciter vindicavit.* Hæc ſunt Synchronorum, adverſus quos nulla prudens exceptio locum habere poteſt, de tribus Anni MLXXVIII. MLXXIX. & MLXXX. Henricianis contra Saxones bellis, clara teſtimonia, e quibus manifeſto apparet, in primo, altero, & tertio Henricum a Saxonibus ſuperatum, victum, fuſum, fugatumque fuiſſe. En! ubique ſtrages, ubique clades, ubique fuga, & timor Henrici: Nuſpiam illa, quam Adverſarius obtrudit, victoria.

Quare, habeat ſibi, & abdat pulcherrimos triumphos, quos ſi porro oſtentare pergit, ſibi certo pudori & dedecori futuri ſunt. Verum, perſuadeo mihi, non audebit deinceps jactare, Henricum ex bello, juxta Fladecheim commiſſo, *æquato Marte* diſceſſiſſe: non audebit affirmare, Henricum ex pugna ad Oſtram fluvium *Victorem* rediiſſe: non audebit S. Ladislai, tot vararum Domitoris gentium gloriæ decerpere, atque tueri, Magnum hunc Regem Henrici Cæſaris exauctorati, & vix ſua ſervare potentis, iram, armaque extimuiſſe.

(a) Hugo Flaviniac. Chron. Verdun.

(b) Bruno de Bello Saxon. pag. 227.

(c) Chron. Citiz. ad an. MLXXX. quod ex Brunone ſumptum eſt, qui in hæc verba ſcribit: Saxonum *Dux Otto fortiter eos* (Henricianos) *adiit, & cito eos in fugam convertit. Omnibus ergo aut in flumen merſis, aut ultra fluvium fugatis: nunc, ait, Dux Otto, Caſtra ſecuri perquirite, nunc tuti quidquid inveneritis, accipite, & quidquid hodie fuit Hoſtium, veſtra virtute vobis præſtante, veſtrum vocate - - omnia illa noſtri ſimul diripientes, ad Caſtra ſua venerunt triumphantes.*

Henrici, inquam, qui in Italiam ad Romanum Pontificem profecturus. *Paucis*, verba sunt Chronici Germaniæ (a) *ante Natalem Domini diebus Spirensi Urbe discedens, cum Uxore, & filio parvulo iter aggressus est, nec quisquam ex omnibus Teutonicis vir eximius comitatus est Regno excedentem, præter unum, & ipsum nec genere, nec opibus conspicuum. Cumque impensis tam longi itineris egeret, multisque supplicaret, quibus, incolumi Republica, sæpe numero profuerat, pauci admodum erant - - necessitatem ejus aliquatenus relevarent. Eo miseriarum, & calamitatis ex summa gloria, summisque opibus repente devenerat.* Talis An. MLXXVII. fuit Henricus, quem Adversarius noster S. Ladislao adeo formidabilem expingit, ut eodem ipso Anno sibi ab illius potentia timere debuerit, ne videlicet suis, Regnique rebus *magnopere obturbaret.* Denique: non audebit severi supercilii Crito noster ex unius Erphesfordensis non recte, ut mitissime loquar, intellecto testimonio scribere, argumentum eatenus meum, fide Synchronorum Scriptorum subnixum, ex non diligentissima historiæ illius temporis cognitione petitum esse. (b) Hoc equidem ne si audacissimus sit, deinceps jactaverit. (c)

Henrici, Ladislai, Gregorii VII. res compendio perstringuntur.

Non fuit igitur, cur Ladislaus Henrici exauctorati, derelicti, eoque redacti, ut nec sua tueri potuerit, iram, armaque timeret. Verum, refragatur adhuc Noster, causamque renitentiæ (d) hanc reddit: *Quis sibi persuadeat Henricum, qui sequente Anno* (MLXXXI.) *obsedit Romam, non potuisse sua tueri? quando nemo facile aliena, & longinque posita, ut Roma fuit, impete-*

(a) Chron. Germ. cujus Author Monachus Herveldensis.

(b) Diatr. pag. 103.

(c) Prayus pag. 102. in Not. scribit, ex Libro Censuali Centii apparere, Henricum *in maxima potentia & manu robusta* contra Rudolphum processisse, & tamen maximam hanc potentiam unica Saxonum manus, vicit, fudit, fugavit, rebusque omnibus spoliavit. Etsi vero Henricus in rebus bellicis, ut vult glossa ad Urspergensem, strenuus fuerit, quod ultro concedo: interim solo strenuo, & generoso animo hostes non debellantur: ad pugnandum præter erectum Ducis animum etiam robur militiæ necessarium esse, Calones quoque norunt; istud nihilominus *strenuo* Henrico defuisse, sat superque ostensum est hactenus.

(d) Diatr. pag. 102.

petere ſolet, niſi Domi vires habeat (a) Papæ! & hoc exactiſſimam Hiſtoriæ cognitionem indicat? Rurſum nimium aberrat ille a janua, nos larvis non terremur: ſed, more noſtro, Henrici vires petimus ex Synchronis partim, *(b)* partim poſterioris ævi, ſed probatiſſimis, Scriptoribus. *Henricus igitur in Menſe Martio intravit Italiam,* verba ſunt Brunonis, *(c) Veronam in Paſcha venit, (d)* ubi Feſta celebravit, & diſceſſurus adjunxit ſibi Patavinos, & Cremonenſes, ut teſtis eſt Sigonius, *(e)* Ravennamque petiit: *& inde ad invadendam Romam cum ſuo non Apoſtolico, ſed Apoſtata Guiberto profectus. (f)* Cum per Hetruriam iter dirigeret, Florentiam Urbem nobiliſſimam oppugnavit, ſpe tamen Urbis potiundæ fruſtratus eſt. *(g)* Interea etſi Gregorius Papa Henricum Ravennam petere cognoverit, non tamen credidit auſurum Romam tentare, *(h)* ideo ſui ſecurus vixit. Aſt aliter evenit, nam Henricus cum Guiberto Romam venit circa Pentecoſten, caſtraque metatus eſt in prato Neronis. *(i)* Quid ad Romam egerit? Sigonius *(k)* eleganter his ex-

---

(a) Si Adverſarius tam ingentes vires Henricum Domi habuiſſe, ſibi perſuadet: Eccur, quæſo, Henrico nequicquam obnitente, eodem ipſo Anno MLXXXI. ut teſtis eſt Bertholdus Conſtantienſis, aliique, quo Romam obſedit, Hermannus adverſus Henricum in Regem electus eſt? Certe præ aliis omnibus Regiam Dignitatem tueri, ſi quid potuit, debebat. Unde ſatis liquet, quam vere ſcribat Noſter Henricum, eo, quod Romam obſederit, domi vires habere debuiſſe. Si habuit, ut Noſtro placet, ad debellandum S. Ladislaum ſufficientes vires, cur non habuit ad continendos in officio Germaniæ Principes? cur Hermannum ſibi opponi ſuſtinuit.

(b) Hoc loco monere juvat, Scriptores rerum Gregorianarum & Henricianarum ſeu coævi ſint, ſeu recentiores, cum delectu legendos eſſe.

(c) Bruno pag. 231.

(d) Berthol. Conſtant. ad h. a.

(e) Sigon. de Regno Italiæ Libro IX. pag. 584.

(f) Berth. Conſt. ad h. a.

(g) Scipio Ammiranus Lib. I. pag. 37.

(h) Id liquido docet ipſiuſmet Gregorii VII. ad Deſiderium Caſſinatem Epiſtola Lib. IX. Epiſt. XI. relata, quæ ſic habet: *Fraternitatem tuam Dilectiſſime, cognoſcere volumus, quod ſicut pro certo didicimus, Henricus dictus Rex in ſuburbanis Ravennæ moratur, diſponens, ſi poterit, Romam circa Pentecoſten venire. Quem certiſſime ſcimus ex Ultra Montanis, & Longobardis parvam manum habere. Audivimus autem, quod ex his, qui circa Ravennam, vel in Marchia morantur, paret exercitum, cum quo veniat, colligere: quod fieri minime credimus, quoniam nec ettam focum ab his, per quos tranſitum habet, habere poteſt.*

(i) Nicol. de Aragonia in Greg. VII. Cap. III. num. 12.

(k) Sigon. loc. cit.

expedit verbis: *Henricus cum Clemente ſuo Antipapa pridie Pentecoſtes Romam acceſſit, & Caſtris, Neronis in pratis, de more locatis, Urbem Leoninam obſidere, inſtituit. Verum ſagittis, lapidibusque a Romanis repulſus, nihil profecit. Itaque ad ſuburbana loca ſuccendenda converſus, Æde S. Pauli violata, cum ne ita quidem conatus deditionis eliciendæ ſuccederet, re infecta Ravennam in hyberna ſe retulit.* Id Bertholdus Conſtantienſis his pauculis expreſſit: *Macte reverſus eſt.* Venit itaque Romam Henricus plenus irarum, aſt gloriæ vacuus reverſus eſt.

Ex hac narratione tenemus: Henricum Patavinos, & Cremonenſes Pontifici infenſos (*a*) ſibi adjunxiſſe: cum iſtis Romam profectum adverſus Gregorium, quamvis ad reſiſtendum imparatiſſimum, prorſus nihil profeciſſe. Et iſte Henricus tantus ſit, ut S. Ladislaus vires ejus vereri debeat, & niſi vereatur, rebus ſuis *magnopere obturbet?* Non dicimus quidem Henricum toto, quod ſui exauctorationem ſecutum erat, tempore ita impotentem fuiſſe, ut omnes omnino vires amiſerit, nihilque rerum bellicarum tentare potuerit: verum id confidentiſſime aſſerimus, adeo attenuatum ejus militiæ robur fuiſſe, ut S. Ladislaus Rex victorias ex victoriis legere aſſuetus, florenti exercitu ſtipatus, & vicinorum Principum amicitia tutus, vim armaque Henrici timendi nullam prudentem cauſam habere potuerit, aut debuerit. Scitum eſt, Henrici tempore Germaniam, Italiamque in partes ſciſſam fuiſſe, aliis, ut fieri amat, Henrico, Gregorio aliis faventibus: imo Marianus Scotus locuples teſtis eſt, (*b*) etiam inter ipſos Romanos, non paucos fuiſſe Pontifici adverſos, & Henrico, vel ex Epiſcoporum numero, triginta adhæſiſſe. Verba ejus ſunt: *Henricus - - Romam - - obſedit, Papa audiens multos Romanos favere - - cum paucis noctu Salernum abiit. Videns autem Henricus Papam aufugiſſe, congregatis XXX. Epiſcopis fautoribus ſuis, in ipſa Romanæ Urbis obſidio-*

(*a*) Patavini per ea tempora Altmannum ſuum Epiſcopum per Henricum ejici procurant, & Clerum crudeliter habent, quorum partes Pontifex tuitus, odium ſibi apud effrænes conflavit. Vid. Biographum D. Altmanni apud Hieron. Pezium Script. rer. Auſtr. Tom. I. pag. 115. & ſequ.

(*b*) Marianus Scotus ad. an. MLXXXI.

dione jussit haberi Synodum. Nihil igitur mirum, quod opera Italorum Italiam, ipsamque Romam perterrefecerit, atque turbaverit: Putatne autem Noster, hos in Pontificem male animatos Italos, etsi bellum inter S. Ladislaum & Henricum exarsisset, hujus partes sequuturos fuisse, usque in viscera Hungariæ? id equidem nemo, qui dissidii illius causas vel obiter novit, adstruet: aliæ autem Nationes fere omnes ab Henrico desciverant, præsertim ejus exauctorationis anno, de quo solo nobis disceptandum est. Juvat Gregorii VII. Biographum de Rudolpho Rheinfeldensi loquentem audire: *(a) Electus est autem*, inquit, *ab Archi-Episcopis, Episcopis, Ducibus, Comitibus, majoribus, & minoribus in Conventu apud Forcheim Anno Dominicæ Incarnationis MLXXVII. Anno IV, Venerabilis Papæ Gregorii in hoc nomine Septimi.* Audin' Clerus omnis & Proceres Germaniæ ab Henrico recesserunt. Quis ergo contra S. Ladislaum, nunquam non paratum, in armis exercitatissimum, & valido exercitu instructum, cum, & pro Henrico bellaturus erat? Timere tamen adhuc S. Ladislaus necesse habuit, quia Henricus Anno MLXXXII. *vastata & exhausta Austria*, ita argumentatur porro Adversarius *(b) Leopoldum Ducem, qui in Pontificias partes concesserat, ad obsequium reduxit, ex qua ut in Hungariam arma traduceret, nihil prope modum aberat, in quam Etbertus, direptis per Henricum Castris, ac prædiis, fuga sibi consuluit.* Paucis verbis quatuor graves insunt errores. Henricus enim Anno MLXXXII. nec vastavit, nec exhausit Austriam: nec Leopoldum Ducem ad obsequium reduxit: nec ideo, quia in Pontificis partes concesserat, bellum in ditionem suam pertraxit: nec, verum est, prope nihil abfuisse, quin Henricus ex Austria in Hungariam arma transferret. *(c)*

(a) Paulus Bernried. in vita Gregor. VII. Cap. IX. num. 85.

(b) Diatr. pag. 103.

(c) Hoc loco Noster in Nota adjicit, quod si ego Bertholdum Constantiensem lutulentum fontem appellem, sciam mihi cum Marco Hansizio rem futuram. Id equidem mihi nunquam in mentem venit; imo ubivis ejus auctoritatem sequor, & tueor. Quid igitur notula illa lepida sibi velit? non assequor. Utinam autem ipse ille hunc eundem egregium Scriptorem susque deque pro sua humanitate non haberet. Vidimus paulo ante in Bertholdo Rudolphi filio, quam ignorantem & somnolentum faciat Bertholdum Constantiensem, quin putet, cum Hansizio sibi rem futuram. Sed nempe Crito noster est super omnes.

Verum quidem est, Anno MLXXXII. vastatam exhaustamque fuisse Austriam: ast, qui sibi persuaserit, id ab Henrico, aut causa Henrici factum; is profecto res temporis illius gestas ignorat. Ostendi paulo ante ex Brunone, Bertholdo, aliis æquævis, Henricum Anno MLXXXII. Mense Martio Italiam ingressum Veronæ Pascha celebravisse. Bellum autem, quo Leopoldus Pulcher clade affectus est, Mense Majo exarsisse, nullum dubium esse potest. De hoc Chronicon Neoburgense (a) sic scribit: *Hoc Anno IV. Idus Maji Chunradus Rex Bohemorum, auxilio Bawarorum, cum Marchione Austriæ Leopoldo ad Mauriberth Bellum iniit, & cum maxima Orientalium hominum cæde terminavit, & Marchionem ad fugam conpulit.* Chronicon Mellicense (b) pariter diem Mensis, & feriam hebdomadis annotat hisce verbis: *MLXXXII. hoc anno V. Idus Maji feria V. (quæ hoc anno concurrunt) bellum ad Mauriberch est actum, & cum maximo nostratium occidio terminatum.* Rex igitur Bohemorum cum Bavaris, tum vastavit, & exhausit Austriam, non Henricus, qui eodem tempore in Italia agebat: proinde quemadmodum debellare Leopoldum Austriacum, ita neque ad obsequium reducere poterat. Vratislaus Dux Bohemorum, Bavari, & Otto Ratisbonensis Episcopus id perfecerunt. (c)

Non me quidem latet, nonnullos etiam e vetustioribus Scriptoribus affirmare, Vratislaum ab Henrico in Leopoldum incensum fuisse, eo, quod is in partes Gregorii cum Altmanno Pataviensi Episcopo transierit, & Hermannum Regem sequutus fuerit: attamen, ut id inficiari nolim, ita rerum Bohemicarum Scriptoribus potius assentior. Cosmas Pragensis, (d) Dubravius, (e) Æneas Sylvius (f) aliam belli hujus causam, ob fines videlicet Austriæ & Moraviæ, a vicinis accolis mutuo latroci-

(a) Chron. Neoburg. ad h. a. apud Hier. Pez.
(b) Chron. Mellic ad h. a.
(c) Idem testantur Chron. Zwetlen. vetustius, Sæculi XII. Salzburgense, Admontense, Austriacum, Paltrami, seu Vaczonis, Consulis Viennensis. Biogr. B. Altmanni, alii.
(d) Cosmas Pragensis ad an. MLXXXI.
(e) Dubrav. Hist. Bohem. Lib. VIII.
(f) Æne. Sylv. Cap. XXII.

cinio infeſtatos, jusque læſæ parti a Leopoldo non redditum afferunt. Suo ergo, non Henrici nomine bellum hoc Vratislaus ſuſcepit: adeoque non eam ob rem, quod Leopoldus Pontifici & Hermanno Anti-Cæſari adhæſerit. Et licet Vratislaus Auſtriæ Ducem vicerit, fugaritque, non tamen propterea a Pontificis partibus abſtraxit, atque ideo hac parte ad obſequium certo non reduxit. Quid, quod nec ita armis Vratislai fractus erat, ut leges ſibi, etſi a victore, præſcribi pateretur. Nam, ſi Ebroni (a) credimus, Vratislaus Victor pedem in Auſtria diutius figere nequivit, cui Azzo Gobaczburgi Dynaſta obſtitit, qui collecta armatorum multitudine, Leopoldi hortatu, conſiſtere Bohemos, ac Moravos (b) nullo loco paſſus eſt: unde factum eſt, ut Vratislaus ſpoliis Auſtriacis contentus ad ſua redierit, Henrico adhuc dum in Italia agente. Ex his vero ſuapte conſit; multum ſane abfuiſſe, ut Henricus Anno MLXXXII. ex Auſtria in Hungariam arma traduceret; præterquam enim quod tum temporis rebus Italicis diſtentus abſensque fuerit: Leopoldum item nec per ſe, nec per alium bello ſuperaverit; inſuper Victor Vratislaus virtute Azzonis e finibus Auſtriæ ejectus cum præda in Bohemiam remeavit. Cæterum, etſi Vratislaus Auſtriam ſibi ſubjugaſſet; non erat profecto cur arma in Hungariam traduceret. Non enim ſeu illi, ſeu Henrico lis de finibus cum S. Ladislao fuit, nec fines mutuis latrociniis infeſtabantur: nec ab Ladislao, extra ditiones Germaniæ regnante, Henricus fidelitatis obſequium exigere poterat, quod a Leopoldo titulo Imperii Romani, jure, an injuria? exigebat. Sed &, ſi tam confidenter affirmat, parum abfuiſſe, quin Henricus illa occaſione arma in Hungariam traduceret; cur cauſam ejus non reddit? cur teſtes non profert? in promptu eſt reſponſio, quia id videlicet nemo ante Critonem noſtrum ſomniavit: ideoque argumentum ejus dignum pilo eſt. Unde pauculas illas lineas, ſed ſpiſſis quatuor aberrationibus ſcatentes, exterendas, ſi quid poſſum, ſuadeo, ne ſi exterorum oculos fubeant, hiſtoriæ pleniorem cognitionem de Hungarico Annaliſta merito exigant.

(a) Abbas Ebro. in Orig. Churing. ap. Linck Annal. Zvet. Tom. I. pag. 50.
(b) Hinc conjicio etiam Conradum Marchionem Moraviæ huic bello cum ſuis interfuiſſe.

Error Chronologicus Adversarii

Idem porro Adversarius vellicat, sed pessimo eventu, observationem meam in tempus, quod, si nuptiæ inter filiam Comitis Rheinfeldensts & Ladislaum coaluissent, ille statuerat, hoc est, Annum MLXXVII. Is (a) ajebat, nuptias *has incidere oportuisse* in tempus, quo Henrico Rudolphus oppositus est, seu in Annum MLXXVII. Ego istud prorsus nudam conjectationem esse, ut reipsa est, scripsi, eo majori cum causa, quod nemo Scriptorum ejus unquam meminerit: ac præterea affirmavi, nihil obstare, quo minus nuptiæ illæ ad anteriores Annos affigantur. Igitur, si sua tueri, & mea configere voluit, non debebat per avia, & devia divagari, verum docere, illas in Annum MLXXVII. incidisse, neque alteri, cuicunque demum Anno affigi posse. (b) Ast ille putamina præ nucleis conquirens, hoc loco non rem suam agit, sed Epistolam Gregorii VII. qua hunc Henrico Imperatori anno MLXXVI. faventem ostendere conatus sum, non anno isto, verum consequente exaratam fuisse contendit, & sumpto argumento ab Indictione Romana in vehementem admirationem se rapi declarat, quod ego ad Græcanicum Indictionum genus recurrere illi videar: atque deinde narrationem humanissime concludit isthoc verborum tenore: *Adversarius dum annum MLXXVI. propugnat, mihi, qui annum MLXXVII. tueor, imprudens, aliudque agens apprime consentit. Ita nobis eripimur.* (c) Majora hic paucis his lineis αμαρτήματα ἱστορικα cubant, quam ut dissimulari possint.

Circa Indictionum usum pariter errat.

In primis quidem scribit: *Scio Indictionem Constantinopolitanam incidere in Calendas Septembres, ut Romanam seu Pontificiam*

(a) Diatr. pag. 104.

(b) In Dissert. sua de S. Ladisl. pag. 88. sine hæsitatione affirmat Noster, quod si S. Ladislaus filiam Rudolphi Rheinfeldensis Uxorem duxit, nuptias has in annum MLXXVII. *incidere oportuit.* Hic loci vero jam diffidens causæ suæ mitius scribit, at non verius in hæc verba: nuptias *illas probabiliter oportuisse in Annum, quo Rudolphus Henrico exauctorato oppositus est, incidere affirmabam, hoc est in annum MLXXVII.* Atqui falsum est, quod id *probabiliter* incidere oportuisse affirmet, imo velut rem exploratam *incidere oportuisse* asserit. Ita videlicet imprudens, aliudque agens conjectationes suas apprime retractat, at solum tacite: magis vero cordati viri partes sustineret, si unciales id modi errores aperte corrigeret: hoc enim est ingenui Scriptoris, qui vera solum scribere proposuit.

(c) Diatr. pag. 105.

am in Cal. Januarias. Hoc equidem recte, aſt quod his e veſtigio ſu jungit, profecto male ſcit; ſic autem loquitur: Sed *Gregorium VII. in data ad Teutones Epiſtola non fuiſſe uſum Indictione Conſtantinopolitana itidem ſcio.* Tandem arguit, quod cum fatear, Epiſtolam Gregorii ad Teutones datam, Indictione XV. *inchoante*, hæc autem prorſus incidat in Annum MLXXVII. eapropter, dum annum MLXXVI. propugno, illi, qui Annum MLXXVII. tuetur, apprime conſentio. Jam vero quo illum hæc argumentandi ratio abducat? æquum eſt explanare: quo clare appareat, uter noſtrum ereptus ſibi ſit? Itaque, Gregorius Papa Epiſtolam ad Teutones dedit III. nonas Septembris, quæ eſt dies XIII. hujus Menſis, incipiente Indictione XV. Indictio Græcanica initium ſumit a Kalendis ſeu a die I. Septembris, ut Indictio Romana a Kalendis Januarii. Ex his evidenter liquet, quod ſi Epiſtola illa exarata fuit Menſe Septembri, ac tum incipiebat Indictio, Gregorius Indictione Conſtantinopolitana uſus fuerit: alias falſiſſimum erit, Epiſtolam *Indictione XV. incipiente datam* eſſe; extra omne ſiquidem dubium eſt, Romanam a die 1. Januarii computari cæptam: qua ſi Gregorius, ut Adverſarius exiſtimat, uſus fuit, quomodo poſt Octo Menſium præterlapſorum intervallum Epiſtolam ſuam cum veritate ſignare potuiſſet: *Incipiente Indictione XV.* quæ nempe, ſi Romana fuit, jam ad finem vergebat. Uter jam noſtrum ſibi hic eripiatur? etiam Calendariorum confectores vident. Sic videlicet ego imprudens, aliudque agens Adverſario apprime conſentire ſoleo. Sed juvat bonum Scriptorem ſuo telo configere. Is, (*a*) poſtquam Litteras Gregorii VII. ad Salamonem R. Romæ V. Cal. Novemb. Indict. XIII. exaratas recitaſſet, hæc (*b*) addit: *Id eſt anno MLXXIV. nam hoc anno cæpit Indictio a menſe Septembri.* Ergo evidens eſt, Gregorium VII. Indictione Conſtantinopolitana uſum fuiſſe, & noſtrum in meridiana luce non videre.

Manifeſtum itaque eſt, memoratam Gregorii Epiſtolam ad Teutones non Anno MLXXVII. ſcriptam fuiſſe. (*c*) Unde

(*a*) Annal. R. Hung. Par. I. pag. 74.
(*b*) Ibid. in not. lic. L.
(*c*) Vid. Greg. PP. Epiſt. III. Lib. IV.

hanc eandem Epiſtolam, qua optimus Pater Gregorius Pontifex Epiſcopos, Duces, Comites, & Fideles Regni Teutonici monet, & rogat, ut Henricum benigne, ſi ex toto corde ad Deum converſus fuerit, ſuſcipiant: & circa eum non tantum juſtitiam, quæ illum regnare prohibet, ſed miſericordiam, quæ multa delet ſcelera, oſtendant: quod utique perſpicue oſtendit faventem Henrico Pontificis animum. Hanc inquam, Epiſtolam Eruditi Scriptores procul omni dubitatione ad ann. MLXXVI. referunt, & adfigunt. (*a*) Monachus Herveldenſis ad annum MLXXVI. ſcribit: *Principes Sueviæ & Saxoniæ Triburiam convenerunt ampliſſimo numero, obſtinatis mentibus ad ſummovendum a negotiis Regni Regem Henricum, & alium, in quem communis electio conſenſiſſet, creandum. Aderant una Legati Apoſtolicæ Sedis, Sigehardus Patriarcha Aquilejenſis, & Altmannus Patavienſis Epiſcopus.* In hoc conventu XVII. Kal. Nov. laudata Gregorii Epiſtola per Legatos publicata fuerit. Nam verba ſunt Herveldenſis, *Rex, cujus omnes ſpes, omnesque copiæ in arctum coactæ fuerant - - optimum factu ſibi judicavit pro eo tum ſtatu rerum ſuarum, ut in Gallias proficiſcenti Romano Pontifici intra Italiam occurreret.* Hinc iſto quidem anno ejus exauctoratio intermiſſa eſt. Quod profecto, ſicut Epiſtolæ Gregorii optime congruit, ita Anno MLXXVI. contigiſſe certiſſimum eſt, adeoque Epiſtola illa hoc anno, non vero MLXXVII. exarata fuit: proinde illud quoque nullius eſt momenti, quod Noſter (*b*) porro in obverſum declamat: tametſi enim conſtet, etiam ex Herveldenſis teſtimonio, Dominica Septuageſimæ Synodum Vormatiæ adverſus Gregorium Anno MLXXVI. celebratam fuiſſe: Non abſimiliter, a Gregorio prima Quadrageſimæ hebdomade Concilium coactum eſſe; c arum tamen etiam eſt ex eodem Herveldenſi, quod Legati Pontificis in Synodo Triburienſi adfuerint. Id, quod ejusdem Anni XVII. Cal. Nov. contigit, & quid aliud, quam Henricum Pontifici reconciliatum fuiſſe indicat? Hinc non recte ſcribit (*c*) Noſter: *nec prius*

(*a*) V. Du Mesnil Tom. IV. Lib. XLVI. pag. 165.
(*b*) Diatr. pag. 106. & 107.
(*c*) Diatr. pag. 107.

prius Pontifici Henricus reconciliatus eſt, quam V. Cal. Febr. anno MLXXVII.

Nullus itaque dubitandi locus relinquitur, Gregorio familiare fuiſſe Epiſtolas ſuas Indictionibus Conſtantinopolitanis ſignare. Certe inter literas ejus Encyclicas, quæ extant libro IV. Regiſtri Gregoriani, ſuntque I. & III. Gregorius dedit ad omnes Principes & Præſules, cæterosque Chriſti fideles, ut Henricum hortarentur ad pœnitentiam, quod cuperet eum, ſi vere ſceſerum pœniteret ab excommunicationis nexu liberare, & in Regnum reſtituere. Poſterior Epiſtola, ſeu III. eſt illa, de qua loquimur, & data eſt, ut vidimus III. Nonas Septembris, incipiente Indictione XV. Prior vero ſeu ordine I. VIII. Calendas Auguſt. Indictione XIV. Certiſſimum autem eſt, de quo nec Pagius, nec ullus alius dubitat, utramque ſcriptam fuiſſe Anno MLXXVI. & Triburiæ, vel, ut aliis placet, Oppenheimii in Synodo publicatam. Jam vero tametſi eodem anno datæ fuerint, quia nihilominus prior ante Calendas Septembres, ideo notatur Indictione XIV. poſterior poſt Calendas Septembres ſcripta, ſignatur Indictione XV. Id ſicut evidenter oſtendit Gregorium VII. Indictione Conſtantinopolitana uſum fuiſſe, ita Epiſtolam, de qua nobis ſermo, non Anno MLXXVII. ſed MLXXVI. exaratam fuiſſe dilucide docet.

Nam Gregorius VII. contra quam Adverſarius ſentiat, Indictione Conſtantinopolitana uſus fuit.

Sed &, ſi ratio temporum, quod præprimis ad Critirium pertinet, ineatur, manifeſtum fit, a Gregorio Epiſtolam illam ad Teutones Anno MLXXVI. exaratam eſſe. Certum enim ipſe contextus Epiſtolæ facit, illam ante exauctoratum Henricum, anteque in Regem electum Rudolphum ſcriptam fuiſſe. Certum pariter eſt, ex coævis Scriptoribus (*a*) Proceres Germaniæ Anno MLXXVII. III. Idus Martii, id eſt, die XIII. Martii Forchemii conveniſſe, & die ſequente (*b*) Rudolphum multum renitentem regia dignitate ſublimatum, atque ab Archi-Epiſcopis Moguntino, & Magdeburgenſi, Legatis Pontificiis præſentibus, &

(*a*) Vid. Lamber. Schaffn. ap. Piſtor. & rel.
(*b*) Vid. Vitam Gregorii VII. num. 93. ap. Murat. & Gretſer.

& Regni Principibus post brevi (*a*) Moguntiæ regali unctione consecratum esse. Certum præterea est, Epistolam illam III. Nonas Septembris ad Teutones datam fuisse. Igitur non Anno MLXXVII. quia Epistola illa Mense Septembri, & ante depositionem Henrici, atque exaltationem Rudolphi, verum Anno MLXXVI. data fuit. Id, quod vel modice attentus Lector nullo negotio perspiciet, & egone mihi magis, quam Adversarius sibi, eripiamur, arbitrabitur.

Etsi vero istud meridiana luce clarius sit, quia nihilominus Crito noster me ex non recta, uti existimat, Indictionis Romanæ, & Constantinopolitanæ secretione errasse arguit; idcirco, opinor, plane necessum esse, ut illi succinctam, tanquam Diatribæ suæ pulcherrimum emblema, doctrinam suggeram, quæ illum & quid de Indictionibus sentiendum sit edoceat, & una certo demonstret, Gregorium VII. hoc loco Indictione Constantinopolitana usum fuisse. Itaque: Indictio est numerus XV. annorum, annis Christi addi solitus. Indictionum mentionem ante Constantini Magni tempora nuspiam fieri constat (*b*) hoc est, ante annum Christi CCCXII. (*c*) Magna attamen inter Indictiones invenitur diversitas; nam aliæ a mox dicto Anno, aliæ ab anno CCCXIII. CCCXIV. & CCCXV. inchoant: quod ex Jacobi Godefridi eatenus confecto laterculo (*d*) clarum evadit. Sic enim primus Consulatus Honorii Nobilissimi Pueri anno CCCLXXXVI. in Indictionem XV. rejicitur; (*e*) quem ipsum an-

(*a*) Monachus Erphesfordensis ad Annum MLXXVII. scribit, in media Quadragesima Rudolphum ab Sigefrido Archi-Episcopo unctum fuisse. Berth. Const. ad h. an. ap. Urstis. hæc notat: *Principes Regni generali colloquio apud Forcheim III. Idus Martii habito (egregium Rudolphum Ducem sibi in Regem sublimarunt, quem VII. Cal. Apr.) hoc est, die XXVI. Martii, ubi eo Anno medium Quadragesimæ occurrit, coronarunt.* Vid. etiam Chron. Würzburg.

(*b*) Chron. Alexandr. pag. 446. a Julio Cæsaris anno repetit Indictiones, sed id egregie confutat Petavius de Doctr. Temp. Tom. II. Lib. II. Cap. XI & addit: *Chronici Alexandrini est perplexa, & mendosa temporum ratio, & a se ipsa discrepans.* Confer quæ in hanc rem congessit Baronius ad an. CCCXII. num. 104. & sequ.

(*c*) Petavius loc. cit. hunc annum præfinit.

(*d*) Jac. Godefr. in Prolegom. ad Cod. Theodos.

(*e*) In Leg. VIII. de Indul. Debitor.

annum Marcellinus Comes Illyricianus (a) in XIV. Indictionem collocat. Non abſimiliter Conſulatus Valentiniani III. & Eutropii Anno CCCLXXXVII. in XIV. Indictionem, quæ Marcellino, & aliis, eſt XV. (b) Sic de cæteris.

Apud Scriptores triplicem Indictionum uſum invenire eſt, Alia enim a Kalendis Septembribus initium ſumit, eaque *Conſtantinopolitana* vocatur: altera ab VIII. Kalend. Octobr. proficiſcitur, & *Conſtantiniana*, ac *Cæſarea* dicitur: tertia denique a Kalen. Januarii ortum habet, & Pontificia, ſeu *Romana* nominatur: quartam Scaliger (c) addit, *Antiochenam. Conſtantiniana*, & *Antiochena*, cum ad rem noſtram nihil attineant, cur incaſſum nos morentur? *Conſtantinopolitana* ſemper utebantur Scriptores Bizantinæ Hiſtoriæ, & Imperatores Conſtantinopolitani. Hujus uſum etiam in Italia obtinuiſſe, manifeſte evincunt præ cæteris bina Documenta apud Franciſcum Mariam, (d) quorum alterum ſignatur anno MLXXIX. XV. Kal. Octobris. Indictione III. quæ correſpondet II. Romanæ: alterum anno MLXXVIII. VI. Kal. Octobris, Indictione II. quæ correſpondet I. Romanæ. Aliud eſt videre apud Porricellum, (e) ſignatum die V. Septembris ingrediente Indictione VII. (f) Id clariſſime confirmat S. Ambroſius (g) his verbis: *Etſi a Septembri Menſe annus videatur incipere, ſicut Indictionum præſentium uſus oſtendit.* Sirmondus (h) refert, Romæ in æde ſuburbana S. Pancratii ab ſe viſum monumentum hujus exempli: *Hic requieſcit Maximus Parvulus, qui vixit annos VI. Menſes VII. dies X. depoſitus eſt, ſub D. III. Id. Auguſtar. Symmacho, & Boetio VV. CC. Conſ. in fine Ind. XV.* adeoque hæc Indictio cum fine Au-

(a) Marcellin. Comes ap. Sirmond.
(b) In Leg. VIII. de Indulgent. Debitor. Idem eruitur etiam ex Idatii Faſtis Conſular.
(c) Scaliger in Lib. III. Iſagog. Canon. C. XI. & a Menſe Majo inchoat.
(d) Franc. Maria. in Mathildi Comitiſſa, magna Gregorii VII. adverſus Henrici perſecutiones fautrice, quod cauſa Epiſtolæ, de qua mihi iis, refero, Lib. III. pag. 105. & 108.
(e) Poricell. pag. 430.
(f) Vid. Sirmond. in notis ad Ennodium Lib. VIII. Epiſt. I.
(g) Sanctus Ambroſius de Noë & Arca.
(h) Sirmond. in Not. ad Ennod. pag. 922. edit. Venet. MDCCXXVIII.

gusti Mensis claudebatur, & erat Constantinopolitana. Ea vero Indictio etiamnum obtinet apud Mediolanenses, (a) olim etiam in Regno Neapolitano obtinebat. (b)

Indictio Romana, seu Pontificia posterior est quidem Constantinopolitana; attamen quando cæperit, non omnino constat. Nam ex Epistolis Pontificum Gregorii M. Joannis VIII. & Gregorii VII. Pontificia Diplomata, ac Epistolas, more Græcorum, a die I. Septembris inchoatas, subnotari observare est. Sic Gregorius M. Epistolam (c) ad Gennadium Patricium, & Exarchum Africæ Mense Septembri Anno DXCIII. dedit, cum nota Indictionis XII. quæ correspondet XI. Romanæ. Ut non difficulter scire licet ex Beda, (d) qui etiam Indictionis inveniendæ methodum præscribit, quæ id modi est: Annis Domini divisis per quindenas, si quid a quindenis supererit, ei, quod supererit, addantur tria, & quot fuerint illi anni, qui supererant a quindenis, cum dictis additis tribus, tanta erit Indictio, ut in exemplo: Si annus memoratus DXCIII. in quindenas dividatur, supererunt demum anni VIII. his addas III. & erit Indictio XI. juxta computum Romanum quidem a I. Januarii usque ad ultinam Decembris: juxta Constantinopolitanum vero solum ad ultimam diem Mensis Augusti: & tum a die I. Septembris inchoabit Indictio XII. Quodsi vero a quindenis nihil supererit, adde nihilominus III. & erit Indictio III. Sic Joannes VIII. An. DCCCLXXVII. Mense Augusto Ravennæ Synodum congregarat, Holstenius in Collectione Romana publicavit ejus Decreta cum hoc titulo: *Joannis Papæ VIII. Synodus, Ravennæ habita cum CXXX. Episcopis anno Christi DCCCLXXVII. Mense Augusto Ind. X.* Idem Joannes VIII. in Epistola (e) ad Carolomannum Bojoariæ Regem eodem Anno DCCCLXXVII. data, Mense Novembri Indictione XI. signata habetur. De Gregorio VII. Paulus

(a) Id colligere est ex statutis Mediolan. Par. I. cap. CIX.
(b) Patet ex Literis Roberti Siciliæ Regis Neapoli datis anno CCCXXXII. die XI. Novembris Indictionis I. Tom. II. Historiæ Dalphinatus pag. 241.
(c) Vid. Gregor. Mag. Epist. VII. Lib. III. ad Gennad.
(d) Beda Cap. XLVII. Lib. de Ration. tempor.
(e) Epistol. LXIII. ap. Pagium Tom. IV. pag. 115.

lus Bernriedenſis (a) ſic ſcribit: *Anno ab Incarnatione Domini MLXXVIII. Pontificatus vero Domini Gregorii VII. Sexto. XIII. Kal. Decembris. Indictione II. congregata eſt Synodus Romæ in Eccleſia S. Salvatoris.* En! anno MLXXVIII. XIII. Kal. Decembris erat Indictio II. quod manifeſte indicat, Gregorium VII. Conſtantinopolitana uſum fuiſſe. Nam annus MLXXVIII. integer juxta computum Romanum fuiſſet ſub Indictione I. ſicut annus præcedens MLXXVII. ſub Indictione XV. Si igitur Anno MLXXVIII. XIII. Kal. Decembr. fuit Indictio II. neceſſe eſt conſequi, Anno MLXXVI. III. Nonas Septemb. fuiſſe Indictionem XV. adeoque Conſtantinopolitanam. Id etiam acta Vaticana apud Baronium (b) adſtruunt. (c) Proinde poſt Gregorii VII. ætatem Indictio Romana ſi non orta eſt, certe ad uſum perducta. At Acta Alexandri III. apud eundem (d) videntur Indictionem a I. Januarii exordiri, quod Romanæ proprium eſt. (e)

(a) Paulus Bernried. ap. Gretſer. Tom. VI. pag. 156.

(b) Acta Vatic. ap. Baron. An. MCLIV.

(c) Imo certiſſimum eſt, non modo ante Gregorium VII, ſed & poſt hunc Romanos Pontifices Indictione Conſtantinopolitana uſos fuiſſe. Paſchalis II. Epiſtolam ad Joannem Priorem Eccleſiæ B. Petri de Valeriis in Septimania, ſic concludit: *Datum Laterani - - IV. Non. Decemb. Indict. VIII. Incarnationis Dominicæ Anno MCXIV.* Idem Pontifex de Monaſterio Semichenſi, alias Simegienſi, miſit Breve ad Hugonem Abbatem Monaſterii S. Ægidii in Septimania, cujus clauſula hujus eſt tenoris: *Datum Parmæ - - IV. Non. Novemb. Indict. XV. anno Dom. Incarnationis MCVI.* Vide utrumque apud Baluzium opera Manſii editum, Tom. III. Miſcellan. pag. 11. & 12. Itaque ut ipſe Gregorius, ejusque Deceſſores, ita & Succeſſores Romani Pontifices Indictione Conſtantinopolitana ſignare ſolebant; nam annus prioris Epiſtolæ anni MCXIV. correſpondet Indictioni Romanæ VII. Græcæ vero a I. Januarii ad ultimam Auguſti Indictioni itidem VII. Sed a I. Septembris Indictioni VIII. Quid? quod nobiliſſima Occidentalis Eccleſiæ pars Indictione Conſtantinopolitana uſa fuerit. Certe, apud Baluzium ibidem pag 57. Acta concordiæ initæ in Concilio Claromontano inter Hugonem Abbatem Cluniacenſem, & Pontium Abbatem Caſæ-Dei, ita concluduntur: *Actum publice apud Clarum -- montem, & laudatum, atque confirmatum auctoritate Domini Papæ Urbani II. - - anno ab Incarnat. Dom. MXCV. Kalend. Decembris Indictione IV.* Anno MXCV. reſpondet Romana Indictio III. Conſtantinopolitana autem a die I. Septembris IV. Vide plura ejusmodi exempla in Spicilegio Lucæ d' Acheri. Unde mirum ſane, quod talis ac tantus Hypercriticus noſter adeo exſtantia documenta ignoraverit, & ignoratione ſe aperte deridendum Viris literatis propoſuerit.

(d) Acta Alexand III. ap. Baron. an. MCLVIII.

(e) Conſer Chifletium in Trenorchio pag. 253.

Ex his certiſſimo apparet I. Quid ſit Indictio Conſtantinopolitana, & quid Romana? II. Græcos quidem ſemper Conſtantinopolitana uſos fuiſſe. Italiæ vero bonam partem adhuc etiam Sæculo XI. ad finem vergente, quo Gregorius VII. vixit, & Epiſtolam, quam in examen revocavimus, ad Teutones exaravit. III. Romanæ Indictionis initia aut penitus ignorari, aut dubia eſſe. IV. Pontifices Romanos uſque ad exitum Sæculi XI. & ſpeciatim Gregorium VII. Conſtantinopolitana ut primum uſos fuiſſe. Quis jam tantam induſtriam Adverſarii, vel confidentiam potius non miretur, & aſpernetur, qui non veretur iſthæc ſcribere: *Gregorium VII. in data ad Teutones Epiſtola non fuiſſe uſum Indictione Conſtantinopolitana itidem ſcio.* Et unde ſcit? quando neque initium Indictionis Romanæ ſcimus. Id equidem non eſt ſcire, ſed cribro divinare. Ita ſane: ſi illi, quæ placent, pro arbitrio fingere, atque interpretari fas eſt, antiquis jam Sardis nihil debet, qui olim, quæ volebant, ſomniare dicebantur. Imo ſciat, quod dudum ſcire debuerat, Gregorium VII. Indictione Conſtantinopolitana uſum fuiſſe, (a) quali etiam Mathildis pientiſſima ejus amica utebatur: atque adeo Epiſtolam Gregorii VII. III. Nonas Septemb. *incipiente* Indictione XV. ad Epiſcopos, Duces, & Comites Teutonicos ſcriptam, in annum MLXXVI. rejici debere, ingenue fateatur, & quod ſibi ereptus perfunctoria ſane opera ſcribillavit (ita ille de me ſcripſerat) in tempore recantet: alioquin, ſi uſque adeo ſe amat, ut hæc porro quoque defendat, & nuſpiam errare ſe putet, profecto nimis innocens eſt, ut innocens videatur. Denique agnoſcat, admodum laxato ab ſe pugno ſcriptum eſſe, quod dum ego annum MLXXVI. propugno, illi, qui annum MLXXVII. tuetur, imprudens aliudque agens, apprime conſentio. Ita captans capitur.

Denique ſcripſeram hoc loco, Gregorii VII literis ad Nehemiam Archi-Epiſcopum Strigonienſem datis, nihil minus, quam Pontificem non fuiſſe S. Ladislao faventem, id enim Nopra-

(a) De Indictionibus etiam in opere, cui titulus: *Libellus Caſtigatus*, M-Varad. MDCCLXXIX. edito, egi; quod vide ſis.

ſter affirmavit, doceri: & illico ſubjunxi: *Ne ex Prayana narratione curioſi Lectores, neſcio, quas acres ſimultates inter Gregorium, & Ladislaum exarſiſſe ſuſpicentur, hosque duos viros ſanctos ſe ſe acerbius inſectatos fuiſſe, perperam ſibi perſuadeant.* (a) Ex his meis, omnis, ut reor, prudens Lector facile arbitrabitur, quo voluerim evadere: innuebam videlicet, quod quem admodum certum eſt, Gregorium inter & Ladislaum acres ſimultates haud exarſiſſe, ita cum Noſter Gregorium parum faventem Ladislao fuiſſe ſcripſerit; monere Lectores conatus ſum, ne id putent, in acres ſimultates abiiſſe. Iſte certe & nec alius eſſe poteſt verborum meorum ſenſus; cur enim alias dixiſſem: *ſuſpicentur, perperam ſibi perſuadeant?* Unde etiam certiſſimum, & velut manu contrectabile eſt, me in eam opinionem neutiquam deſcendiſſe, ut crederem acres ſimultates inter illos exortas fuiſſe. Quid autem Hypercriticus noſter? luxat voces, depravat ſenſum, detorquet ſententiam, & acerbiſſima phraſi in me detonat: *Quod autem ſcripſi*, inquit, *Ladislaum ſibi parum in principio faventem habuiſſe Gregorium VII. non acres utrinque ſimultates, ut Adverſarius nimis leviter ſibi perſuadet, indicabat.* Hem! quæ iſta fides? ubi ego mihi talia *nimis leviter* perſuaſi? ſicubi, hic certe fruſtra Boliti luo pœnas, atque de illo talionem poſco, ajoque ſemper illi cordi - - ὀνειροι ἀμήχανοι, ἀκριτόμυθοι.

§. XII.

AD hunc modum filia Rudolphi Rheinfeldenſis inter genuinas Hungariæ Reginas ſemel iterumque repoſita, ad Synadenen venio, quam Adverſarius Geyſæ Conjugem tribuit. (b) Videamus, quam erudite, & ſolide ſuas Conjectationes tueatur. Pro eo connubio Synadenes Græcæ cum Rege Hungariæ, quemadmodum nemo alius veterum præter Joannem Scylizem Curopalatam ſtat, ita Noſter hujus unius narrationi, velut

Non eſt veriſimile Synadenē Græcam Geyſæ I. nupſiſſe.

(a) Diſſer. meæ de S. Ladisl. pag. 122.
(b) Diſſer. ſuæ de S. Ladisl. pag. 90.

lut rei cuipiam ad liquidum perductæ inſiſtit. Docendus igitur erat, ut res ipſa poſcebat, quanta ſit apud Viros doctos Scylizis authoritas? Hanc, minorem ſane eſſe, quam ut omni aliorum probatorum Scriptorum adſtipulatione deſtitutæ, herbam continuo porrigamus, ipſiusmet verbis conatus eram oſtendere. Eapropter ex Cl. Kollaro (*a*) probavi, duplicem haberi Epitomes Scylicis editionem: alteram a Gabio in latinum transpoſitam: alteram græce manu exaratam. Quæ ſi ad invicem contendantur, plures nobis contradictiones proponunt, ab ipſo Authore correctas: & quia ille ipſe in Proëmio operis ſui ſcribit, *reſectis iis, quæ ad fabulas propius accedere comperimus, quæcunque autem veri ſpeciem habebant, & perſuadendi homines vi non plane erant deſtituta, collegimus, adjectis etiam, quæ ab hominibus ætate provectis didicimus.* Itaque ipſiuſmet, Auctoris confeſſione liquet, ea illum in Epitomen ſuam congeſſiſſe, quæ veri ſpeciem habebant, & perſuadendi homines vi non plane erant deſtituta: ac præterea ſe multa ex populari ſeniorum narratione, vel certe ab Scriptore haud quaquam fide, & religione digno habuiſſe, atque eam ob rem pro árbitrio multa libere mutaſſe. Et ad iſtorum aliquod referendum eſt id, quod Synadene, Botoniatis ex Sorore Neptis, Regi Hungariæ nupſerit: & hoc re ipſa Adverſario noſtro veri ſpeciem impreſſit, perſuadendique vim obtinuit: quod tamen apud alios veteres Scriptores inter ea, quæ propius ad fabulas accedunt, & Scylices ipſe reſecare oblitus fuit, vel nimis credulus noluit, merito reponitur, docente alto eorum ſilentio. Si enim ſibi quis perſuadere velit, Curopalatæ hac parte narrationem veritati conſonam eſſe, is profecto totam retro antiquitatem inſcitiæ, erroris, perfidiæ etiam inſimulet, neceſſe eſt.

Nunquid Zonaram, & Cedrenum ſua ex Scylice Curopalata promſiſſe, valde probabile eſſe, Noſter ſcripſit? (*b*) Cur ergo hanc Scylicis de Synadene Fabulam adoptare noluerunt? quod certe pro ingenti gentis Græcanicæ gloriæ cupidine facere debe-

(*a*) Kollar. Hiſt. Diplom. Jur. Patr. Hung. Lib. I.
(*b*) Annal. Veter. Par. III. pag. 361.

debebant, qui & minutiora diligenter consignabant: & nonne Cedrenus & Zonaras Scylici pares, aut suppares erant? adeoque si Curopalates de Synadene Regi Hungariæ nupta, vera scripsit, id illis quoque cognitum esse oportuit. At tacent illi: Cur? aliam sane causam nemo reddiderit, quam quia vano id modi commento libros suos farcire, ac legentibus palpum obtrudere, atque aperto cachinno se se exponere verebantur. Habemus & alios quam plurimos Græcos Bizantinarum rerum Scriptores, qui tamen Synadenis Regi Hungariæ in Matrimonium collocatæ, ne verbulo meminerunt. Habemus variarum Nationum & Synchronos, & recentiores probatissimos, diligentissimosque Auctores, qui temporum illorum Historiam copiose & fideliter pertractaverunt: ast apud omnes de Synadene Geysæ nupta profundum silentium. Cur? an forte Scylicis Epitome ignorata illis erat? an forte res Hungaricas pariter & Bizantinas nec cognitas, nec curatas habebant? Sed scitum est ab iis sæpe sæpius de rebus Hungaricis egregie agi, imo magna Historiæ nostræ gentis pars eorum authoritate nititur. Cur ergo de supposita Hungariæ Regina nihil ad nos transmiserunt? Utique non alia de causa, quam quia fabulam ab Joanne Scylice cusam, aut male adoptatam, suam facere noluerunt. Et ne de solis exteris Scriptoribus loquamur, perveſtigent, quibus est otium, & voluntas, omnes rerum Patriarum Scriptores, quicunque usque ad Annum MDCCXLIV. vulgati sunt, & comperient nullum illorum eo erroris prolapsum esse, ut Græcam Synadenen Geysæ Hungariæ Regi uxorem dare auderet; quamvis enim eos sententiam Scylicis haud ignorasse, oppido credibile sit, illam tamen tanquam prorsus singularem, & septem sæculorum intercapedine omnino nullum Assectam nactam, in Historiam suam referre, non illis erat animus; ne videlicet fabulis delectari, umbratilesque nugas captare videri possint. Anno demum MDCCXLIV. Cl. Kéri vulgavit Tyrnaviæ Historiam Imperatorum Orientis, & primus Synadenem Geysæ nuptam memorat: ast, ut acris ingenii, & gravis Scriptor est, relata Scylicis de Synadene, Regi Hungarlæ nuptum locata, sententia, hæc subjicit: *Sed cui tandem Regum? nisi forte Geysæ,* (a) quæ loqu-

Audia-

(a) Kéri. Imper. Orient. in Nicephoro. Boton. pag. 361.

tio, nisi me omnia fallunt, non affirmantis, sed dubitantis est; aut certe *ex suppositione*, ut dicimus, & non aliud significare potest, quam: *Si Scylices verum de Synadene scripsit, illa non alteri Regum nuptum dari poterat, quam Geysæ*; illa enim ætate, hoc est, ab anno MLXIII. ad Annum MXCV. intra quos Scylices suam conscripsit Epitomen, tres Reges numerabat Hungaria, videlicet, Salamonem, Geisam, & Ladislaum. Primo & ultimo attenta seu chronotaxi & Scriptorum fide, seu rerum, & personarum adjunctis, Synadene nubere non poterat: si tamen verum est, illam Regi Hungariæ nupsisse, is Geisa fuerit. Id nec aliter habere voculæ illæ: *nisi forte Geisæ*, manifesto indicio nobis sunt. *(a)*

Scylicis authoritas minor est, quam ut id verisimile efficiat.

Audiamus jam Nostrum. Primo *(b)* in Scylicis auctoritate vindicandi usque ad commiserationem se torquet. Id quidem callido consilio; nam si Scylices collabatur, tota Nostri Machina in gerrarum acervum desiit; neque enim ad ullum alium veterem Scriptorem perfugere potest. Frustraneus tamen omnis ejus conatus est. Quæro ego, an cum Scylices suam Historiam ex illis Authoribus, qui scripta sua, ut ipse non negat, fabulis re-

---

(b) Cornidesius ægerrime ferre videtur, quod in Dissertatione mea scripserim, falli vehementer Prayum dum Dissert. suæ pag. 87. ait, *Cornidesii industriæ omnino debemus, quod Synadene inter Reginas Hungariæ locum habeat*; is enim neque primus est, qui Synadenen Regi Hungariæ nupsisse prodidit, neque illam Regi Hungariæ nupsisse ostendit hactenus. Primum in Genealogia Regum Hungariæ pag. 38. ultro fatetur, adeoque Cl. Prayum in tribuendis præcoci consilio indebitis encomiis immodice errasse: alterum hoc ipso loco probare contendit, sed Cavam Arabiam serit: & quia uterque iisdem plane momentis exerrationes suas tuetur, adeo ut nesciam, uter ex altero sua exscripserit; etsi enim Diatriba Nostri anterior sit; attamen ille ipse Disser. suæ pag. 38. in Not. de his disputans, fatetur, Cornidesium de ipsissimis rebus copiose secum per literas egisse. Quæ cum ita sint, D. Cornides illis argumentis, quibus Critonis mei fabulosam narrationem impeto, suam quoque impeti existimet. Neque enim est, cur singillatim cum illo dissertem: ast cum neque par sit, ut illum in me impune grassari permittam. & convitiorum pœnas de illo non sumam; idcirco deinceps quoque, ubi non communibus ejus Scriptio erroribus & parachronismis riget, atque lædorias & calumnias, quas nec fricti ciceris aut nucis emptor, probet, reperero; illas compendio refellere, has in notis solum, neque enim in ipsum Scriptionis corpus referri dignæ sunt, indicare sufficiet. Hoc loco scribit: Ratiunculas meas contra Scylicis testimonium ita comparatas esse, ut causam desperatam suapte prodant. Id Lectores arbitrari sino.

(a) Diatr. pag. 109. & sequ.

reſperſere, exſcripſit, certus fuerit, eas omnes ita reſectas eſſe, ut aut nulla, aut non paucæ in ſuam Epitomen irrepſerint? id ſane nemo facile dixerit: imo exiſtimare oportet, quod ſicut Scriptores illi operibus ſuis fabulas immiſcuerunt, ſeu id ſcientes fecerint, ſeu ignorantes; ita Scylicis opus ab eis haud perpurgatum fuiſſe; quia ipſemet fatetur, ea ab ſe reſecta, quæ ad fabulas propius accedere ipſi videbantur; proinde quæ non videbantur, etſi in re vera fabulæ fuerint, illas ſuas fecit. Ut ut ſit, ſecutus eſt Scriptores fabulis deditos: & præterea, quia multa, ut rurſum ipſemet agnoſcit, immutavit, quæ videlicet ex populari ſeniorum narratione, aut Scriptore quopiam accepit; iterum quæro: Num primæ Scriptionis ſuæ tempore Seniorum narratio, aut Scripor, quo uſus erat, fide & religione digni fuerint, vel non? Si digni erant, cur eorum narrationem in ſecunda ſcriptione immutavit? ſi non erant digni, cur in prima ſcriptione narrationem eorum veram a falſa ſecernere neſcivit? Et nunquid hinc perſpicue conjicere licet, ſicut tunc, ita & modo Scylicem ſine attentione, aut indagatione, Seniorum narrationem ſuam feciſſe, dummodo illa veri *ſpeciem* haberet, etſi nunquam contigiſſet: aut dummodo *perſuadendi homines vi non plane deſtituta foret.* Unde quis mihi jure ſuccenſebit, quod alias ſcripſerim, nec nunc retractem, Joannem Scylicem Curopalatam, teſtem minime talem eſſe, cujus fide & auctoritate, tacentibus omnibus omnino aliis Scriptoribus, Græcis, & Latinis, in præſente quæſtione tuto quis ſtare poſſit. (a)

Ne tamen in Scylicem, qui Curopalates, hoc eſt, Palatio Præfectus erat, (b) injurius eſſe videar, juvat & ſpiſſos aliquot

(a) In Diſſertatione mea Scylicem, ejusque fidem legentibus ob oculos ponere volens, præmiſi breviſſime, Scylicem vixiſſe circa Annum MLXXXI. Adverſarius ob id intemperanter exclamat: *Papæ! ſi hoc non ſit, quid tandem eſt Citeriam ducere?* allinens mihi, quaſi dicere voluerim: Scylices vixit circa An. MLXXXI. igitur quisque novit jam, quis ille fuerit, quantaque ejus fides? Affaniæ! neminem ſane, etſi ex eorum numero ſit, qui in textrinis ſeſſitant, id modi nugis vacaturum exiſtimo.

(b) Pulchra Dignitas! quæ tamen hominem a lapſu haud eximit. De hoc alias ſuo loco. Hic ſolum noto, D. Cornides eximie hallucinari, extraque oleas, more

ſaltem ejus errores, & quis ſit de illo Eruditorum ſenſus, compendio referre. Iſte ergo, qui Hungaris Reginas ſupponit, optima ſcilicet ſeu fide, ſeu rerum cognitione ſcribit: Geyſam Hungarum Chriſtiana ſacra Conſtantinopoli amplexum fuiſſe, ſecumque adduxiſſe Hierotheum Epiſcopum, cujus prædicatione Hungari ad Chriſtiana ſacra traducti ſunt. (a) At, id Adverſario in fabulis eſt: non omnes ergo fabulas Scylices ſecundis curis reſecuit. Scylices (b) Andronicum Cæſaris Joannis filium

---

more ſaltare; ut videlicet quæſtionis moleſtias non nihil declinet. Is ergo pag. 40. & ſequ. Scylicis librum recenſet, & ſcribit unam ejus partem a Gabio latine redditam ab Anno DCCCXI. inchoare, & in Anno MLVII. deſinere, alteram deinde a Scylice ad Annum MLXXXI. continuatam eſſe: adeoque cum Scylicis editio prima, aliorum Imperatorum res geſtas, aliorumque ſecunda recenſeat, non eſt poſſibile, ut editio altera, alteri ulla in re repugnet. Hanc equidem Battologiam ſatius foret ſepeliviſſe, quam in librorum monumentis exſtare. Scylicem enim, quem defendendum ſuſcepit, jam apette mendacem facit; ſi namque poſſibile non eſt, ut editio Scylicis una & altera res diverſas nobis proponat, utique in altera nihil correxit, nihil immutavit, nihil reſecuit; atqui correxit, immutavit, ea, quæ ad fabulas propius accedere putavit, reſecuit, ut ipſemet diſerte affirmat: igitur ſi verum eſt, ut Cornideſius fingit, unam editionem alteri in re nulla repugnare, falſiſſime Scylices ſecundam ab ſe correctam eſſe affirmavit: niſi forte D. Cornides Cl. Kollarii fidem ſuſpectam habeat, quod omnino temerarium eſſet. Ex hujus Viri Docti *Diplomat. Hiſt.* ſtatui ego in Diſſertatione mea, alteram editionem Scylicis, græce manu exaratam, in Aug. Bibliotheca Vindobonenſi cuſtodiri, quæ ab ipſo Auctore correcta eſt, & primæ illi in latinum transpoſitæ, multa contraria refert. Hoc ſi neget, aut in dubium vocet, viderit in quas pedicas ſe induat, & negotium cum Cl. Kollaro habeat. Cæterum, ut dixi, Cornideſius extra oleas ſaltat; quod ſi enim mea vel non perfunctorie ſolum inſpexiſſet, vel rectius expendiſſet, poterat facile cognoſcere, a nobis non duas Editiones typis vulgatas ad invicem comparari, quod ille oggerit: verum editionem a Gabio latine vulgatam cum editione græca, manu exarata, atque ab ipſomet Authore correcta, quæ in Aug. Bibliotheca Viennenſi aſſervatur, nobisque varia ſibi invicem oppoſita proponit. Proinde Criſim, quam in me pag. 41. Ariſtarchi titulo decorato, deſiderat, jure ab ipſomet exigo, magisque attentam Lectionem poſco: illud vero, quod pag. 39. de me inverecunde pronuntiare audet, videlicet, illa de Scylice a me ex *ingenio conficta* eſſe, etiam exterendum cupio. Laudo tamen in hoc D. Cornides, quod iſthic Clientis ſui Cl. Pray ſpiſſos errores corrigat, & emendet; ſcribit enim Scylicem Epitomen ſuam ab Anno DCCCXI. inchoaſſe. Hoc recte: nam ibi incipit, ubi Theophanes finit: cum tamen Cl. Pray Diatr. pag. 100. ajat, Scylicem Hiſtoriam ſuam ab Anno DCCCXIII. inchoare. Neque ſolidus hic error in Typographum rejici poteſt, nam Noſter ſcribit porro, Scylicem deſinere in Anno MLXXXI. & ſcripſiſſe Hiſtoriam Annorum CCLXVIII. Quot iſthic verba, tot quoque errores. Nam Scylices nec ab Anno DCCCXIII. orſus eſt ſuam Hiſtoriam, nec CCLXVIII. Annorum Hiſtoriam ſcripſit.

(a) Joan. Scyl. Curopal. in Hiſt. per Gabium latine reddita.

(b) Idem ibid. pag. 656.

filium, tanquam proditorem Romani Diogenis, dum contra Turcas bellaret, depingit, quem Bryennius Cæsar miris laudibus ornat, perfidiæ nuspiam accusat. Scylices (a) scribit, Joannis Cæsaris perfidia factum, ut Imperatori Diogeni oculi effoderentur, Bryennius id non modo non memorat, sed etiam magnis Joannem encomiis extollit. Scylices (b) affirmat, Michaëlem Ducam in Blachernensi æde purpuram cum Monastica lacerna ultro mutavisse: Briennius contra exerte dicit, Michaëlem vi a seditiosis Aula protractum, atque in Asceterium deductum esse. Et tamen dum ista fierent, uterque, & Scylices & Bryennius vixerunt. Ille Præfectus Palatio erat, iste Cæsar: utri jam eorum credemus? ambobus enim, plane contraria scribentibus, assentiri nequimus. Si Nicephoro Bryennio adstipulamur, periculum incurrimus, ne Scylicis fide in suspitionem tracta, nonnullam Dignitati ejus injuriam inferamus, erat enim Curopalates. (c)

(a) Idem ibid. pag. 661.

(b) Idem. ibid. pag. 673.

(c) Hæc dedita opera refero. Nam Adversarius pag. 100. metu me percellere conatur, quando scribit, fidem Scylicis a me in suspitionem trahi *cum nonnulla Dignitatis illius injuria, erat enim Curopalates, hoc est, Palatio Præfectus.* Magnum, me hercle! ad conciliandam Scylici certam fidem argumentum. Curopalates erat, ergo non erravit. Si fides in Dignitatibus posita est; quid sentiendum erit de illis, qui nulla Honorum & Titulorum prærogativa condecorati, sed solius calami & atramenti Dignitate turgentes scribillant? Neminem Præfectura Palatii Imperialis facit falli, fallereque nescium. En! Anna Comnena filia Alexii Comneni Imperatoris, Uxor Nicephori Bryennii Cæsaris, scripsit in Gregorium VII. atque in Pontifices Romanos universim, qui se Patres Christiani orbis vane jactent, quippe cum Impetio Romano Pontificum quoque thronum, sacramque in omnes Christianos potestatem Bizantium esse translatam. Hæc Anna: & quis illi fidem tribuit? Catholicorum sane nullus, nisi si quis filiam Imperatoris, Uxorem Cæsaris, adeoque summa Dignitate præcellentem non posse non vera scribere, stolide sibi persuaserit: sed nec Eruditorum Heterodoxorum ullus id credit. Unde Kérius pag. 365. ad Annum MLXXXI. muliebris loquacitatis & petulantiæ, inscitiæ, vanitatis, malæ fidei illam arguit, imo pluribus locis tantum non mendacem pronuntiat. Et quid doctissimus Jacobus Gretserus? in refutatione Alogiarum Annæ Comnenæ in Alexiade contra Gregorium VII. Tom. VI. pag. 268. de illa sic scribit: *Non est, quod Schismatica hæc Mulier fidem apud nos cum hisce suis Mythologiis sè reperturam speret.* & pag. 269. *Pergit Anna ineptire:* rursum pag. 272. *Anna - - nihil sincere & candide de latinis in literas referre potuit.* At parcius ista Viri Clarissimi: vetat Cl. Pray Præfecti Palatio fidem in suspicionem vocare: quid vobis fiet, qui Imperatoris Filiæ, Uxori Cæsaris fidem etiam omnem abjudicatis? Bono tamen sitis animo, nam ipse Severus Cato noster, suine, an suæ prohibitionis oblimus,

Si vero Scylici præ Bryennio adhæremus, majus periculum nobis ingruit, quia iſte eminentiori Dignitate fulgebat, erat enim Cæſar.

Id modi antilegomena, & ſæpe incredibiles narrationes Scylicis, de hoc enim ſolo controvertimus, in cauſa ſunt, quod Eruditiſſimi Viri ejus teſtimoniis oppido parum fidant, nec niſi cauto cum delectu parciſſime utantur: præſertim cum talia refert, quæ nemo ante ipſum perhibuit, quæve nullus veterum poſt ipſum adoptare dignatus eſt: quale etiam ſine dubio eſt, quod de Synadene, Regi Hungariæ nuptum locata, fabulatur. Hinc eſt, quod Cl. Franciſcus Kéri in Conſtantino Duca de ejus fide dubitet: quod Doct. ac Cl. Kollár fidem illi loco citato adſtruere nolit: quod Cl. Stiltingus (a) de eo palam ſcribat hiſce verbis: *Errant Curopalates & Cedrenus, dum affirmant - - Hinc colligas, quanta negligentia in ſcribendo uſi ſint Græci illi*: Et rurſum: *Erroribus claris admiſcent alia, quæ veriſimilia non ſunt.* (b) Sed ſit inſtar omnium unus Jacobus Baſnage, apud omnes ſane Eruditos Doctiſſimi & non vulgaris ſcientiæ Viri nomen conſequutus. Is (c) hæc de Græcis Scriptoribus: *Semper fuit indoles Græcorum, ut veritatis parum ſtudioſi, fabulas ſumma animi contentione perquirerent - - portenta fingunt illi: ab Hiſtorica veritate vel incauti, vel libenter deviant, rerum geſtarum ſeriem immutant, quin imo res inauditas, quæque fidem*

---

tus, jam vobis jungitur; nam Diatr. pag. 149. ſcribit. Annam Comnenam multimodis erraſſe, imo *in rebus etiam Patris ſui, in Domeſtica Geneologia inſignes errores erraviſſe:* & demum bene longum Syllabum erratorum ejus fideliter recenſet: & nihilominus non veretur ita omnem Comnenæ fidem evertere cum Imperialis & Cæſareæ *Dignitatis injuria.* Mirandum attamen maxumopere eſt, quod a nobis exigere audeat, ut in Scylicis verba juremus: & eccur? quia nempe is *Præfectus* Palatio, & rebus illis ptæſens erat. At, at nonne Anna, Imperatoris Filia, Cæſaris Uxor erat? nonne Patris ſui, cui utique præſens aderat, res geſtas ſcribit? & tamen fidem illi Noſter abrogat, quia *inſignes errores erravit.* Idem ergo ex lisdem cauſis licet nobis de Scylice ſentire, quin Dignitati Præfecti Palatio injuriam intulerimus. Itaque non eſt, cur nobis bonus ollas oſtentet.

(a) Stilt. Comment. prævia ad vit. S. Steph. R. die II. Sept. §. VI. Num. 67.

(b) Idem. ibid. num. 68.

(c) Jacob. Baſnag. in obſerv. ad Menol. Græcorum ap. Henr. Caniſium Tom. III. pag. 411.

fidem nullam merentur, confidenter - - narrant. Hujusmodi profecto res est, quam Scylices de Synadene, Hungariæ Regi nupta, refert.

Ast; quia Noster adhucdum Scylicis fidei integritatem tueri pergit, sic enim scribit: *In Historia annorum CC. & LXVIII. - - pronum est, aliqua posse contineri, quæ fabulam redolerent*; (a) ideo revocemus in examen Scylicis Compendium, & generatim secernamus vera ab illis, quæ fabulas redolent. Nec dubito, illa pro veris haberi debere, seu quæ Scylices ex aliis probatis Authoribus, præsertim si consentientes sunt, sumpsit: sive vero, quæ ex Scylice alii concorditer exscripserunt, & hac parte vera esse agnoverunt. Ab op. posito, ea omnia, quæ Scylices scripsit quidem, sed nemo alius eorum ante ipsum meminit, aut quæ nemo alius post ipsum adoptare voluit, atque hac ratione pro commentiis habita sunt; omnis profecto nisi frontem cum mente deposuerit, inter fabulas rejiciat oportet. Et plane tale est, quod de Synadene annotavit, nemo enim illi hac in re præluxit: nemo probatorum Scriptorum id exscribere, suumque facere voluit, ne videlicet se communi cachinno deridendum proponeret: idque ab Anno MLXXXI. in quem Scylicis Epitome desinit, usque ad Annum MDCCXLIV. hoc est, ferme septem Sæculorum curriculo: hoc demum Anno Cl. Kéri, ut Virum doctum decuit, dubitans, ejus Primus meminit Cl. Pray vero (b) jam id in Theses etiam retulit, & sic nubem pro Junone, puram putam fabulam pro veritate nobis obtrudere non verecundatur. Sane certissimo id ad fabulas relegandum esse, id quoque liquido probat, quod Cedrenus nullam ejus mentionem faciat. Scitum siquidem est, Scylicem ea, quæ ab An. DCCCXI. usque MLVII. scripsit, ex Cedreno sumsisse. Audiamus celeberri-

(a) Diatr. pag. 100.

(b) Diatr. pag. 108. & sequ. Sed quam ego tardus sum in assequendo sensu Prayanæ sententiæ. Jam sentio, cur scripserit, D. Cornidesii industriæ omnino deberi, quod Synadene inter Reginas Hungariæ locum habeat. Utique illi debemus, quia primus omnium somnium Scylicis pro re vera nobis industrioſe obtrusit, fabulam in certam Historiam commutavit.

rimum Annibalem Fabrottium. Is (a) sic de Joanne scribit: *Cedrenum* ἀντολεξει *descripserat. Unde mirari subit, quanta securitate Sæculi sui Curopalates alienum opus sibi vendicavit. Itaque si quis Curopalatem desideret, sciat eum Cedreni Simiam esse, nam totidem verbis Curopalates constat.* Igitur quia Cedrenum ad verbum exscripsit, & iste nihil prorsus de nuptiis inter Synadenem Græcam, & Regem Hungariæ conciliatis, memorat, manifeste liquet, illas ab Scylice confictas esse, & fabulis adnumerandas. Certe enim nemo sanus credet, has nuptias, si quæ fuissent, velut alioquin Græco fastui congruentes, silentio præteriturum fuisse Cedrenum tum viventem & scribentem. Valeat ergo Noster hoc quidem loco cum Scylicis Palatio Præfecti omnino singulari testimonio, & Synadenem inter suppositas Hungariæ Reginas deinceps connumeret. (b)

Post hæc, sentiens Crito noster nulla liberali arte se posse ad portum pertingere, quid agit? illiberaliter videlicet confingit, (c) a me ad Historiæ sinceritatem requiri, ut Scriptor *rebus, quas narrat, contemporaneus sit, imo adsit etiam præsens* Ita solius nasci beneficio sagacissime odoratur, & indagat, quot sub uno frutice lepores delitescant. At demum fictitias has umbras, atrocia convitia cumulatim, quasi de plaustro funditans, his coronat: *Quid nobis duobus fiet Reverendissime Domine, qui Dissertatiunculas nostras citius, quam Curopalates suam Historiam, & magis perfunctoria opera scribillamus, quam ut ætatem Hemorobii laturæ sint.* (d) Provide facit, quod se hac Crisi, & si perquam mordaci, non eximat, imo perstringat etiam, quantumvis enim biennio integro in compilanda Diatriba sua desudaverit, illa tamen ipsa non obscure prodit, ab se & vere perfunctoria opera, nulloque solido argumentorum pondere scribillatam, & mille odii, furoris; atque vindictæ, quibus singulas

pene

(a) Annib. Fabr. Corp. Hist. Bizan. Tom. IX. in Prologo ad Cedrenum.

(b) Prayus Annal. Vet. Par. III. pag. 362. scripsit, valde probabile esse, Zonaram & Cedrenum sua ex Scylice promsisse: quod imperitum est. Quo anno vero Geysa Synadenen Uxorem duxerit, non definit; ideo hoc argumento tuto utor.

(c) Diatr. pag. 111.

(d) Diatr. pag. 111.

pene pagellas, velut ſuæ manſvetudinis emblamatis, inſignit, & condecorat, refertiſſimam eſſe, ut adeo optandum foret, ne vel unius diei ætatem tuliſſet, imo ne lucem vidiſſet unquam.

Qualem proinde Scylices, etſi Curopalates ſit, mereatur fidem, dum narrat, ex Sorore Botoniatis natam, Crali, ſeu Regi Hungarorum in Matrimonium collocatam fuiſſe, ex iis, quæ hactenus non tam ex mea, quam aliorum ſententia retuli, jam ſatis, ut reor, apparet. Quod autem ſcripſi, incertum eſſe, in ſcriptone quopiam fide digno Scylices invenerit, quod de Synadene dixit, an ex Seniorum narratione didicerit, non tale eſt, ut aperto cachinno dignum exiſtimari debeat, quod Noſter cavillatur. Non ignoravi ego Scylicem hoc ipſo tempore inter vivos egiſſe, imo exerte ſcripſi, illum circa Annum MLXXXI. vixiſſe, & eatenus etiam perperam laceſſitus ſum ab Adverſario, ut paulo ante vidimus. Scivi ergo Scylicem non habuiſſe opus, de iis, quæ tum agebantur, ad Scriptores, aut ſeniorum narrationem confugere. Verum quia ille ipſe fatetur, Epitomen ſuam ab ſe ex iis Scriptoribus, qui ſcripta ſua fabulis farſerunt, quæ itidem ab hominibus ætate provectis dedicerit, conſarcinatam eſſe, eapropter velut illuſorie objicere volui: Si Vir bone vera de Synadene narras, ſcimus enim fabulam eſſe, dic nobis, an id ex Scriptore fide digno, vel ex Seniorum narratione itidem fide digna didiceris? cæteroquin tibi, rem prorſus ſingularem ſcribenti, non credimus. Id in communi etiam ſermone factitari notum eſt, ut dum quis rem incredibilem factam hodie narrat: dicere ſeu joco, ſeu deriſione ſolemus: *Dic nobis in quo Auctore hoc legeris, alias non credimus*, cum tamen haud nos lateat, de re, quæ hodie facta prætenditur, nullos Auctores vulgatos eſſe. Cæterum, ſi hæc non ſufficiunt Noſtro, reſolvat per me licet, pectus in cachinnos, dummodo periculum lumbifragii non ſubeat, erit tamen ejus τέλος μεγαλοπρεπῶς. Mihi ſatis eſt, quod hoc quidem loco ignorantiam mihi merito allinere nequeat: Sed indignum eſt, hujusmodi nugis refellendis immorari.

Nec vero minor eſt altera, tametſi audentior, calumnia, qua Noſter utitur, ut a me imperite dictum oſtendat.

dat, (a) Synadenem Botoniatis filiam fuisse. Clarum est (b) in Dissertatione mea uno loco Synadenem Botoniatis Filiam nominari, cum fuerit ex Sorore Neptis. Ast id innocuo errore evenisse, facillime Crito noster animadvertere poterat, si veritate duntaxat & Crisi, & non etiam arte, atque dolo in me pugnaret. Nam eadem ipsa pagina Synadenem Botoniatis *Sororis filiam* nomino: ita pariter pagina immediate antecedente ex Scylice, Synadenen Botoniatis *Sororis filiam* voco: rursus pagina illico consequente Synadenen Botoniatis *Sororis filiam* appello. Quæ cum ita sint, aut animadvertit Noster, a me Synadenem Botoniatis Sororis filiam tribus locis exerte dici, adeoque cum uno loco filiam nomino, sola omissione voculæ *Sororis* innocenter peccatum esse? & non sine insignita fraude dissimulat: aut non animadvertit? & manifeste prodit, non modo perfunctorie mea ab se lecta fuisse, sed & parum se videre, odio oculorum aciem hebetante. Ut adeo mirum videri debeat, Virum doctum, qui Criticen profitetur, id modi bullas captare, & atrociſſime in me hac verborum phrasi (c) insilire. *Jam illud absurdum, quod Synadenen Botoniati Filiam tribuit.* (d) Tran-

---

(a) Diatr. pag. 112.

(b) Disser. meæ pag. 125.

(c) Diatr. pag. 112.

(d) D. Cornides in easdem ansas venit, & pariter in meridie cæcutit, dum Τρυγόνος λαλιστδεος scribit sibi videri, Scylicis vel perfunctorie *saltem* a me inspectum, vel non satis expensum fuisse locum. Συδαιτικοι λογοι! imo vero pag. 124. exerte scripsi, Scylicem perhibere, Botoniatem dedisse Sororis suæ filiam Synadenen Regi Hungariæ Uxorem. Quorsum ergo referuntur ampulloſi illi sermones? Deinde, velut ex Stoa Zenonis Doctor pag. 34. producit Scylicis de Synadene sententiam tanquam rarum quodpiam Monumentum, quod tamen & ego, & Cl. Pray jam pridem toties protrivimus. Tum pag. 34. prorsus nugatorie exclamat, me S. Ladislao ab intimioribus consiliis haud fuisse, adeoque nec scire posse, quid S. Ladislaus permissurus fuisset. Levis Oratio! videtur Vir sibi nimium placens conjecturarum naturam non satis nosse. Tandem pag. 39. convitiari pergit, & jam judicem se constituit, qui paulo ante solum Magister erat; scribit, mirari se, quod argutias, & effugia, quæram potius, quam ut ulla in re cum Cl. Prayo sentiam. Ast, quæ Anus illum fecit, non dicam cogitationum, sed factorum meorum arbitrum? Multæ mihi adversus hujusmodi pedaneum Judicem excipiendi causæ supperunt, quas proferendas meliori tempori reservo. Reliqua, quæ de Synadene cum fascino refert, rursus aut cum Prayanis eadem sunt, aut tam rigida, ut illis vel modico temporis intervallo immorari, esset otio abuti. Cæterum, quod sentio, edisſero, videtur mihi, nec abs re, Cornidesius ad serendas calumnias ære conductus esse, alias, ut mihi persuadeo, tot absona plane agresti stylo chartis vix illevisset.

Nuptiis his obfuerint etiam gesta Botoniatis.

Transeo ad Nicephorum Botoniatem, de quo scripseram: non esse credibile, Geysam, Regem fortissimum, & sanctitate conspicuum, ex Asia hominis obscuri, impotentis, & perduellis, Sororis filiam, Conjugem sibi delegisse. Adversarius ex his meis perperam arguit, non fuisse necessum, Geisæ, Uxorem ex Asia plane accersere, quæ Bizantii fuit: nec Botoniates, tametsi in Asia Copiarum Dux fuerit, propterea etiam Asiaticus erat. (a) Herbam lubens porrigam, & palmam Adversario concedam, si sua hæc duo dilucide probaverit. Exerat hic nobis suam industriam, & qua in hoc genere pollet αγχινοιαν, ac solertiam explicet: ostendat, Synadenen Bizantii habitasse: quin imo, quia non est dubium, Patrem ejus Synadenum Asiæ incolam fuisse, verisimillimum est, filiam quoque ibidem apud Patrem, & Matrem commoratam fuisse; quod enim Noster addit: *Turcas harum formarum non viles Spectatores esse*, prorsus inficetum inaneq; est: præter quam enim quod prius doceri deberet, Synadenen formosam fuisse; talium siquidem formarum sunt homines non Christiane viventes curiosi spectatores: præterea non erat necesse, ut Synadenus cum filia sua apud Turcas mercatum faciat: alias dicendum erit, nullam Mulierem in exercitu Græcorum adversus Turcas, adeoque in Asia, præsentem fuisse: quod tamen neminem crediturum existimo. Alterius Noster hujusmodi causam reddit: Botoniates non erat Asiaticus, *qui sub Michaële Duca Curopalates - - erat.* Egregia sane consequutio, nec nisi apodictica: Curopalates erat, ergo Asiaticus non erat. Hoc si valet, fateatur Noster oportet, contra manifestam veritatem, Joannem Scylicem non fuisse Curopalatem: palam enim est, ex Asia minore oriundum fuisse. (b)

(a) Diatr. pag. 112.

(b) Necesse est hic ardentem D. Cornides gloriæ cupidinem in lucem protraheret, qui horum occasione pag. 38. ita velut æstro percitus scribit: *Synadenen in Scylice quis primus repererit, ad rem nostram nihil prorsus refert: frivola saltem contra Synadenen exceptio est, ad invidiam Cl. Prayo, mihique conflandam unice comparata, detectæ Synadenis gloriam non nobis deberi sed aliis.* Neutri profecto suam fortunam, minus vero gloriam invideo, & nec ullus, ut reor, alius: habeant sibi suas crepundias. Sed an frivola est exceptio illa, & ad invidiam conflandam comparata, quæ ostendit a Prayo falsissime industriæ Cornidesii tribui, quod Synadene inter Regi-

His itaque inanimentis ad elumbes argutias relegatis, videamus etiam Adversarii detorsiones. Botoniatem *hominem obscurum dixi*: quid ille? iterum iterumque ad falsimonias recurrit, & scribit; *(a)* Botoniatem a me *obscuri generis hominem* vocari. At ego nuspiam genus Botoniatis pervestigo. Piget & tædet ad Lexicographos redire, & tamen ad revincendas Adversarii fraudes necesse est. Omnes isti, horum duorum: *Homo obscurus*, & *Homo obscuri generis* diversissimum sensum produnt. Illud indicat hominem, absque ulla ad genus nativitatis reflexione, qui per illustria facta non inclaruit: aut per indecora, velut in tenebris delitescit: Istud significat hominem vili & ignobili genere natum. Illud prius de Botoniate audacter asserui, & assero: istud posterius nec in somnio affirmavi. Adeat intempestivus Crito noster Ciceronem, & deprehendet verum sensum explanationis meæ: Iste itaque *(b)* sic habet: *obscurus Heraclitus, minime Democritus*: audebitne quis dicere, Heraclitum obscuro genere natum fuisse, a Cicerone indicari? nihil minus; is etenim Nobilis Ephesius fuit: *(c)* sed ob id obscurum dicit: quod de industria stylum adeo obscuraret, ut ejus scripta Philosophi sudantes vix intelligerent. Et alibi *(d)* sic loquitur Cicero: *Tibi vero Nobilitas Servi Sulpici, tametsi summa est, tamen populo - - & - - Suffragatoribus obscurior.* Summam Nobilitatem Sulpitii agnoscit Cicero, sed simul una pronuntiat illam obscuriorem esse; quasi diceret: Magna quidem Sulpici est tua Nobilitas, sed quam apud populum, & Suffragatores egregiis factis non illustrasti, ideo illis obscurus es. Rursus *(e)* Ciceroni *obscurus Vir* idem est, quod astutus & fallax. Quæ omnia, quemadmodum Botoniati optime congruunt, ita illud meum: Boto-

---

Reginas Hungariæ locum habeat, adeoque quod huic gloria, *Primos Inventores* alias manens, quam illi Prayus non vere appingit, omnino non competat; imo vero ut solida, ita Eruditis grata hæc exceptio est, qua ne legentes decipiantur, præcautum est.

(a) Diatr. pag. 112. & 113.

(b) Cicero II. de Divin. XII.

(c) Vid. Hist. Dict. Loydii edit. Londin. MDCLXXXVI. De hoc Heraclito Clem. VI Strom. sic ait: ὅς παρ ὀρφέως τὰ πλεῖστα εἴληφεν.

(d) Cicero pro Murena XVI.

(e) Cicero III. offic. Cap. XIII.

Botoniates *obſcurus homo*, ſi quid latinus ſermo valet, nec arte, nec fraude ad generis obſcuritatem indicandam, neceſſaria lege, cogi poteſt. Et nunquid ab eodem Cicerone (a) diſcimus, *obſcurum* pro ignobili ſolum per Metaphoram accipi, quæ inde trahitur, quod Viri Nobiles omnibus conſpicui ſint, & cogniti; contra, qui humili genere ſunt orti, tanquam in tenebris agentes, nemini innoteſcant. Male igitur Noſter plani & directi ſenſus narrationem meam ad improprium, & Metaphoricum ſenſum ſine ulla neceſſitate ingratiis detorquet. Quæ utique ſi ab Adverſario, ut decebat, recte expenſa fuiſſent; & a me Botoniatis genus haudquaquam inquiri cognoviſſet, & labori, quem pro adſtruenda Botoniatis Nobilitate in caſſum ſuſcepit, parcere poterat: & neque mihi falſo affinxiſſet, quod Botoniatem *obſcuri generis hominem* declaraverim.

Reſtat, ut qua ratione Botoniati nomen *obſcuri & perduellis* tribuerim, explanem, ac momenta Adverſarii, quæ, ut Botoniatem omni culpa abſolvat, per quatuor integras paginas (b) operoſe congerit, diſſipem. Non enim omnibus, quæ noſter Auctor dicit, confeſtim fides habenda eſt, quod puto ex aliquot locis, quæ hactenus pertractavi, compertum eſt. (c) Botoniates igitur Anno MLXXIII. ad Sangarium pontem conſerta contra Urſelium manu, Joannem Ducem exercitus Michaëlis Ducæ *ſubductis ſecum, quibus præerat copiis*, proditione deſeruit, & *receſſit, cum toto impetu ſuccurrere deberet*, atque ita Joannem ab Urſelio, vinci, capique paſſus eſt. Hæc ex Bryennio plane coævo. (d) Idem Nicephorum Botoniatem Rebellem, Michaëli Auguſto ingratum, factione quadam abreptum, inque Imperium fuiſſe evectum perhibet: *Manus Clavo Imperii torquendo nequaquam pares* habuiſſe: Imperium uſurpaſſe: hominem privatum, alienique generis fuiſſe affirmat. Rurſum (e) ſic habet:

Qui perduellis erat, neque *egregie* factis multum inclaruit.

(a) Cicero I. offic. Cap. XXXII.
(b) Diatr. pag. 115. ſequ.
(c) Hæ phraſes Adverſarii ſunt, quas, uti & alias, quod in Præfatione monui, non infrequenter meas facio; belliſſime enim in Authorem recidunt.
(d) Niceph. Bryenn. Corp. Hiſt. Bizan. Tom. IX. pag. 36. edit. Venet.
(e) Idem ibidem pag. 37.

bet: *Botoniates Nicephorus unus è Nobiliſſimis Orientis, quem dudum Imperator univerſis Orientalis tractus præfecerat copiis, quam pridem parturiebat rebellionem, aliquando palam protulit.* (a) Et audet me Noſter carpere, quod Botoniatem Perduellem nominarim. Joannes Scylices Curopalata de Botoniate (b) ita ſcribit: *Adverſus ipſos* (Turcas) *coacti fuerant idonei exercitus Nicephoro Botoniate Duce, ſed avaritia & ſegnities rurſus effecere, ut omnis labor irritus eſſet, neque enim integer commeatus, ſed mediocris quædam pars illis tradita, militibus torporis cauſa fuit;* hinc factum fuerit, ut Magiſtratu abdicaretur, eodem Scylice teſtimonium perhibente. Et hoc non eſt genus ſuum obſcurare, hominemque *obſcurum fieri*? quam maxime. Idem Scylices (c) *Principes in Oriente*, ait - - *quam pridem rebellionem conceperant, ad opus perducunt, & Curopalatem Nicephorum Botoniatem convenientes, Imperatorem declarant.* Lupus quoque Protoſpata (d) tradit, Michaëlem, audita Botoniatæ rebellione, veniſſe in Apuliam. Glycas: (e) *Duces Orientis, nimirum Alexander, Cabaſilas, & Botoniates, quam defectionem parturiebant hactenus, in lucem edidere, Botoniate Imperatore deſignato.* Audiamus etiam Conſtantinum Manaſſem, qui (f) ſic loquitur: *Nicephorus Botoniates - - tandem manum ſibi quandam opitulatricem adjungens Nicæam occupat, & literis ad Imperatorem perſcriptis hortatur, ut volens Imperio ſibi cederet, abſque ſanguinis effuſione, ac vitam - - quietam & a negotiis immunem ageret - - Bizantinam Urbem Botoniates occupat, Michaëlus autem non ita pridem Imperator in Monaſterium detruſus. - - Sed enim Botoniates multo ſenio gravis, non ſui tantum, verum etiam provectæ ætatis oblitus, Anteceſſoris Michaëli Conjugem ſibi Matrimonio copulat.* Hoc modo expingunt Botoniatem Græci Scriptores.

Hinc

(a) Hinc illud quoque patet, quam vere ſcripſerit Noſter, Botoniatem fuiſſe ex Aſia oriundum. Certe Bryennius hoc loco nomine Orientis, & Orientalis tractus Aſiam indigitat; proinde ſicut Botoniates Orientalis tractus, ſeu Aſiaticis copiis Præfectus erat, ita ex Orientis, ſeu Aſiaticis Nobiliſſimis Parentibus ortus erat.

(b) Joan. Scyl. Curop. Excerp. Breviar. in Corp. Hiſt. Bizan. pag. 641. edit. Venet.

(c) Idem ibid. pag. 670.

(d) Lupus Protoſp. in Not. ad Zonaræ Annales.

(e) Glycas Annal. Par. IV. pag. 256. in Corp. Hiſt. Bizan. Tom. VII.

(f) Conſtan. Manaſſ. in Corp. Hiſt. Bizan. Tom. XIII. pag. 112. edit. Venet.

Hinc Kérius, Scriptor ſolidus, & gravis, cujus teſtimonio tuto ſtare poſſumus, (a) in *Michaële Duca* exerte iſthæc ſcribit: *Certe Botoniatis verſutiis Michaëlis Principatus turbatiſſimus erat: omnia ad rebellionem, & turbas ſpectabant.* Rurſum ad Annum MLXXVII. hæc de Botoniate notat: *Fortunatius Botoniati in Aſia, ſi quæ tamen in his fortuna, ſua ceſſit perduellio, is enim - - etſi pertenues in Aſia res haberet, acclamatus tamen Imperator eſt, ſenio jam gravis, minimeque Imperio aptus.* Adjiciat ad hæc Crito noſter oculos, inſpiciat, Dioptram, & ſpecular admoveat, & obſervet, quam *obſcurus* & perduellis fuerit Botoniates: inde factum, quod *Coſmas Patriarcha*, verba ſunt Kérii: *Imperatorem Nicephorum Botoniatem ad deſerendum Principatum, quem non bene occuparat, hortari cæperit.* Utique non bene, quia verſutiis, & factione: quod etiam ex Bryennio manifeſtum evadit, qui teſtatur, Michaëlem Ducam vi *a ſeditioſis* aula protractum, atque in Aſceterium deductum, Coronam Botoniati cedere debuiſſe. Satis ſuperque jam, ut reor, liquet, Botoniatem a me jure meritoque *perduellem* & *obſcurum* vocitatum eſſe. Quis autem tam vecors erit, ut credat, Geiſam Regem fortiſſimum, & ſanctitate conſpicuum, (b) ex Aſia hominis obſcuri, & Perduellis, Sororis filiam Synadenen, Conjugem ſibi delegiſſe?

Igitur commentitium eſt Synadenen ab obitu Geyſæ Bizantium reverſam.

Fruſtra his obnititur Adverſarius, nec ex Scylicis verbis, quæ copioſius recitat, quidquam vel tenuis argumentuli pro innocentia Botoniatis emicat: imo paulo ante ex eodem. Scylice contrarium docuimus. Illud vero meliorem me in Ad-

(a) Ita enim in Præfatione ad Imperatores Orientis de ſe ſcribit: *Scriptores eos potiſſimum ſequi propoſitum fuit, qui ætate illa, vel proxime ſequente ſcripſere; nec unum aliquem, ſed plures ſimul, ac quod maxime exploratum erat, id in Epitomen referre.*

(b) Exprobrat mihi Noſter, quod argumenti rationem a Sanctimonia repetam; ego vero exiſtimo hoc loco congruentiſſime ab inſigni Geiſæ pietate argumentum peti; quis ſibi enim perſuadeat, ut Princeps pacis publicæ ſtudioſiſſimus, & cultus Divini promovendi zelantiſſimus, qualis Geiſa fuit, ejus hominis, qui omnia turbis, & factionibus miſcet, adverſus ſuum Principem ſeditioſus, & perduellis arma corripit, qui dolo, vi, & verſutiis cuncta perturbat, ex Sorore Neptem Uxorem ducat? id profecto cum eximio Geyſæ Regis pietatis ſtudio non cohæret. Unde vel hoc ſolo Synadene repudianda foret titulo.

versario fidem desiderare jubet, quod (*a*) scribit, videlicet Botoniatem, imprudentem initio rebellionis, & invitum fere a Præfectis Orientis, & ab Utbico Senatu, & maxima Civium parte, tum ab Episcopis, & universo Clero Imperatorem renuntiatum esse. Et *invitum* fere? & *imprudentem rebellionis?* Hoc quidem nec in Scylice, nec in Zonara, nam horum solum testimonio utitur nec apud alium ullum legit, aut posthac lecturus est unquam; quia ille de eo ne verbulum: vidimus contra ex non obscuris Græcorum Synchronorum, & paulo remotiorum testimoniis, Botoniatem vere perduellem fuisse. Et nihilominus Noster nihil metuit audacter pronuntiare: Invitum fere, & rebellionis imprudentem Botoniatem, Imperatorem renuntiatum esse? Sic nempe: *Delphinum Sylvis appingit, fluctibus aprum.* (*b*) Illud tamen in confesso est, Botoniatem suffragio majoris partis Cleri, & Optimatum clavo Imperii admotum, festivoque ab Urbe plausu exceptum fuisse: Sed audiamus, Bryennius Cæsar quomodo id describat: (*c*) *Universus fere Senatus*, inquit, *& ex Ecclesiastico gradu plerique quærebant, modum redigendi Michaëlis in ordinem, & Botoniatæ Imperio præficiendi, cujus videlicet occultis legationibus corrupti, & in spes sibi amplas Diplomatibus ejus auro signatis erecti fuerant.* Kérius quoque (*d*) isthæc annotavit: *Botoniates Nicææ ut Imperator acceptus, exercitum sibi non contemnendum e suis, Barbarisque paraverat, quo in Urbe cognito, seditiosi quidam jam antea a Botoniate clam promissis præparati, tumultum in Michaëlem exciunt. - - Intellecto Urbis in se favore Botoniates haud cunctatus diu, in palatium navi trajecit, exceptus festivo ab Urbe plausu, atque ab iis etiam, qui Michaëli antea studuerunt, tempori nimirum inservientibus.* Quid enim aliud facere poterant, Præfecti, Episcopi, Clerus, Senatus, & populus? prævalente nimirum factione Botoniatis. (*e*) Unde videre est, Nostrum ex harena funiculum nexuisse.

Quod

(*a*) Diatr. pag. 117.
(*b*) Horat. in Art. Poet.
(*c*) Bryenn. Cæsar Comment. Lib. III. pag. 53. Tom. IX. Corp. Hist. Biz.
(*d*) Kéri Imp. Orien ad an. MLXXVIII.
(*e*) Male ergo scripsit pag. 118. Nostrum & obscuritatem generis a me Botoniati falso appingi, & illius rebellionem incertam esse. Illud nec per somnium vidi, istud apertissime probavi: adeoque illud non optima fide mihi allinitur, istud omnino perperam statuitur.

Quod reliquum de Synadene, ſuppoſita Hungariæ Regina Bizantium reverſa, Adverſarius agglomerat, (a) id omne παραδοξον eſt. Geiſa Anno MLXXVII. mortuo, ita ille, ſequente autem, Botoniate Imperium adepto, ad quem *Mulier Græca ignara linguæ Hungaricæ, & forte morum exoticorum etiam pertæſa - - tutius & melius confugeret, quam ad Botoniatem Matris ſuæ fratrem, cui diuturnum Imperium ex miro omnium conſenſu, quo ei delatum erat, futurum eſſe - - facile intelligebat.* Speciosa verba! quæ fere commiſerationem erga Synadenen excitant, ſed aſſenſum non impetrant; quia nullo verborum fuco, ſe veritas obvelari ſinit. Si quæram: eccur tanta confidentia Crito noſter ajat, Synadenen *ignaram linguæ Hnngaricæ fuiſſe?* hærebit profecto aqua. Teſtes poſco, non ex ſolius arbitrii placitis confictas umbras; Quid? quod hac ratione, nimis hebetem, & forte etiam non amantem Mariti Adverſarius Synadenen facit. Nam hac ipſa pagina, etſi nemine ſibi præeunte, ſcribit: *Botoniates - aliquot annis ante rebellionem exortam, Sororis ſuæ Filiam Synadenen Geiſæ Uxorem dederit.* Rebellio autem eodem Anno exorta eſt, quo Geiſa Rex obiit: aliquot igitur Annis Synadene, ſi quæ fuit, Geiſæ convixit: aut proinde ſe ad condiſcendam aliquot illorum annorum intercapedine Hungaricam linguam impendit, ſed nihil proficere potuit; & ſic *Hebes* erat: aut impendere ſe neglexit, atque contempſit: quod, qui apud gentem aliquam vivunt, illi ſoli facere conſueverunt, qui talem gentem oderunt, aut aſpernantur. Sed & cauſa Mariti, hunc enim linguæ græcæ gnarum nemo ſane docuerit, ſi illum dilexit, didiciſſet linquam Hungaricam; tum ne cum Conjuge ſolis ſignis, ac nutibus loqui debeat; tum ut id modi diligentia, & ſtudio Conjugis amorem magis ac magis ſibi conciliet. Id ſi agere derrectavit, prodidit ſane, & amores Mariti ſibi parvi eſſe, & Maritum ab ſe ſe non integre diligi: quod tamen non niſi cum ingenti injuria Adverſarius effictæ ſuæ Synadeni falſe appingere poteſt. Præterea nemo ſibi perſuaſerit, inter Geiſam, & Synadenen nuptias unico temporis momento coaluiſſe; ſponſa prius fuerit. Credet ne vero Noſter, Patrem ejus Synadenum tam incu-

(a) Diatr. pag. 118.

incurium fuiſſe, ut Filiæ, Regi Hungariæ nuptum collocandæ, prius quam in manus ejus conveniret, rudia ſaltem linguæ Hungaricæ elementa, inſtillari non fecerit, quæ deinde illa uſu, & ſtudio in ampliorem cognitionem inter Hungaros ſenſim evolveret; atque tali pacto, & Viro ſuo, & populo, ad quos itura erat, complacere allaboraret. Quid? quod id ipſum apud Magnos noſtris etiam temporibus factitari experimur. Neque modns ta.ia patrandi Botoniati, & Synadeno deeſſe poterat; erant enim ex primis, ut ait Noſter, Imperii Græcorum Optimatibus. Proinde veriſimilius eſt, Synadenen, ſi quæ exſtitit, & Geiſæ nupſit, linguam Hungaricam calluiſſe: atque adeo hoc quidem titulo a morte Geiſæ Mariti, Hungaria excedere, Bizantiumque redire haud quaquam neceſſe habuit.

Quod autem Cato Noſter dicit: Botoniati diuturnum Imperium quod ex *miro omnium conſenſu* occupavit, futurum eſſe, facile intelligi poterat; jam penitus enervavi. Mox ut ille Imperator acclamatus erat, Meliſſenus, Nicephorus, & Georgius Paleologus Principes Viri illius cupiditati ſe ſe oppoſuerunt: Coſmas Patriarcha illum obteſtabatur, ut Principatum, quem occupaverat, deſerat: Michaël Ducas, adverſus quem acclamatus fuit, vi à ſeditioſis aula protractus, & in Cœnobium detruſus eſt, ut Græci Scriptores perhibent. (a) Jam vero ſi hæc delati Botoniati Imperii *mirum omnium conſenſum* indicant, neſcio, quas ſibi Ideas Noſter de Tyrannis Imperium vi occupantibus fingat? & ideo quemadmodum a veritate prorſus recedit, Botoniatem ex *miro omnium conſenſu* ad clavum Imperii conſediſſe, ita certo diuturnitatem Principatus ſibi polliceri non poterat, quod exitus etiam comprobavit: ſed neque id, ut Noſter vult, Imperium ejus ſtabile, ac diuturnum futurum denotare poterat, quod is affinem ſuum Synadenum Succeſſorem ſibi deſignare cogitaverit. Ita enim ſolent agere Tyranni, ut Regna, & Imperia ad ſuos transferant, tametſi non poſſint non prævidere illa haud futura diuturna, violenta enim non diu durant. Hæc igitur paradoxa merito poſſunt inter ægrorum ſomnia, vel inter Antiphantis Bergæi ἄπιστα incredibilia numerari.

Deni-

(a) V. Kéri Imper. Orient.

Denique, si adhuc contendit umbratilem suam Synadenen Bizantium rediisse: dicat nobis oportet, ubinam unius fere Anni spatio delituerit Synadene? Constat enim, Geisam Regem Anno MLXXVII. VII. Kalend. Maji e vivis excessisse. (a) Constat, Botoniatem eodem quidem Anno Mense Octobri Imperatorem acclamatum esse, at solum consequente anno die VII. Aprilis Imperium cum Corona reipsa capessiviisse, aut, quod Noster ait, die XXV. Martii Imperium adeptum fuisse. (b) Ad hæc, non est credibile, Synadenen turbatis adhuc Græciæ rebus, ad Botoniatem rediisse. Ubi ergo ab VII. Cal. Maji An. MLXXVII. hoc est, a die, qua Geisa Maritus ejus obiit, usque ad diem VII. Aprilis, vel XXV. Martii Anni MLXXVIII. quo Botoniates Imperium adiit, id est XI. Mensium intervallo delituit? Cur Mulier Græca, ignara linguæ Hungaricæ, & fortasse morum exoticorum pertæsa etiam, ad Botoniatem, Matris suæ fratrem, cui *miro omnium consensu* Imperium delatum erat, non properavit, rebusque suis, & quieti ocyus non consuluit? (c) nisi forte Hungari eam dimittere noluerint: sed quam tandem huic causam prætexemus? imo admodum verisimile est, si nostro credimus, Hungaros illam lubenter dimissuros fuisse, utpote quæ & linguam eorum condiscere dedignabatur, & mores exoticos oderat, & domestica Hungarorum fastidiebat. Proinde, ut illo, unde digredi tantisper necesse fuit, redeam, Filia Rudolphi Rheinfeldensis Comitis, & Cæsaris, inter veras, & genuinas, Synadene vero omni recto titulo inter suppositas, & commentitias Hungariæ Reginas, jure meritoque collocandæ sunt. (d)

(a) Joan. de Thurocz. Chron. Cap. LV.

(b) Diatr. pag. 118.

(c) D. Cornides pro suo ingenio, dubio procul ad ista respondebit: Quid ad nos, quod Synadene non illico a morte Geisæ Mariti sui Bizantium redierit; ita enim ille contra naturam conjecturarum, quæ tamen pars non minima Historiæ sunt, argumentari solet: uti mihi alias perperam oggessit, videlicet pag. 35. 36. & 37. quasi conjecturæ ex causa sumptæ, nullæ essent.

(d) Primus quod sciam, Franciscus Kéri ex Scylice prodidit, Synadenen alicui Regum Hungariæ nuptum collocatam fuisse, idque dubitans duntaxat, in Historia Imperatorum Orientis Tyrnaviæ Anno MDCCXLIV. vulgata. Cl. Prayus vero, quod jam alias etiam monui, id ipsum industriæ Cornidesii debere tribui intempestive affirmat. Palmaris hic error, ab eo profectus, qui alias quoque res certissimas nimia crisi per fas & nefas exagitare consuevit, summopere mihi displiceat,

§. XIII.

Fragmentum Epithaphii de Ladislai R. Coniuge videtur esse Bonfinio suppositum.

Dehinc *(a)* ad Lapidem Sepulchralem, Veszprimii Giselæ Reginæ positum, velut opimam prædam capturus Adversarius, velocissime currit, & adhæret. De hoc Cenotaphio tam frequentis cum illo altercationis jam tædet. Quare Lectorem ad Dissertationem meam de S. Ladislao, ubi hanc rem clare pertractavi, remitto; existimo enim, neminem, si modo ab animi spectris non exagitetur, futurum, qui non confestim agnoscat, & a me rectissima scripta fuisse, & omnia Adversarii Megarica Machinamenta futilia esse. Sed & si ego id haud fecissem, RR. ac Cl. D. Joannes Roka in duplici opere, & imprimis in posteriore, quod sub Titulo: *Protectus adversus Prayanas infestationes piissimæ Protoreginæ Hungariæ Giselæ Passaviensis tumulus.* Viennæ Austriæ MDCCLXXVIII. edidit, omnia Adversarii momenta, technas, & sutelas tam nervose, & egregie confutavit, atque protrivit, ut etsi Noster in Scena Terentii Cliniæ personam agat, *(b)* seque ipsum, usque volet discrutiet, nun-

---

cuit, non quasi gloriolam isthanc Cornidesio inviderem, sed ut ne legentes decipiantur. Jam vero; quia adduci non possum, ut credam, Cl. Prayum Historiam Kérianam nullo fere negotio parabilem, non evolvisse, & locum de Synadene haud deprehendisse; idcirco, licet invitus, existimare debeo, ab illo non ex ignorantia, quæ utique in tam celebri Critico, quique sibi suffenus est, exitiosa foret, hanc gloriolam Cornidesio tributam esse; verum ut propinato talismodi fascino, homini, qui magis sibi placet, quam Peleus in Machæra, Lethargum adducat, factioni, partibusque suis firmiori vinculo alliget. Respondit eventus conatui, D. Cornidesium his artibus in præceps impulit, neque enim alia ejus stratagemata memorare volo, quibus illum ad scribendum fere coegit. Ut ut sit, Cornidesius calamum in me, ultra quam conditio utriusque Nostrum ferat, exacuit, nec aliud fere, in suo opere agit, quam convitia, & maledicta in me detonat: quod jam ipse Libri Titulus portendit. Indolui ego bono Viro, quod se ad talia, quibuscunque demum delinimentis siverit incantari; & ut alias ejus animum novi, mitius tractandum esse putavi: ne tamen arbitrari possit, me adeo omnibus sensibus orbatum, ut ejus stylum, genusque, & genium scribendi nec videam, nec audiam, nec odorer, nec gustem, nec denique tangam, ea propter aliqua solum, in quibus magis exorbitat, Bono Viro posthac quoque objicere propositum est, ut videat, in quos laqueos ab Antesignano suo inductus sit.

(a) Diatr. pag. 119.

(b) Clinia domum ex Asia reversus mirum in modum sollicitus erat de amica, quam abiens Athenis reliquerat, atque ob diuturnam ejus absentiam, nimium se

nunquam tamen emerget: nunquam ex lapide Veſzprimienſi Giſelam inibi ſepultam exſculpet: neque tumulum ejus Paſſavienſem evertet, (a) quem tot invicta argumenta conſtabiliverunt.

Etſi vero jam antea plene proſtrata eſſe Adverſarii noſtri argumenta, quæ tanta verborum pompa oggerit, palam ſit, neque amplius velim confectæ rei immorari: juvat tamen quæpiam etiam hac de re ex Libro ejus excerpere, & legentibus ob oculos ponere, quo de ingenio Noſtri plenius judicium ferant. Scripſi ego (b) in hæc verba: *Suſpicor totam de Epitaphio illo (c) narrationem illaudabili alicujus induſtria Bonfinii Hiſtoriæ aſ-*

 ſutam

ſe ipſum diſcrutiabat. Unde placuit Terentio Comædiam Ili, ſub nomine Heautontirumenos producere, quod idem eſt, ac, ſeipſum diſcrucians. Voce iſta Noſter hoc locoin me ludit, ſed ludus ejus Empuſæ eſt: & tamen ille ipſe hic magis Clinia ſe ipſum diſcrutiat, quin diutine quæſitum Giſelæ tumulum inveniat. Hæc in gratiam Noſtri, qui phraſibus Terentii, & libenter, & frequenter utitur.

(a) D. Cornides hic a Prayo diſcedit: iſte tuetur Inſcriptionem Giſelani Lapidis, de qua nobis lis, verum eſſe Epitaphium: ille ſcribit, nihil referre ſeu Lapidem hunc Epitaphium, ſive Cenotaphium dicamus. Hoc non ſatis perite; plurimum enim id ad rem noſtram refert; quippe Cenotaphia mille locis erigi poſſunt, quin locum ſepulturæ illius, cujus honoribus poſita ſunt, deſſiniant: contra vero Epitaphia id ipſum certo evincunt. Hoc ſi Vir bonus rectius libraſſet, ſuo Achati melius adhæſiſſet. Rurſum Prayus mordicus defendit, Lapidem Makranczenſem Veſzprimio iſthuc delatum: Cornideſius contra veriſimilius eſſe putat, Lapidem illum ex Jaſovienſibus Latomiis volente Rhegyno acceptum, atque Makranczini poſitum, inibi remanſiſſe. Ita verba importat Hermodorus! Et cur id veroſimilius eſt? ideo, quia Cornideſio placet. Et unde habet, quod tum Jaſoviæ Latomiæ fuerint? ideo, quia Cornideſio id Spiritus privatus dictavit. Hiberæ Næniæ! Sed utri jam credemus? Cl. Prayo, an D. Cornides? alteruter certe errat. Illud autem etiam temerarium eſt, quod D. Cornides ſibi in me arrogat, dum ſcribit, Authores quos citavi, utpote Guicciardum, Spondanum, Bzovium, & Trithemium an adiverim, a ſe ignorari; quia Timon ad eos pari ratione provocat. At certus ſit, non rectas de libraria ſupellectili mea ſe habere ideas: hanc cum lubuerit, exploret, & certo me non criminabitur. Sed nec operæ eſt, illos Scriptores adire, neque enim ab extrema Thule petendi ſunt, & ſane omnes illos poſſideo. Cæterum: quid hoc ad rem, inſpexi ne illos, an non? cum tamen verum ſit, ab illis ea referri, quæ ſtatui: nimia igitur, atque adeo putida ejus cenſura eſt, ſæpicule ille in ſua opella clamat: *hoc non pertinet ad Noſtrum argumentum*, & nihilominus ſuum illis referſit libellum, quæ nullo pacto Genealogiam Regum Noſtrorum contingunt. Tale eſt illud, quod ſat ſpiſſe de Tumulo Giſelæ garrit, cum tamen ubicunque illa ſepulta ſit, ſemper verum manet, Uxorem S. Stephani Regis fuiſſe.

(b) Diſſer. meæ. pag. 130.

(c) Ridiculum eſt, quod D. Cornides, poſtquam pag. 28. Inſcriptionem Lapidis Bonfiniani mutilam declaraſſet, complere audeat addendo nomina: *Geslæ*, *Olayti*

ſutam eſſe. Noſtro vocula illa: *aſſutam*, viſa vel Barbariem olere, vel affectatam ſapere dictionem, adeo diſplicet, ut illam faſtidioſe ipſis plane duodenis vicibus regerat, & verſet, manifeſto indictio, ſe verbis magis, quam ratione certare velle: quod belli genus ego ad trivium ſoleo relegare. Cæterum quid peccavi, quod uſque ad ſubſellia Rhetorum (a) provectus non ſim? fortaſſis eo quoque progreſſurus, ſi hujus modi inſtitutum ſectari libuiſſet. Nimis ſane ille delicatus eſt, qui omnia ad Ciceronis, atque Auguſti ævum exigat, nec niſi Saluſtios ferat, & Cæſares, & Livios. Satis mihi eſt, bona ſcripſiſſe, etſi pedeſtri, atque inculto ſtylo agam: ſcriptio rudis, & barbara nihil Hiſtoriæ integritati officit, idcirco hanc barbariem, cum ſua ignorantia valere ſino. Attamen ſi vocem *aſſuo* inter barbaras rejicit, & ob id ad tædium uſque recoquit; noverit ſe rem habiturum

---

Olayti & *Stephani*, & poſt pauca vehementer laceſſit Virum ſui diſparem A. R. & Cl. Martinum Roznák, eam ob cauſam, quod is Tabulam Genealogicam a Cl. Langebeck, ut illi Cornides, ſibi ipſi applaudens, falſo appingit, ſumptam, auſus ſit complere, & ubi Langebeck (ſomnia ſunt hæc Cornideſii, nam Cl. Roznak, ut ex pag. 118. patet, Langebekium non noſcit, & id ab alio ſe accepiſſe affirmat) Geiſæ II Uxorem ſola litera N. deſignat, Roznák exerte Euphroſinam nominat: & mox pag. 44. ſubnectit Cornides: *Tantundem ego in alienis exſcribendis mihi haud permitterem.* Mira Metamorphoſis! Cl. Róznák ex alius ſenſu uno ſolum nomine Tabulam complevit: ille vero pro egregio ſuo ingenio tria addere non veretur. Cl. Roznák, etſi cupiam, nondum noſco: certa tamen fama comperi, celeberrimæ Univerſitati Græcenſi ejus inſignem eruditionem, & ſcientiam tanti eſſe, ut illum antea Spect. Decanum eſſe juſſerit, modo Mag. Rectorem ſuſpiciat. Et vel ideo ſtomachum mihi movet, quod quem Egregiorum, omnique ſcientiarum genere clarorum Virorum Collegium in pretio jure habet, in eum D. Cornides ultra omnem modum, & honeſti regulas acerbiſſime deſævire præſumat: ut adeo, niſi quæ forte inter utrumque ſimultas orta ſit, arbitrari debeam; hæc talia ex innato odio ſtatus Monaſtici & generatim Catholicæ Religionis fieri, ut principio ſtatim Libelli ſui, quod ſupra inſinuavi, ſatis apertis indiciis prodidit. Et cur alias, ſi ſolam veritatem Hiſtoricam inquirit, tam aſpere, atque contemptim in Virum Deo ſacratum, & Eruditionis nomen apud Doctos conſecutum, inveheretur? *Hoccine eſt humanum factum, aut incæptum,* inclamat illi Terentius Andr. I. V. I. pag. 95. edit. Paris MDLII. Ego vero amice ſuaſerim bono Viro, ut ſi porro ad ſcribendum animos adjecerit, memor & conditionis ſuæ, quæ illi in Viros de Republica Eccleſiaſtica pariter & civili, atque etiam literaria non male meritos, & Dignitatibus quoque conſpicuos, pro libidine graſſandi facultatem tribuere non poteſt, memor & modeſtiæ, a convitiis, contumeliis, maledictis, & id genus indecoris dicteriis diligenter abſtineat, talia enim ejus gloriolam, quam venatur, plurimum obfuſcant.

(a) Vid. eruditiſſimæ Diſſertationis de Hunnis Cl. Certo. Par. IV. qua omnes altercationes de Hungarorum origine contra Prayum ad vivum reſecat.

um cum Horatio, & Terentio (a) qua illi utuntur, Et Terentius quidem plane eodem, quo ego ſenſu, ait enim: *Ne quid ſuo ſuat capiti*, hoc eſt appingat, & affigat; hinc Adrianus Barlandus Rhetor Lovanienſis hanc phraſim dici in eos autumat, qui cum conantur fallere dolis, dolos conſarcinant, ne deprehendantur. (b) Unde *conſutis dolis* Plautus dicit. Basnage etiam, qui certe latini ſermonis cognitionem aſſecutus erat, hæc habet: *quisquis pro lubitu eventus nobis notandos cæteris conſuebat*, (c) ſed hæc diſcutiant Grammatici: Crito vero noſter parcius illudat.

Is, ut probet, Epigraphen illam in Bonfinii Hiſtoriam non potuiſſe intempeſtiva alicujus cura irrepere, in examen vocat Editiones, & Manuſcripta Bonfiniana: (d) ac primam quidem ejus editionem procurante Brennero Anno MDXLIII. prodiiſſe ſcribit: alteram cura Sambuci Anno MDLXVIII. Baſileæ: tum Francofurti Anno MDLXXXI. Hucusque totum veritati conſonum. Sed quid tum? igitur, id enim vult Noſter, in Bonfinii Hiſtoriam illa epigraphe ſubtrudi non potuit; quia videlicet primæ editioni reliquæ poſteriores accurate reſpondent. Sed Scipioni arundineo, innititur Noſter. Nam tametſi poſteriores editiones a prima Brenneriana non diſcrepent, attamen ſicut in iſtam, ita & in illas ex hac ſumptas, quantum ad tres Decades, error ſubrepere poterat: probandum igitur in primis fuiſſet, Brennerianam ex id modi Manuſcripto procuratam fuiſſe, quod ipſiusmet Bonfinii autographo, quo ad illam epigraphen, accurate conſentit, & tum conſequentia Noſtri valuiſſet, modo non item; fieri enim potuit, imo factum fuiſſe eventus docet, ut Brennerus ex tali M. S. Bonfinium ederet, cui epigraphe illa aſſuta fuit. Addit quidem Noſter, quod dolum hunc Brennerus

(a) Horat. de Art. Poët. Ver. 16. Terent. in Phorm. III. 2. VI.

(b) Ex hoc ſuapte corruit, quod Noſter pro ſuo epigrammate pag. 122. ſcribit: *Bonfinius provocat ad res Stephani II. deinceps a ſe narrandas: Non ſunt autem Librorum Sutores ita providi, & mendacii ſui memores, ut tam connexe fila ſua ducere, aut mentiri ſciant.* Squillas hic Noſter a ſepulchro vellit.

(c) Baſnage Henr. Canis. in Herm. Cont. Tom. III. pag. 193.

(d) Diatr. pag. 122. & 123.

eo quod plura (a) M. SS. exempla Bonfinii tum, cum illum ederet, extarent, prudenter comminiſci non potuerit. In Diſſertatione mea nuſpiam Brenneri memineram, adeoque de dolo ſuſpectum habere non potui, quod Adverſarius ad conflandam mihi invidiam in ſua officina excudit: Scio autem etiam Brennerum, quantæcunque eruditionis & fidei, decipi potuiſſe, tametſi exiſtimem, decipere noluiſſe. Cæterum, videtur Noſter non legiſſe Præfationem Brenneri in Bonfinium, verum ea, quæ de illo dicit, ex Davide Czvittingero ſolum exſcripſiſſe: de quo poſtea videro. Itaque hac quidem parte Adverſarii ſententia nihil præſidii nanciſcitur, & res omnis ad Manuſcripta redit. *Inter hæc ſine dubio*, inquit Noſter, *primum locum tenet exemplum Regium in membrana juſſu Wladiſlai II. exaratum, ac minio picturatum.* Mirum! ſi minium membranis infallibilem fidem olim conciliarit. *Alia apographa inde ſumpta*, perſequitur Noſter, *Viris eruditis - - deinceps communicata ſunt.* Sic Bohuslao Haſenſtein communicatum fuit hujusmodi exemplar: id quod ex illiuſmet Epiſtola ad Joannem Schlechtam patere Noſter autumat; ſed vehementer fallitur. Id enim niſi verba dare voluerit, ea de cauſa refert, ut nobis perſuadeat, Lobkoviczio miſſum fuiſſe, eam ob rem exemplar, ut judicium de illo ſuum promeret: etſi vero me non lateat, Bohuslaum Haſenſteinkium de Lobkovicz, qui & ea ætate vixit; nam Anno MDIX. Ludovici Coronationi Pragæ intererat, & Vir undequaque clariſſimus fuit, ut teſtis eſt Peſſina, (b) adeoque tanti fuerit, ut de eo arbitrari potuerit: nihil tamen horum ex laudata ad Schlechtam Epiſtola extundi poteſt: imo oppoſitum emicat; in illa enim ſcribit, Hiſtorias Antonii Bonfinii ſibi e Bibliotheca Regia deberi: quod id ſolum videtur innuere, quod ſibi ejusmodi exemplar fuerit promiſſum: non igitur cauſa cenſuræ, quod Noſter hariolatur: proinde prorſus ſupervacua eſt illius ad Haſenſteinkium provocatio. Ex his tamen infert, neminem

pro-

(a) Ita involute, & ut apparet, dedita opera ſcribit Noſter de M. S. exemplis Bonfinii, ut nequeam ſecernere, an ipſiusmet Bonfinii manu exaratum Codicem indicare velit, vel alios, ſi hos, nihili eſt ejus argumentatio: ſi vero illum, profecto hallucinatur, nam nec unius, nedum plurium copiam habuit Brennerus.

(b) Peſſina Mart. Morav. pag. 926. edit. Prag. MDCLXXVII.

pronuntiare (*ſuſpicari* dicere debuiſſet) *poſſe*, *in hoc M. S. epigramma* Veſzprimienſe ab imperita manu inſutum fuiſſe, niſi prius plura M. S. exempla Bonfinii viderit, & legerit. Liceat mihi argumentum iſthoc in Authorem retorquere: M. S. illud *minio picturatum*, & cætera ex eo ſumpta referant licet epigramma Veſzprimienſe, attamen in illud, ex quo omnia hæc exſcripta ſunt, epigramma Veſzprimienſe ſuppoſitum haud fuiſſe, nemo pronuntiare, ſi modo recte arbitrari novit, potis eſt, niſi qui plura MS. exempla Bonfinii, & imprimis illud, e quo iſtud minio picturatum acceptum eſt, viderit, legerit diligenter, contenderit non ignave. Id cum Crito noſter non fecerit, nec, ut ego mihi quidem perſuadeo, poſſit facere: quid ejusmodi demonſtrativi generis argumentis faciemus? Valeant, ac iterum valeant, demonſtrativa hæc argumenta: quorum Authori cum Sophocle (*a*) occino.

Τοῖς μεν λογοῖς τοῖς σοῖσιν ὑτεγμαλζομαι,
ὀν μαλλου, 'κ' λευκῶ λίθῳ λευκὴ καθημη.

Ne cui tamen ſolis verbis pugnare videamur, redeundum eſt ad Brennerianam Bonfinii editionem, & varia manuſcripta. Poſſideo ego Martini Brenneri Biſtricenſis Tranſylvani cura tres Bonfinii Decades Baſileæ ex Roberti Winteri officina Anno MDXLIII. in lucem datas. Czvittingerus (*b*) non audet aſſerere, an Codex Decadum ipſius Bonfinii manu exaratus alicubi ſuperſit. Ille tamen MS. Codex, quo Brennerus in ſua Bonfinii editione uſus eſt, Vindobonæ in Auguſta Bibliotheca aſſervari dicitur; ut habet Czvittingerus. Unde colligas, Brennerum ex Codice MS. qui modo Viennæ aſſervatur, cujuscunque demum manu is exaratus ſit, non vero ex ipſiusmet Authoris MS. Bonfinium edidiſſe. Sed Brennerum audiamus. Is in Epiſtola nuncupatoria ad Franciſcum de Réwa Comitem Turocenſem, quæ una Præfationis in Bonfinium vices ſubit, gloriatur, ſemet opera Franciſci Abſtemii Archi-Diaconi, & Canoni-

(*a*) Sophocles in Cidalione apud Suidam.
(*b*) Czvittinger. Specim. Hung. Liter. pag. 87.

nonici Albæ Regiæ, MS. Codicem Antonii Bonfinii XXX. libros complexum, a Paulo Istvanfio obtinuisse: & confestim subnectit. *Quamquam autem liber imperitia librariorum, qui ex Budensi exemplari* αὐτογράφῳ *hunc descripserant, multis in locis depravatus esset, quibus castigandis, restituendisque non parum operæ mihi consumptum est, neque tamen in tanta temporis angustia - - pro dignitate quæque a me restitui potuerunt.* Audin' Codex MS. ex quo Brennerus Bonfinium edidit, quique deinde, si Czvittingero credimus, Viennam translatus fuerit, imperitia Scriptorum multis in locis depravatus erat. Quid ergo vetat suspicari, quantum etiam ad epigramma Veszprimiense, eadem imperitia, depravatum, corruptumque fuisse? & quamvis in hoc erroribus scatente Codice multa Brennerus castigaverit, restituerit, correxerit: attamen, ut ipse candide fatetur, non omnia sphalmata, quod Codicis dignitas exigebat, ab se corrigi, emendarique potuisse, quia videlicet Bibliopolæ, quibus typis vulgandi Codicis provincia committenda erat, Francofurtum ad nundinas properabant; eos igitur solum errores refecit, quos angustia temporis permisit. Quid ad hæc?

Et post pauca rursum scribit in hæc verba: *Ad Bonfinium redeo, quem aut morte præventum, aut re quapiam gravi impeditum, arbitror tanto operi non potuisse extremam limam inducere. Quamvis enim - - pleraque tamen concisa, abruptaque sunt, nisi Librariis indoctis, qui Librum descripserunt, id velimus attribuere, quod etiam ipse, ut credam, facile adducor. Multorum enim manus in exemplari agnoscebatur, unde furtivis, & succisivis operis, alicujus Episcopi jussu, clam descriptum fuisse puto. Nam quantum Author ipse dicendo, scribendove valuerit, Libri ab eo conscripti, eque Græco traducti, satis declarant.* Hæc rursum Brennerus prisco candore, ne posteri quoquo modo fallantur. Audin' autem iterum: Bonfinius operi suo extremam limam non induxit: pleraque concisa, & abrupta sunt imperitia Librariorum: præterea Codex iste multorum manibus, & solum abruptim, furtim, ac per vices exaratus fuit. Audin' denique, quod in hoc ipso Codice reperti errores nequeant Bonfinio adscribi; nam *quantum Author ipse dicendo scribendove valuerit, Libri ab eo scripti satis declarant.* Intendat in hæc oculos Adversa-

versarius, aures arrigat, & sedata, ut sublimiorem animam decet, mente perpendat, an non merito suspicemur, dicereque possimus, totam illam epigraphen ab imperita manu Historiæ Bonfinii adsutam fuisse? ab illa, ajo, imperita manu, quæ Bonfinio alios quoque *multos* errores, quorum bonam partem, non tamen omnes, Brennerus emendavit, adsuit, suppositque? Hoc certe ex testimonio ipsiusmet Brenneri, apud quem Noster casso labore perfugium quærit, liquet, alias enim Bonfinium aut ignorantem, aut negligentem cum immodica injuria faciamus oportet; si enim nescivit Lapidem illum Veszprimii extare, ignorans est: si scivit, & in tanta vicinia, Budæ enim ut plurimum habitabat, illum non inspexit, negligens est: & tamen aut ignoravit, aut non inspexit; cur enim ambigens scriberet: *Ex Epitaphio quodam -- Antistes quidam.* (a) Ad hæc eodem loco scribit: incertum esse, an S. Ladislaus Uxorem duxerit? & tamen confestim Veszprimiensem Inscriptionem profert. Quæ si vera est, & manu ipsius Bonfinii descripta, certum utique est, Ladislaum Uxorem habuisse: quin imo eodem verborum contextu Pyriscam filiam S. Ladislao tribuit. (b) Quis jam sanus Criticus sibi persuaserit, Bonfinium Virum certe doctum & diligentem in quatuor lineolis tam manifesta, graviaque antilegomena admissurum fuisse, seque legentibus ludibrio ob tam palmarem contradictionem, velut sui oblitus esset, expositurum fuisse? Fateri igitur necesse est, totam illam nar-

(a) D. Cornides, quemadmodum rarissimo intra orbitam est, ita semper se ex tripode loqui arbitratur. Hoc loco de curru misere delapsus, me monet, non Rhegyni Inscriptionem legi in Bonfinio. Sed quis id somniat? ego profecto contrarium in Dissertatione mea probavi. Item: quod voces: *Antistes quidam* non de Rhegyno accipiendæ sunt. Affaniæ! tantum interest, ut quod legimus, intelligamus etiam. Poterat quidem bono Viro, si nostra non ignave legisset, in mentem venire, eo loco à me placita Cl. Pray refelli, qui affirmavit, Rhegynum suam inscriptionem ex vetusto Lapide sumsisse: adeoque non debebat Librum suum septem paginis inani labore oppletis, operose spissiorem efficere. Ita ille Centones farcit.

(b) Juvat hic Bonfinium audire. Sic autem Dec. II. Lib. IV. habet: *Neque anne Uxorem duxerit Ladislaus satis constat; nisi quod ex Epitaphio quodam sepulturæ inscripto ad Veszprimiensem Basilicam, in quam Antistes quidam Geslæ, & Olhait Reginarum Ossa congessit: epigramma tale est: Ladislai sanctissimorum Pannoniæ Regum consortum hic Ossa quiescunt. Quod ego haud difficulter crediderim, quum Pyriscam Ladislai filiam.*

rationem ab imperita manu Bonfinio ſubtruſam eſſe: aut certe, quod in Diſſertatione monui, ſi ipſiuſmet opus ſit, ex incertis ſolum narrationibus illam Libro ſuo intuliſſe, quam tamen, ſi operi ſuo ſupremam inducere licuiſſet limam, correxiſſet. Unde etiam Adverſarius agnoſcat, me, cum talia ſcribo, non cum larvis luctari velle, ſed veritatem, Bonfiniumque tueri. Producat ille nobis Bonfinii manu exaratum Codicem, & ſi in illo Inſcriptionem Lapidis Veſzprimienſis contineri perſpicue docuerit, herbam, palmam, victas manus porrigemus; etſi enim ut minio picturatus Codex, ita ſpecioſæ verborum phaleræ in oculos incurrere poſſint, animum tamen melioribus, ſolidioribusque intentum expugnare nequeunt. (a)

Lapis Rhegini non probat Gi-ſelam Veſzprimii ſepultam.

Tantidem eſt illud quoque, quod de Rhegyni Lapide diſputat Noſter, cui ego in Diſſertatione mea, (b) & RR. ac Cl. D. Roka laudato loco ſat ſuperque occurrimus. (c) Hic de iis duntaxat ſummarie, in quibus Noſter, dum veteres errores magna contentione excuſat, novo peccato labitur. Principio ſtatim (d) prodit, in eburnea vagina plumbeum ſe habere gladium; confingit enim a me ſcriptum eſſe: non debuiſſe Rhegynum novum Lapidem vetuſto ſubſtituere. Id equidem nuſpiam ego. Sed ſcripſi, naturam id modi Inſcriptionum eſſe, ut ea, quæ abraſa ſunt, corrigantur, farciantur, reliqua vero, quæ non hiant, legique poſſunt, uſque ad apicem literarum con-

---

(a) Voſſius de H. L. Lib III. Cap. XI. ait, tres Decades Bonfinii ex Budenſis exemplaris autographo, ſed mendoſe deſcriptas, multisque in locis a ſe reſtitutas Anno MDXLIII. in lucem emiſit Martinus Brennerus. Has ex Brennero XV. libris auctas edidit Sambucus, quorum X. e Bibliotheca Révaionum & V. a Franciſco Forgách Epiſcopo Varadienſi ad ſe perveniſſe ipſemet teſtatur in Dedicatione Maximiliano II. Imperatori Anno MDLXXXI. facta, Hannovienſis editionis MDCVI. Igitur poſteriora exemplaria Brenneriano reſpondent. Iſte vero affirmat, ab ſe ex manuſcripto mendoſo, multis erroribus referto, depravato, nec plene correcto, Bonfinium vulgatum eſſe: ſed nec ipſe Bonfinius operi ſuo extremam limam induxit. Unde pronum eſt conjicere, complura errata in ejus Hiſtoriam irrepſiſſe, quale etiam noſtrum epigramma eſſe, nec dubito.

(b) Diſſert. meæ. pag. 127. ſequ.

(c) Nolim putet ſuſpicioſiſſimus Author, Rmum D. Róka communicato mecum conſilio opus ſuum edidiſſe: profecto nihil de præclaro hoc Cl. Viri conatu prius noram, quam typis vulgatum opus viderem.

(d) Diatr. pag. 125.

conſerventur, & in inſtauratas *exſcribantur*: quod ſicut certiſſimum eſt, ita a figmento Noſtri diverſiſſimum. Nonne dixi: ex vetuſto lapide ea, quæ legi poſſunt, in novum, ſeu in inſtauratam inſcriptionem *exſcribantur*. Proinde, non exiſtimavi Rhegynum illi vetuſto novum lapidem ſubſtituere non debuiſſe: & quidquid ex inſigni hoc commento clamoſior lauro ardente Crito noſter verboſe magis, quam ſolide arguit, alga vilius eſt, nec, niſi tempus diſpendere velim, commemoratione dignum. Somnium iſthoc excipit atrociſſima calumnia; poſtquam enim (*e*) dixiſſet, novum ab Rhegyno lapidem poſitum eſſe, iſta ſubjicit; *Neque id, ut Noſter officioſiſſime facit, inſignem temeritatem Epiſcopi notat.* Proh! quæ falſimonia? huc ſane quadrat illud Terentii: *Quem ego credo manibus pedibusque obnixe omnia facturum, magis id adeo mihi ut incommodet, quam ut obſequatur* (*b*) veritati. Ut videlicet Adverſarii inanimenta uno ictu proſternerem, affirmavi, utrumque, Bonfinium nempe & Rhegynum non potuiſſe ſuas inſcriptiones, quæ plane diſparibus verbis confectæ ſunt, ex vetuſto lapide Veſzprimienſi ſumere, alias enim alteruter eorum exerravit: unde ex hypotheſi, quod ajunt, argumentabar hiſce expreſſis verbis: (*c*) *Si tueri pergas, Bonfinium inſcriptionem ſuam e vetuſto lapide Veſzprimienſi ſumſiſſe - - Rhegynus - - inſigni temeritate vetuſtam inſcriptionem corrupit, voces vocibus ſubſtituit: quod perſpicuum eſt, ſi utriuſque inſcriptiones ad invicem conferantur.* Et ut me adverſus malevolorum Zoilorum toxicum præmunirem, provida cura anti doto uſus eram, cum hæc e veſtigio ſubnexui: *Ne igitur ſeu Bonfinio, ſeu Rhegyno viris clariſſimis calumniam irrogemus, dicere omnino oportet, memoratam Inſcriptionem indiſcreta cujuspiam ſollicitudine Hiſtoriæ Bonfinii additam eſſe.* Et audet Noſter obſtrepere, audet declamare, a me Rhegyni Epiſcopi *inſignem temeritatem officioſiſſime notari.* (*d*) Hem! ubi fides, frons, oculi, vul-

(*a*) Diatr. pag. 126.
(*b*) Terent. in Andria.
(*c*) Diſſer. meæ pag. 131.
(*d*) Inficetum omnino eſt, & oppido leve, quod Adverſarius ex his meis: Si Rhegynus ex vetuſto lapide ſuam inſcriptionem accepit, ea ſolummodo mutare de-

vultus? Sic Noſter non raro Parni Scaphula vehitur, & ſui Tutelares remos centaurice impellunt.

Nec Lapis Makranczenſis.

Huic congruit illud quoque, quod Noſter de Lapide Makrancenſi *(a)* diſſertat. Makranczini lapidem *hodie etiam extare certum eſt: poſitum autem prius Veſzprimii fuiſſe, itidem certum eſt.* Sic Moſchus canit Bæoticum. Omnia ille, ſi modo ad guſtulum ſint, velut certiſſima, & exploratiſſima nobis propinat. Nos Teſtes, non ampulloſa verba poſcimus. Unde, oro, certum eſt, Lapidem Makranczini hodie etiam extantem prius Veſzprimii fuiſſe? Mirum! ni Adverſarius hunc Lapidem Veſzprimii per Iridem attractum, & Makranczini, loco XXX. circiter leucis diſtante, depoſitum ſtatuat: alias non eſt, cur Veſzprimio Makranczinum translatus ſit. At certum tamen id eſt, ita diſputat Noſter, *(b)* quia Templum Veſzprimienſe tegulis tectum, & Crypta ſubterranea conflagrarunt: nec Lapis hic in loco ſepulturæ manſit, nec cura fuit victori militi, ut lapidem in prædæ partem acquirat: nec Cives, ſuis rebus ac fundis intenti, multum fuerant ſolliciti, ne lapis is Veſzprimio auferatur. Ergo. Ergo. Ergo. Si hoc non eſt peniciſſare, neſcio ſane, quid aliud ſit.

Ne hylo plus valent ea, quæ ſequuntur. Scripſi ego fieri potuiſſe, ut SS. Stephano, & Ladislao devoti Hungari in memoriam Geslæ & Olhaiti ex Rhegyni lapide *autographo* Cenotaphia

---

debebat, quæ non extabant, reliquis in ſua integritate relictis, eruditiſſime ſcilicet ſubinfert: *Mirum! ni Noſter ex Cardinali Latomum faciat*: quaſi vero Sutor ſit, qui ſibi crepidas fieri jubet. Talia ego inter Archytæ crepitacula repono.

(a) Neſcio, quid ad iſta D. Cornides reſponſurus ſit? Prayus enim affirmate ſcribit, Lapidem, qui hodie etiam Makranczini extat, Veſzprimii fuiſſe, *certum* eſſe. Cornideſio vero placet, hunc lapidem nunquam fuiſſe Veſzprimii, ſed Makranczini pro Eccleſia Veſzprimienſi factum, inibi remanſiſſe. Viderint, quomodo litem inter ſe componant, eo magis, quod Prayus Diſſer. de S. Ladislao pag. 94. derideat illos, qui talia opinantur his verbis. *Inficetum prope illud eſt, quod aliqui rentur, lapidem ſepulchralem Petri Cardinalis tempore, in pago Sepſi cum Epigraphe efformatum. Cui enim bono id eſt iſtuc? an honoris cauſa? vereor ut ad eum pagum Gislæ & Adelhaidis fama unquam pertigerit; an quod Latomiæ illic eſſent? mirum, ſi Petrus compendio uſus non eſt, cum Lapicidinæ prope ad manus eſſent.*

(b) Diatr. pag. 127.

phia variis in locis fieri procurarint: qualem etiam Makranczenſem lapidem fuiſſe exiſtimavi. Adverſarius tanquam Argyvum Clypeum abſtulerit, ita gloriatur, ac prægrandi jubilo exiliens vociferatur: *Teneo hominem nec in quamcunque faciem Vertumni, ut ſolet, more, ſe vertat, elabi mihi illum ſinam.* (a) Cupreſſis ſunt omnino ſimiles ſermones iſti, illi enim magni ſunt, nec tamen ullos ferunt fructus. Talia jam alibi quoque Noſter parum auſpicate hariolabatur, atque perſonabat. Luſtremus, quam ſolidis vinculis conſtrictum me teneat. Fatetur, inquit, Lapidem ſepulchralem a Rhegyno poſitum, *autographum* eſſe: Fateor: quid tum poſtidea? igitur neceſſe eſt, ut fateatur illum Veſzprimii fuiſſe poſitum: (b) Fateor; quid ultra? *Si autem*, verba Noſtri ſunt, *iſthic poſitus fuit, conſectaneum eſt, Gyſelam Stephani Conjugem itidem Veſzprimii conditam.* Hoc rotunde nego. Admiſerim, quod & in Diſſertatione mea ſine ambagibus feci, ab Rhegyno Lapidem ſepulchralem honoribus Giſelæ, & Adelheidis Veſzprimii erectum fuiſſe, ſed qui rationem Cenotaphii, hoc eſt, honorarii tumuli, non vero Epitaphii habeat: & quia Cenotaphia nihil minus, quam ejus ſepulturam, cujus cauſa ponuntur, indicant; idcirco Sophiſma Adverſarii vehementer in utramque partem claudicat; neque eſt ad Dialecticæ regulas exactum. *Lapis ille eſt a* Rhegyno poſitus, ſed Lapis ille Veſzprimii eſt poſitus, ergo Giſela eſt Veſzprimii *condita. Præmiſſa major abſtrahit* a Cenotaphio, & Epitaphio: *Minor*, ſi itidem abſtrahit, plane rididula *conſequentia* eſt: ſi vero determinate Epitaphium indicare velit, Dialecticæ ſtudioſi *quatuor terminos* manu contrectabunt, & in apertum cachinnum prorumpent: omnemque hac quidem parte Adverſarii Logicam explodent.

Hinc conſectaneum eſt, quanti ſit id quoque, quod Noſter egregiæ illi *conſequentiæ* ſubnectit: *niſi Cardinalem velimus aut mendacem, aut ſpiſſiſſimi ingenii facere.* Neutrum ſane, imo

(a) Diatr. pag. 128.

(b) Si nugari vellem, poſſem cum D. Cornides, quod jam monui, dicere: A Rhegyno poſitum quidem fuiſſe Veſzprimii illum lapidem, ſed ſolum *intentive*, non vero *effective*, quia Makranczini adhæſit. Mirum! ſi devehendi hujus lapidis modus & poteſtas Cardinali deerat.

laude digniſſimum pronuntiare oportet. Noverat is, Giſelam, & Adelhaidem egregias Eccleſiæ ſuæ Veſzprimienſis Patronas, ac Benefactrices fuiſſe: noverat ſanctiſſimorum Regum Conjuges, pias, probas, Deique cultui inſignite addictas fuiſſe, quod facta illarum non obſcure innuunt: idcirco ad earundem memoriam apud Hungaros renovandam, & gratum in pientiſſimas Benefactrices animum conteſtandum, poſuit illis Cenotaphium cum laudata inſcriptione. Igitur nec mendax fuit Cardinalis Rhegynus, nec ſpiſſiſſimi ingenii, nam nec illuſit, nec illuſus eſt. Jam ſentire occipio, quam me Crito noſter arcte teneat. Sed veſtigiis ejus, ut ſolemus, inſiſtamus, nondum enim Claudiana tonitrua præterierunt. *Si vero*, ait, *Giſela Veſzprimii tumulata fuit, rurſus efficitur, lapidem illinc - - ad pagum Makrancz fuiſſe delatum; igitur lapidem Makranczenſem omnino eſſe autographum.* Hic omnia enormiter hiant. Etſi concederem, Giſelam Veſzprimii tumulo illatam fuiſſe, & lapidem illum itidem Veſzprimii non reperiri: attamen non video, quomodo ex eo extundi poſſit, lapidem Veſzprimienſem Makranczinum delatum, & autographum eſſe? an forte non poterat in quibuscunque demum parietinis Veſzprimienſibus ſepeliri, aut comminui? vel vero abraſa inſcriptione in alios uſus converti? quod utique tanto pronius ſuſpicari licet, quod Noſter (a) Veſzprimienſes Cives ignaros linguæ latinæ ſibi perſuadeat: proinde qui præclarum hoc monumentum in pretio habere ignoraverint. At certe Veſzprimienſis lapis Makranczinum translatus eſt, (b) ut Adverſarius porro contendit. Quid ita? quia id *ſubſcriptum nomen, dignitas, & adjectus Pileus Cardinalitius perſpicue teſtantur.* An hoc non eſt Piſtillo retuſius? Statueram ego Veſzprimienſem lapidem a Rhegyno poſitum, eſſe *autographum*, ſed non Epi-

(a) Diatr. pag. 127.

(b) Iſthic notare juvat, D. Cornides ſui inſigniter oblitum eſſe. Nam, ut vidimus pag. 28. ſcribit, propius fidem eſſe, quod Lapis Rhegynianus *e vicina marmorea rupe Jaſzovienſi devectus politusque pro Eccleſia Veſzprimienſi Sepſini, aut Makranczini remanſerit*: & tamen poſt pauca pag. 31. affirmare ſcribit: *Non ergo lapidem Rhegynianum, qui hodie Makranczini eſt, innuere voluiſſe Bonfinium ſtatui poteſt.* His enim agnoſcit a Rhegyno Veſzprimii lapidem poſitum eſſe, & nihilominus fatetur Rhegynianum lapidem nunquam Veſzprimium perveniſſe, quia Makranczini factus, illic remanſit. Quæ Hæreſis hiſtorica!

Epitaphium, verum Cenotaphium duntaxat: id quod ſubſcriptum nomen, dignitas, pileus non obſcure teſtantur; quia videlicet hæc ipſa dilucide probant, iſtum lapidem, in quo nomen, & dignitas Rhegyni, pileus item Cardinalitius viſitur, primum a Rhegyno erectum eſſe, adeoque lapidem cum hac numero inſcriptione primi exempli originarium, ſeu autographum eſſe. Adverſarius contra, principio ſermonis illa mea videbatur velle ad *Autographum Epitaphium* trahere: ſed deinde contentus narrationem meam verborum involucris ita implexuiſſe, ut vix intelligi poſſit, deſtitit. Et id quidem providenter, alias enim dicere debuiſſet, aut Bonfinii epigramma fictitium eſſe; aut Giſelam, & Olhaitam ab Rhegyno, quatuor & amplius ſæculis poſteriore, tumulo illatas fuiſſe: quo quid vel in Fabulis poſſet eſſe nugatorium magis?

Statueram præter hæc lapidem Makranczenſem, apographum Cenotaphium eſſe Veſzprimienſis autographi, itidem Cenotophii. Jam vero, quis adeo ægrotaverit, ut neſciat apographa ſuis autographis accurate reſpondere debere? Ac proinde dicere, quod ſubſcriptum nomen, dignitas, & adjectus Pileus Cardinalitius perſpicue teſtentur, quod Noſter dicit, Lapidem Veſzprimienſem fuiſſe ad Makrancz pagum delatum, & omnino eſſe autographum, tam eſt undequaque inficetum, ut nihil magis eſſe poſſit. Liquet hinc etiam, cur ſub Rhegyni nomine apographum Makranczenſe ſit erectum? atque adeo id quoque clarum evadit, quam erudite Noſter (a) ſcribat: *An hoc*

Uterque enim ſolum Cenotaphii rationem habet.

(a) Diatr. pag. 129. Illud hic non omiſero. Adverſarius pag. 125. Lapidis Veſzprimienſis Siglam AP. putabat in ſua Diſſertatione indicare: *Appoſuit.* Hic vero exiſtimat reſcribendum eſſe AD. quo ſignificetur, Rhegynum Epiſcopatus Veſzprimienſis *Adminiſtratorem* fuiſſe, *qualis certe Cardinalis fuit*, verba illius ſunt. At complura in his paucis cubant errata, ne dicam ψεύσματα. Nam 1mo Erroneum eſt exiſtimare Siglam AP. ſignificare *Appoſuit*, id enim a vetere Romanorum ſtylo, cujus Rhegynum ignarum facere non poſſumus, valde abhorrere, Adverſarius quoque agnoſcit. 2do Spiſſius eſt reſcribere AD. & hac Sigla *Adminiſtratorem* denotari aſſerere; non modo ob id, quod homini privato, qualis utique Crito noſter eſt, ſepulchrales Inſcriptiones pro ſua libidine corrigere, luxare, detorquere non liceat: verum in primis ideo, quod ætate illa, nec Eccleſiaſtico, nec Civili ſtylo, & vel maxime apud Hungaros, Cardinales Epiſcopi Eccleſiarum, ſeu Epiſcopa-

hoc non eſt devotos hos Hungaros aut inſignite hebetes, aut egregios impoſtores facere, (a) qui pro ſuo, altèrius nomen, aut ex inſcitia, aut mala fide ſubſtituerunt? Utique non eſt: imo Noſter arguere debebat, Hungaros illos & devotos fuiſſe, & priſca ſinceritate; qui apographa autographis in omnibus conſentientia eſſe voluerunt. Denique, *hinc liquido patet, quid Præſidii Prayi ſententia ex hoc lapide nanciſcatur?* ut olim in Diſſertatione mea, non quidem, ut Adverſarius vult, *Vatis inſtar* præſagii, verum non poſtremis argumentis comprobavi: ac ideo, ſicut plane inique me Vertumnum mira dicacitate proclamat,

---

ſcopatuum *Adminiſtratores*, ſed *Gubernatores* fuerunt vocitati ob eminentiam dignitatis, & diſtinctionem ab Epiſcopis, qui Cardinales non erant. Sic in Diplomate Ludovici I. quo confirmat immunitates a D. Stephano Rege Abbati de Pécs-Varad conceſſas, An. MCCCLXXIX. elargito, Demetrius Cardinalis Eccleſiæ Strigonienſis *Gubernator* ſubſcriptus viſitur. Idem Demetrius Cardinalis in Corpore Juris Hungarici Mariæ Reginæ Decreto unico ſe *Gubernatorem* ſubſcribit Anno MCCCLXXXIV. Sic Valentinus Cardinalis Diploma, quo Sigismundus Rex Anno MCCCLXXXIX. in Joannem de Kaniſa quosdam fundos transfert, ſignavit uti *Gubernotor* Eccleſiæ Quinque-Eccleſienſis. Idem eſt legere in Decreto II. Sigismundi Regis Anni MCCCCV. Videſis hæc & alia plura hujusmodi exempla in meis Epiſcopis Varadinenſibus ad laudatos, aliosque annos. Cardinales itaque non *Adminiſtratores*, verum *Gubernatores* ea tempeſtate dici conſueverunt: qui Titulus etſi admodum raro, etiam inſignioribus Epiſcopis concedebatur. Uſus porro iſte ferme ad noſtram uſque ætatem, ut perhibent Diplomata, perduraverat. Non optimam igitur Hiſtoriæ cognitionem Cl. Authoris animadverſio indicat. Sed *3tio* longe graviſſimum Sphalma eſt, credere, Cardinales ideo fuiſſe dictos *Adminiſtratores*, quia Cardinales erant, id enim Noſtri verba illa: Rhegynum Adminiſtratorem fuiſſe, *qualis certe Cardinalis erat*, indicant. Hoc certe ex Legibus Eccleſiaſticis non eſt ſumptum, quæ nec Cardinales, nec Epiſcopos unquam *Adminiſtratores* nominant, niſi tum, cum duabus Eccleſiis Epiſcopalibus, ſive Cathedralibus, quæ canonice unitæ non ſint, præficiuntur, ita ut unius ſit Epiſcopus, alterius vero Adminiſtrator: ut ne videlicet duas ſponſas habere videatur, quod abſonum eſſe exiſtimatur. Illud peti poteſt, partim ex Jure Canonico, partim ex diverſis Diplomatibus, ac Codice Legum Patriarum, quæ in Epiſcopis Varadinenſibus ſparſim recitavi, & ut Noſter adeat, maximum in modum commendo.

(a) Notat hic Noſter: *niſi forte velit*, Cl. Author *Ψυχαγωγία a devotis his Hungaris poſita eſſe.* Vereor ne non hic aliquid fumi lateat; videtur enim ille affectare, oſtentareque aliquam linguæ Græcæ cognitionem: attamen dum id agit, non obſcure prodit, a ſe illam omnino ignorari; nam nec conſtructio eſt ad regulas Græcæ Dialecti exacta, nec vocula illa huc magis quadrat, quam Circulus Aureus ad pineam rotam. *Ψυχαγωγία.* idem eſt, quod animi oblectatio, ſolatium, recreatio. Neque ſi loco Ψ. reſcribatur Φ. huc quidquam valet; nam *Φυχαγωγία* ſignificat vaticinandi genus, cum animæ carminibus educuntur ab inferis. Neutrum narrationi ejus congruere poteſt, ſed utrumque indicat Græcæ linguæ notitiam abeſſe.

mat, ita profecto nimis leviter, & perperam se jactat, quod me teneat, neque sibi elabi sinet. Sed nimirum Archivos a turre judicat.

§. XIV.

Ab his ad Pyrisçam Crito noster disceptationem ducit: at quia odio, & stomacho, ut fere solet, magis, quam studio veritatis decertat, sententiarumque mearum sensum insigniter depravat, sane nihil proficiet. Irenen ego Uxorem Joannis Comneni, sicut nunquam antea Pyrisçam vocatam, ita neque filiam S. Ladislai, verum Colomanni fuisse, affirmavi, & ut arbitror, non obscuris momentis evici. Noster solius Cinnami authoritate, cui ego Annam Comnenam, aliaque rationum momenta opposui, persuasus, in diversa abit. Et hic est novus Scopulus ille naufragii mei illius in me, si dici fas est, follis declamationum; sic enim hujus gratia excandescit, sic stomachatur, ut fere Alcmæonum in proscenium adducat, & cædes meditetur. Ac primo quidem Joannem Cinnamum Græcanicum Scriptorem vindicandum ab injuria, quod ille sibi miserande persuadet, sibi sumit. Etenim *vixit is*, verba sunt Nostri, *sub Emanuele Comneno - - Imperatorii Grammatici munus obiit. - - Hic itaque Cinnamus Imperatoris Secretarius testatur, Irenem Vladislai filiam, Joanni Comneno nuptam fuisse.* (a) Ast cui hominum, qui vel tantillum mentis habet, Adversarius persuadebit Imperatoris Grammaticum hallucinari non posse? imo vero eodem plane loco egregie hallucinatur; scribit enim Stephanum Regem, & Almum, ejusdem Ladislai filios fuisse: id quod adeo a veritate abhorret, ut id, non dicam jam Imperatorii Grammatici, sed ne lixæ quidem & Calones crediturí fuissent. Hallucinatur igitur Grammaticus, seu Notarius, aut Secretarius (b)

Pyrisca fuit filia Colomanni Regis non vero S. Ladislai.

(a) Diatr. pag. 141.

(b) Monendus est Lector, apud Codinum Curopalatem, qui officia Constantinopolitana dedita opera descripsit, dignitas Grammatici, aut Notarii nuspiam occurrit, fuit tamen Cinnamus Grammaticus, ut ipsemet suus testis est. V. Grets. Tom. XVI. & Corp. Hist. Bizan. Tom. XXIV.

Imperatoris, dum Stephanum Vladislai filium facit, quod Lippo & Tonſori liquet: cur ergo nequeamus, quin Palatinam ejus dignitatem lædamus, affirmare, illum hallucinari, cum Irenen Uxorem Joannis Comneni eodem ferme halitu, hujus ipſius Vladislai filiam, adeoque Sororem Germanam Stephani Regis & Almi fuiſſe dicit? Nequaquam, obnititur enim Noſter (a) inquiens: *Num idem, qui in rebus externis, & longe poſitis, cujusmodi Almus & Stephanus fuere, erravit, etiam in domeſticis quibus ſuppar ætate fuit, & in authoritate publica conſtitutus, erraſſe cenſendus eſt?* Papæ! ergo Scriptor in Authoritate publica Grammatici conſtitutus, erraſſe cenſendus non eſt: cur ita? utique non aliam ob cauſam, quam quia errare non poteſt. Felix profecto Græcanicorum Grammaticorum dignitas, & ſors, qua a communi Mortalium lege, judice ſcilicet Noſtro, eximendi ſunt; nam *in authoritate publica conſtitutus, erraſſe cenſendus non eſt* Cinnamus.

Utcunque id ſit, tota Adverſarii narratio in arena conſtructa eſt. Si enim Cinnamus, dum de Irene ſcribit res domeſticas pertractat; ſi item hæc ſcribens, ſuppar ætate eſt: certe etiam tum, cum Stephani, & Almi meminit, res domeſticas pertractare, & ſuppar ætate, atque ideo neutiquam erraſſe, cenſendus eſt, tanto magis, quod dum hoc & illud ſcriberet, in authoritate publica conſtitutus fuerit. Quis enim ignorat Almum Ducem cum Bela filio Colomanni Regis juſſu cæcatum eſſe: deinde vero importunitate Stephani exagitatum, Conſtantinopolim ad Joannem Comnenum Anno MCXXV. profugiſſe, atque maxima benevolentiæ ſignificatione ab Imperatore ſuſceptum, ob Conjugem cum primis Irenem, quam Almus cognatione attingebat? quod ipſe Cinnamus affirmat. Quis ignorat Stephanum Regem ægerrime tuliſſe, quod Almo Joannes Comnenus hoſpitium benevole præbuerit?, imo & reddi ſibi illum flagitabat: quo non impetrato, bellum Joanni intulit Stephanus. Hæc ex ipſo Cinnamo (b) ſumpta ſatis indicant, Ste-

(a) Diatr. pag. 142.
(b) Cinnam. Corp. Hiſt. Bizan. Tom. XII. Hiſt. Lib. I. pag. 4.

Stephanum, ſed inprimis Almum Conſtantinopoli commorantem, Græcis, tanquam domeſticum, apprime notum fuiſſe, tametſi apud illos exul ſolum fuerit, Irene vero Imperatrix. Et ſi Irenes Pater Rex Hungariæ ad Græcorum res domeſticas, ut Noſter vult, pertinet; non video ſane, quomodo Irenes fratres a Græcorum rebus domeſticis prudenter excludi poſſint? æqualiter enim Pater a filio, & frater a Sorore diſtant: adeoque error circa Patrem omnino æqualis eſt errori circa Fratres: quod quemvis ſani judicii ita exiſtimaturum mihi perſuadeo. Præterea Cinnamus ſicut huic, ita & illi ſuppar ætate fuit. Jam ex his clarum evadit, quod, ſi hallucinatus eſt Cinnamus, cum Almum & Stephanum filios S. Ladislai ſcripſit, hallucinatus dubio procul tum etiam fuerit, cum Irenen Imperatricem ejusdem S. Ladislai, vel, ut ille, Vladislai, filiam fuiſſe adſtruit. Id, quod tanto majori confidentia aſſevero, quod nullus Græcanicorum Scriptorum ſpiſſum hunc Cinnami errorem, ſuum eſſe voluerit; quod enim Zonaras, Cinnamo anterior, ait, filiam Principis Hungarorum Joanni Comneno nupſiſſe, certiſſimum eſt; ſed filia illa fuit Colomanni Regis, ſicut & Stephanus filius.

Id ex ipſo Cinnamo arguere licet.

Cæterum liceat mihi Adverſarii argumento ad oſtendendam ejus imbecillitatem uti, atque ex ipſo iſto Cinnami teſtimonio docere, hunc Scriptorem meæ magis, quam illius ſententiæ favere. Itaque: id quod Cinnamus de Irene & Stephani Patre ſcribit, videtur ex Zonara accepiſſe; etenim ille vixit ſub Fl. Manuele Comneno, qui Anno MCLXXX. e vivis exceſſit. Hoc inter eſt utrumque inter, quod Zonaras Irenen Principis Hungarorum, quin ejus nomen prodidiſſet, filiam fuiſſe ſcribat, Cinnamus vero Vladislaum etiam nominet. Hinc illud quoque patet, quod Cinnamus ſat longo tempore a morte S. Ladislai & Colomanni Regum ſuam Hiſtoriam concinnavit, adeoque etſi his ætate ſuppar fuerit, non tamen coævus. Unde facile evenire poterat, ut dum narrationem Zonaræ exſcriberet, & intempeſtiva cura ſarcire cuperet, nomen Patris Irenes, quod apud Zonaram non invenit, adjecerit; & quia Regis utriusque Ladislai videlicet & Colomanni celebris tum memoria erat, ſcivit præterea Heri ſui Manuelis Matrem Rege

Hungaro natam esse; idcirco seu incogitantia, seu errore, in quo versabatur, hunc Regem Hungariæ re ipsa Vladislaum nominavit, quem Colomannum scribere volebat, aut certe debebat. Id ut credam, hoc potissimum momento adducor: certum enim est, ex Diplomate, Tragurinis, & Spalatinis elargito, (a) Stephanum II. Regem Colomanni filium fuisse: ita siquidem Diploma habet: *Et ego Stephanus Colomanni Regis filius, Rex Hungariæ, Croatiæ, atque Dalmatiæ.* - - Certum etiam est, & ipse Cinnamus (b) refert, ab Stephano Anno MCXXIII. bellum Græcis illatam fuisse, Belgradum expugnatum, dirutumque a fundamentis ipsis, lapides inde navigio avectos, & ex iis Urbem Zeugmen (c) conditam, quæ usque ad Annum MCLIII. vel, ut aliis placet, præcedentem, quo per Manuelem recepta, funditusque eversa est, in potestate Hungarorum permansit: quod Viris in Historia Bizantina non peregrinis protritum est.

Ex his autem constit, quod sicut Stephanus Rex Cinnamo has res gestas sic minutatim narranti, vicinior erat, ita minus ignorare poterat, quo Patre genitus sit Stephanus, numve Irene ejus Soror fuerit? Sororem Stephani eodem Patre genitam affirmat, dum & Irenem, & Stephanum inter proles Vladislai numerat. Agnoscit igitur plane eundem Patrem habuisse Stephanum, quem Irene quoque Uxor Joannis Comneni habuit: atqui nullum est dubium, Stephani Patrem fuisse Colomannum Regem, ergo quia Stephanum & Irenen eodem Patre progenitos affirmat, necesse est, ut Irene quoque fuerit filia Colomanni. Ac proinde ex ipsiusmet Cinnami sententia efficitur, Irenem non fuisse filiam Uladislai, etsi ille incogitantia hunc Colomanni loco nominaverit. Nec est cur adstruamus, Cinnamum in Stephano magis errasse, quam in Irene: imo quantum ad hanc partem attinet, de utroque verissima scripsit, hoc est, & Stephanum & Irenen unius Parentis Liberos esse: inque eo solum erravit, quod illorum Parentem Vladislaum vocaverit, cum Colo-

(a) Ap. Joan. Luc. de Dalm. Croat. Sclav.
(b) Cinnam loc. cit.
(c) Sirmium hoc nomine indicant Græci.

Colomannum dicere debuiſſet. Quod ſicut in inadvertentiam prudenter conjici poteſt, ita ad ſalvandum Cinnami Dignitatis honorem, Grammaticus enim Imperatoris fuit, plurimum conducit; nam minus peccatum eſt inadvertentia labi, quam ignorantia: ignorantia autem peccaſſe cenſendus eſt, ſi utriusque Patrem fuiſſe Vladislaum reipſa ſcribere voluit, ſiquidem nemo ſanus dubitavit unquam, Stephanum non fuiſſe filium Vladislai. Mirum in modum confirmantur iſta Annæ Comnenæ teſtimonio, quæ Alexii Comneni Conſocerum exerte nominat Regem Hungariæ, qui tum non alius a Colomanno erat, ſed de hoc mox videro. Fuere igitur Stephanus, & Soror ejus Irene Joanni Comneno nupta, non S. Ladislai, verum Colomanni Regis legitimæ proles. (a)

(a) Scripſeram olim in Diſſer. de S. Ladislao, illos domeſticos Scriptores, qui Pyriſcam filiam S. Ladislai fuiſſe autumarunt, Cinnamum ſecutos eſſe. Adverſarius ut id incredibile efficiat, ex Lexico Jöcheri de latina Cinnami editione operoſe diſputat, ac denique ſubinfert: *Latinum igitur Cinnamum, nec Thurocius, nec Bonfinius viderunt.* Verum eſt: ſed neſcio, qua confidentia ad Bonfinium provocet, qui illius opinationi ne minimo auxilio eſt; is enim hac de re dubitans ſolummodo ſcribit, incertum videlicet eſſe, an Ladislaus Uxorem duxerit, & quod quidam exiſtiment, Pyriſcam filiam Ladislai fuiſſe. Unde potius conjicere fas eſt Bonfinium, ſi, quod primus illius editor Brennerus deſideravit, ſupremam limam Hiſtoriæ ſuæ inducere potuiſſet, dubium iſthoc eliminaturum e ſuis ſcriptis fuiſſe, ſi tamen id verus, & non ſubdititius partus ejus ſit. Vide quæ de his in lapide Veſzprimienſi commentabar. Addit poſt hæc Noſter: *Si Græcus in Bibliotheca Corvini exſtitit, tum illo Thuroczius Græcæ linguæ ignarus, uti non potuit.* An Græcæ linguæ ignarus fuerit? equidem non audeo aſſerere. Sit autem ita: non ſoletne frequentius evenire, ut accurati & diligentes Scriptores, illos Authores, quorum linguam ignorant quidem, at Scriptis uti, ex concepta undecunque demum opinione propoſitum habent, ſibi per gnaros hujusmodi linguæ explanari procurent? Id profecto etiam a Noſtro factum fuiſſe mihi perſuadeo; ſi enim vel paucula illa, quæ in Diatribam inſperſit, Græca vocabula expendam, obſervo, linguam illi græcam ignoratam eſſe, quod & jam vidimus, & deinceps viſuri ſumus, proinde alius ope græcas voces in Diatribam intruſit, etſi raro appoſite. Sic Thuroczium quoque, ſi linguæ græcæ ignarus erat, aliorum opera ad intelligendos Græcos Scriptores uſum fuiſſe, Viri præclara induſtria juncta eruditioni dubitare me non ſinit; neque enim ignorare poterat, Græcanicos Authores, multa, quæ nexum cum rebus geſtis Hungarorum habent, ſcripſiſſe: atque ideo eniſum fuiſſe, ut interpretem nanciſcatur! Quid? quod illi, qui in Hiſtoria Bizantina vel modice verſati ſunt, non neſciant, Thurocium in ſua Chronica non pauca ex Græcis Scriptoribus intuliſſe. Ad hæc, quis audebit affirmare, Thuroczium ſuam Chronicam ſcribendo non fuiſſe ejusmodi Authore uſum, qui ſuum opus ex Græcis & Latinis Scriptoribus latina lingua conſcripſit? quin imo ipſa Thuroczii Præfatio id ut credam ſua-

Item ex Annæ Comnenæ non obscuro testimonio.

Testimonium Annæ Comnenæ, ad quod provocavi, clarius fuit, quam ut ex pedicis, in quas Adversarius se ipse induit, elabi possit, idcirco in omnem partem, ut solet, more se versat, ac demum omnem culpam in Annam Comnenam refundit. Magna verborum contentione de ejus isthoc testimonio: *Venientes Legati ex Dacia* (Hungariam intelligit) *a Rege & Consocero Imperatoris*, hunc in modum scribit: *Nec Anna Comnena sic intima fratri - - fuit, ut hoc loco non errasse a quopiam, si modo sobrius videri cupiat, defendi possit, quæ in rebus etiam Patris sui, & domestica Genealogia insignes errores erraverit.* Tum compluribus erroribus ejus partim Chronologicis, partim genealogicis, historicis item usque ad tædium recitatis argumentationem his concludit verbis: *Jam si Anna Comnena tam graviter in domestica, & viciniorum Principum Genealogia, quarum illam omnium optime cognitam habere debuisset, hallucinata est.* (a) Peto, ut hoc sibi non sinat e memoria elabi. Non credidissem ego Cl. Authorem, ut se ex difficultate hac extricet, opem a conviciis in Annam profusa liberalitate conjectis imploraturum fuisse: sed familiare id Nostro Critoni est, ut Authores si fide illorum & testimonio prematur, sus deque pro libidine habeat.

Volebat ille quidem in Dissertatione sua mirabili artificio Annæ Comnenæ testimonium, inducto etiam pigmento, dubium efficere: sed tralucent hujusmodi artes serius aut citius, per rimam

---

suadet: in ea dicit: *Hungariæ Regum Historias olim editas percursitarem, & in illis si quid negligentia Scriptorum vitiasset, castigarem.* Rursus: *Stylo ampliori, quam priores Hungaricarum Historiarum effecerant Scriptores, illorum undique positiones interm jcendo conscribere - - curavi.* Quod si denique Noster audacius, quam verius contendat, Thuroczium & Bonfinium ea non ex Cinnamo sumsisse; ostendat nobis, quis unquam ante Thuroczium & Bonfinium, præter unicum Cinnamum, non dico jam Domesticorum, sed externorum & imprimis Græcorum Scriptorum referat, Irenen Joannis Comneni Uxorem, filiam fuisse Ladislai Regis? id quidem tum faciet, cum Nibas coccissaverit: adeoque sicut præsumi debet, Thuroczium, & dubitantem Bonfinium id ex Cinnami errore hausisse, alias enim somnium narrassent, ita non recte Noster laudato loco isthæc adjicit: *Hi igitur Cinnamum non secuti, igitur fontes domesticos habuerunt: si vero domestici cum exteris in eadem re consentiunt, argumentum irrefragabile est.* At coronet nobis hos fontes domesticos, dicat, quis unquam illis hac in re præluxit. Hic labor, hoc opus est.

(a) Diatr. pag. 152.

mam toto vultu aſpectabiles. Conatus videlicet erat uti Annæ teſtimonio, ad nubem erroribus adducendam; eapropter (a) ſcripſit: *Colomannum Græci & Latini Scriptores paſſim (b) fratrem Irenes, ſeu Pyriſcæ Imperatricis dicunt. Anna Comnena ex Hungaria, quam Daciam appellat, Legatos a Rege, & Conſocero Imperatoris, ſive affine Bizantium veniſſe exerte memorat.* Spiſſum hic, manifeſtumque ſphalma, ut mitiſſime loquar, cubare prodidi; (c) etſi enim Crito noſter has voces: *a Rege, & Conſocero Imperatoris, ſive affine*, curſivis, quod ajunt, literis excudi fecerit, adeoque veluti ipſius Annæ, ad quam provocavit, ſententiam retulerit; iſtæ tamen voculæ: *ſive affine* apud Comnenam nuſpiam inveniuntur. Quamquam nec quæri prudenter apud illam poterant; Conſoceri enim & affinis ſignificatio diverſiſſima eſt, neque Conſoceros, Coaffines vocari poſſe, omnibus, ſi modo ſani eſſe cupiant, exploratiſſimum eſt, & in ſcholis initia Legum ſeu Eccleſiaſticarum ſive Civilium diſcentibus explanari ſolet: unde mirari ſubit, id noſtrum latuiſſe. Quantum vero his talibus Annæ Comnenæ ſententiæ ſenſus mutetur, manu plane contrectabile eſt; nam dictio: *A Rege & Conſocero Imperatoris* liquido indicat, Regem iſtum, hoc eſt, Colomannum, Conſocerum Imperatoris, ſeu Alexii, de his enim duobus illic agitur, fuiſſe: proinde Colomannum etiam Patrem Irenes, quæ Uxor Joannis Comneni filii Alexii erat; hoc enim titulo Colomannus Socer erat Joannis, & Alexius filiæ Colomanni, nuptæ Joanni, adeoque Alexius & Colomannus Conſoceri: Ab oppoſito, hæc dictio: A Rege, & *affine Imperatoris* latius patens eſt; nam & Colomanno. & Ladislao, ac Geiſæ, Stephano item & ſequentibus congruit; quia Affinitas ut Impedimentum Matrimonii dirimens eſt, uſque ad quartum gradum inclusive extenditur: ſecus ultro porrigitur. Hinc quia in

(a) Diſſer. ſuæ de S. Ladisl. pag. 97. & ſequ.

(b) Mirum! Græci Scriptores *paſſim* Colomannum Fratrem Irenes ſeu Pyriſcæ dicunt. Cum tamen Pyriſcam nullus Græcorum noſcat; & pro Irene ſolam & unicam Annam Comnenam, ſed improſpero conatu adducit. Nemo certe Græcorum Colomannum Irenes fratrem dixit, & audet ſcribere, *paſſim dicunt.* Immodica confidentia.

(c) Diſſer. meæ de S. Ladisl. pag. 139.

in Annæ illa ſententia Regis nomine Colomannus indicatur, ſi Noſtri gloſſatio, ſeu additamentum: *ſive affine* quidpiam valet, neceſſe eſt conſequi, Colomannum Joannis Comneni affinem, & hujus Uxorem Colomanni Sororem fuiſſe. Hoc autem quantum cum nomenclatura Conſoceri pugnet, norunt vel Tyrones Juris. Unde illud quoque clare videtur, voculas illas *ſive affine* Comnenæ dictioni nec peritiſſime, nec fideliter, nec denique proſpere adſutas, vel ſi mage placet, ſuppoſitas fuiſſe.

Nititur quidem Adverſarius enorme hoc hiſtoricum pariter & juridicum, grammaticum item ſphalma, inque Legem *Corneliam* peccatum, non tam excuſare, neque enim errare ſe poſſe credit, quam in Typothetam detorquere. Juvat ipſiusmet ſermonem, ut ex voce magis noſcatur, audire, ſic autem habet: *Ego olim adjeci: ſive affine - - oggeſſit Adverſarius, id in Græco non haberi, hoc verum eſt: ſed ego Græcum* συμπενθίῳ *explicandum mihi cenſui per vocem affinis, hinc meum illud: ſive affine: in prima voce error typi cubat, & reprimi ſic debet; ſive affine.* (a) Quam hæc intricata! cur non agnoſcit tam palmarem errorem? explicaturne vox Græca, ſenſus clariſſimi; per aliquam vocem diſparatam? hoc ſane non eſt explicare, ſed implicare. Si Criticus noſter id feciſſet, quod olim Magiſter Joannes de Thurocz ignarus, ſi Noſtro credimus, linguæ græcæ feciſſe cenſendus eſt, hoc eſt: ſi interpretem græci ſermonis gnarum conſuluiſſet, facile poterat reſciſcere græcam vocem: συμπενθίῳ. non ſignificare *affinem*, verum *conſocerum*, & a tam miſerande detorta explicatione abſtinuiſſet. Et revera neceſſe habebat quemdam linguæ græcæ peritum adire, nam vocem illam græcam ne quidem recte exſcribere ex Anna ſcivit, apud quam nec in Pariſina nec in Veneta editione in quarta Syllaba invenitur vocalis ι, ſed ε quod neque aliter eſt; Græcis enim Socer his literis ſcribitur ὁ πενθερὸς, ὁ ἑκυρος: Conſocer vero συμπενθερὸς, adeoque *Conſocero* ſic ſcribi debet: συμπενθέρῳ: voces porro iſtæ nullam prorſus ſimilitudinem habent cum vocibus: ὁ κηδεστὴς, & ὁ συνκηδεστὴς, quæ itidem ſonant, quod *affinis*: & nobis rurſum indicant,

(a) Diatr. pag. 142. in Not.

dicant, Critonem noſtrum linguæ græcæ cognitionem haud poſſidere, alias certe non fuiſſet ausus vocem συμπενθέρῳ explicare per vocem *affinis*. Recurrendum igitur illi prius fuiſſet ad interpretem, & nec tam enormiter aberraſſet, nec me eo, quod ſupinum hunc illius errorem communis boni gratia prodiderim, non ſatis modeſta dicendi formula: *oggeſſit Adverſarius*, cum nihil peccarim, laceſſiviſſet. Sed nec rite corrigit agnitum jam errorem, cum fatetur, in prima voce, ſeu in voce *ſive* typi errorem cubare, & manente voce *affine* ut eſt curſivis literis cuſa, ſolum vocem *ſive* reprimi debere. Non ſic; nam utraque harum vocum, hoc eſt, & *ſive* & *affine*, in Anna Comnena deeſt, adeoque ſi vox *affinis* curſivis literis impreſſa maneat, ſuppoſitus Annæ Comnenæ partus eſt; & idcirco utramque illam vocem reprimendam, & a dictione Comnenæ claris ſignis ſecernendam decernat, ne ſecus legentibus tam manifeſtum palpum obtruſiſſe videri poſſit. (a) Hoc tamen inter utrumque diſcriminis eſt, quod ſi vox *affine* curſivis literis expreſſa permaneat, dupliciter Noſter erret, tum quod Annæ Comnenæ illam vocem falſe appingat, tum quod Conſoceros, Affines non peritiſſime nominare audeat: ſi vero utraque illa vox reprimatur, poſterior duntaxat error ſupererit. Itaque & *ſive* & *affine* ſimpliciter exterendum eſt.

Detecta hoc pacto oppido induſtrioſa Adverſarii arte, nolo enim dicere: *fraude*, cum videret, jam nullum ſibi ad Annam Comnenam perfugium patere; converſis repente velis, convitiorum, ſi ita dici fas eſt, pelagus ingreditur, & cui paulo ante ut polypus ſaxo hærebat, jam illam omni fide deſpoliare intentis nervis contendit: ignaram, mendacem, falſa ſcribentem,

(a) Non eſt indignum cachinno, quod Adverſarius errorem hunc corrigere ſtudens, in typum rejiciat. Revocet ſibi in mentem, quam impie ob tale quid alias in me graſſatus ſit. Sed miſſo hoc, Diſſertatio ejus typis Poſonienſibus Anno MDCCLXXIV. excudebatur, & tum plane ille Poſonii ſuam habitationem habuit; ac ideo valde pronum eſt credere, quod ille ipſe fœtum ſuum lambendo formaverit, plagulas impreſſas reviderit, & menda correxerit: proinde miſer Typographus, in quem error detorquetur, de nihilo vapulat. Non vere igitur pag. 48. de ſe jactavit: *Sicubi me erraſſe obſervo, palam errorem retracto.* Iſthic apparet, quam rite id faciat.

tem, ſibi ſuſpectam eo, quod LX. annorum vetula fuerit, proclamat: atque cujus memorato teſtimonio non ita pridem tantum non thus adolebat, modo idem teſtimonium manifeſti erroris arguit. (a) Et id non ſit in quamcunque faciem Vertumni ſe vertere? Igitur Anna Comnena, quæ & in rebus Patris ſui, ac in ſuamet ipſius Genealogia, & in ſignanda Chronotaxi, atque imprimis in iis, quæ res extraneas contingunt, ſæpe omnino exerravit, lapſa, hallucinataque eſt, ſane aut nullam, aut modicam ſolum fidem meretur. Id equidem ego non moror. Aſt ſi tam ignara, tam mendax, tam modica fide eſt Vetula Anna Comnena, nemo ſobrius exigere poteſt, ut ejus teſtimonio tuto credamus, minus vero, ut ne ejus teſtimonium moderata Criſi expendamus, & ad ſuum locum reducamus. (b) Et tamen Noſter contra omnes recti Critici regulas, id modi

(a) Non credit Noſter, Annam Comnenam ſic intimam fratri ſuo fuiſſe, *ut hoc loco*, id eſt, cum Regem Dacorum, ſive Hungarorum, qui Colomannus erat, Joannis Comneni Conſocerum dicit, *non erraſſe, a quópiam, ſi modo ſobrius videri cupiat, defendi poſſit.* At, at dum in Diſſertatione ſua huic Annæ teſtimonio totus quantus innitebatur, utique illud defendebat, & validum eſſe tuebatur; proinde licere mihi arbitror, ut illiusmet verbis, ex eodemmet percontari audeam: An tum ſobrius fuerit?

(b) Anagnoſtes Cl. Pray D. Cornides eadem omnino, & ferme iisdem verbis adverſus me profert. Sed neſcio cur pag. 62. ſcribat, *rem omnem ita perduximus ad liquidum, ut & Cel. oppugnatori noſtræ ſententiæ ex aſſe ſatis fiat, & nullus amplius dubitationi locus ſuperſit.* Quam egregie triumphat! ſed præmature ſimul Selliſſat; necdum enim etſi prægrandi animo turgidus ſibi polliceatur, victoriam adeptus eſt. Cæterum non video, cur me ſententiæ ſuæ oppugnatorem dicere non vereatur: non ego poteram illum oppugnare, qui nihil antę edidit: niſi forte verbis illis innuere velit, communi cum Prayo conſilio & opera Diſſertationem de S. Ladislao compilatam fuiſſe, id quod, ſi hujus Diatribam, & illius *Genealogiam* conferamus, admodum credibile evadit. Idem pag. 69. fidem Annæ teſtimonii de Rege Hungarorum, Conſocero Græcorum Imper. quod in Colomannum & Alexium cadit, proterere volens, mirabili raptu hic ſcribit: *ignoraſſe Annam, vel certe in ſenectute ſua oblitam fuiſſe, non amplius vixiſſe Anno MCIX Regem Ladislaum:* e quibus deducitur, Annam non fuiſſe ſcripturam, Regem ejus temporis Hungarorum eſſe Alexii Conſocerum. Doleo Annæ vicem! Ergone adeo omni memoria lapſa fuit, ut ignoraret, aut non reminiſceretur, Ladislaum Anno MXCV. obiiſſe, adeoque Anno MCIX. jam inter vivos non agere. Mirum! Si Anna & Patris ſui Alexii & affinis ſuæ Irenes, & fratris ſui Joannis, forte & Mariti ſui Bryennii, ſuique ipſius oblita fuit. Hujusmodi argumenta inter ultimi generis argutationes, ſi tamen & hic locum merentur, Philoſophi rejiciunt: quas non modo Democritus, ſed & Heraclitus derideret.

di onus nobis imponere ſatagit, & ni feramus, contumelias, convitia, lædorias, crimina intentat.

Quibus non obſtat Pacificatio inter Alexium Comnenum, & Boamundum inita.

Prius, quam illud exequor, lubet referre, qualiter me Adverſarius cauſa ſententiæ illius, ex Anna Comnena deſumptæ, perſtringat. In Diſſertatione mea (a) affirmavi, Annam Comnenam dum de Legatis Tractatui cum Boemundo inito ſubſcribentibus agit, iſthæc adnotaſſe: οἱ ἐκ Δακῶν ἥκοντες ἀποκρισιαρίοι παρὰ τοῦ Κράλι, καὶ συμπενθεροῦ τῆς βασιλείας, quæ in latinum traducta hoc verborum tenore propoſui: *Venientes Legati ex Dacia* (Hungariam intelligit) *a Rege, & Conſocero Imperatoris.* (b) Hoc integerrima fide præſtiti, nihil in Annæ textu mutavi, addidi, minui, aut depravavi: ex illis autem hujusmodi conſequutionem intuli: Igitur (Anna Comnena) Colomannum, a quo hi Legati erant, Conſocerum adpellat Alexii: proinde etiam Patrem Irenes, quæ Uxor Joannis Comneni, Alexii Imperatoris filii erat; pacis enim tractatus inter Alexium Comnenum, & Boemundum in ipſum tempus Colomanni Regis, cujus Legati præſentes aderant, incidit. Patet ex his 1mo a me Comnenæ locum & græce & latine ſincere relatum eſſe. 2do Si Annæ Comnenæ ſententia vera eſt, quod ego quidem arbitror, Adverſarius perfracte inficiatur, certum eſt, ejus verba ad nullum alium Hungarorum Regem detorqueri poſſe, ſed Colomannum indicare. 3^tio Ex hoc Annæ teſtimonio Colomannum, & Alexium Conſoceros eſſe. Denique patet 4to quod quemadmodum Joannes Comnenus, Maritus Irenes, filius fuerat Alexii, ita & Irenes Colomanni filia; neque enim alias Alexius & Colomannus Conſoceri eſſe poterant, Itaque ex adjunctis temporis certiſſimum evadit, ab Anna Comnena Colomannum Regem Hungariæ Irenes, Joannis fratris ſui Uxoris, Patrem, & hanc illius filiam dici: quamvis in ſua narratione, nec *Colomannum*, nec *Irenen*, nec *Hungariam* expreſſis verbis nominet. Hinc factum erat, ut cum hanc rem per tres, quatuorque paginas

(a) Diſſ. meæ de S. Ladisl. pag. 139.

(b) Græca Annæ ſententia ſic ad literam reddita ſonat: *qui ex Dacis venerunt Apocriſiarii a Rege, & Conſocero Regiæ Majeſtatis*; id Poſſinus quoque ita reddidit; ego ſuperius ſolum ſenſum narrationis proponere ſatis habui.

ginas pertractarem, hæc etiam prorsus meis verbis scripserim: *Anna affirmat, Irenen fratris sui Joannis Uxorem, filiam fuisse Colomanni Hungariæ Regis.* Non ego scripsi ab Anna in sua narratione Colomannum, Irenen, Hungariam, nominari; sed Anna affirmat *Colomannum, Irenen, Hungariæ* Regem: & certe affirmat, quia ejus temporis Regem Hungariæ, qui Colomannus erat, Alexii Consocerum, seu quod idem est, Irenes Patrem fuisse affirmat. Hoc equidem nemo, nisi nimium ægrotus sit, negaverit.

Adversarius attamen (*a*) existimans hoc loco vicem mihi reddi posse, propter detectam ejus artem, qua Annæ Comnenæ sententiam manifeste depravaverat, (*b*) verba mea luxat, sententiæ vim infert, crimenque Falsi mihi inurere intentis nervis, pudendum in modum contendit, & locum illum, in quo Anna Colomanni Regis & ejus filiæ Irenes meminit, ostendi sibi petit. Næ ille argutior est, quam Cicada. Non integrene retuli Annæ verba? integerrime, græce quidem usque ad apicem literarum, latine secundum sensum perfecte: nonne si non bona fide agere volui, aut Annæ sententia dissimulanda subticendaque mihi fuit, aut solum depravate, detorseque promenda? utique; id autem nequaquam feci: nonne si palpum obtrudere fategi, verba mihi objecta *cursivis* literis imprimi curare debebam, ut legentes ab ipsa Anna, nomina: *Colomanni, Irenes, Hungariæ*, scripta fuisse sibi tutius persuaderent? dubio procul; ast hoc Noster solet facere, ego nuspiam. Quare ergo Vir doctus de nihilo adeo acriter Mæsonica dicteria in me jactat, ut tantum non impostorem pronuntiet? Nemo profecto, si modo ceritus non sit, ex illis meis, aliud, quam quod nunc dixi

(*a*) Diatr. pag. 145.

(*b*) Noster de Anna pag. 149. scribens hæc ait: *Non enim reor, illi hanc* (vocem consocero) *a Sutore græcanico, ut Noster Bonfinio factam a latino credit, assutam esse.* Ut video, ars illi sutoria in primis placet, non tam ob id, quod illam creberrime calamo cum voluptate versat? sed præsertim ideo, quod ex frequenti artis istius commemoratione, jam se ipsum utoribus non Bonfinianis quidem, ast Comnenianis, adeoque græcanicis adgregaverit, & brevi temporis spatio, tantum profecit, ut dexterrime, si superis placet, Annæ Comnenæ verbis sua adsuerit. Certe voculæ illæ, *sive affine* sic adsutæ sunt.

dixi, indicantibus, intulerit: me quidpiam ſeu dolo, & ignorantia, ſeu impoſtura, & depravatione egiſſe. Si id intendiſſem; certe ex relatis Annæ verbis non mihi erat opus hujusmodi argumentum petere: *Igitur Colomannum, a quo hi Legati erant, Conſocerum appellat Alexii, proinde etiam Patrem Irenes, quæ Uxor Joannis Comneni, filii Alexii Imperatoris erat.* Clariſſime his prodidi, quod Anna non nominet quidem Colomannum, verbis tamen ejus nullus alius indicatur, quam Colomannus Rex Hungariæ, (a) & ejus filia Irene, hoc eſt: teſtimonium Annæ ad *tempus reduxi*, ſeu ex temporis adjunctis argumentabar, Annam perhibere, Colomannum Regem, eſſe Alexii Imperatoris Conſocerum, & Irenes Patrem: quod tam certum eſt, quam quod certiſſimum.

Texit porro Panhypercriticus noſter pedicas, in quas me concludat, & omnes Vires, quod ipſa ejus ſcribendi ratio per- Frivola Adverſarii argumentatio.

(a) Dan. Cornides iſthic intemperantiſſime exorbitat, dum pag. 62. velut e Patroclis domo erumpens, ſui ac communis pudoris oblitus, ſumma inverecundia frontem in me deſiderat his verbis: *Neſcio igitur, qua fronte ſcribere potuit Cl. Adverſarius, Annam affirmat; Irenen fratris ſui Joannis Uxorem, filiam fuiſſe Colomanni Hungariæ Regis?* nemo ſane, ſi modo ex Ephebis exceſſit, adeoque quid frons ſit, non ignorat, talia in me requiſiverit; ſum etenim a teneris tam honeſte eductus, ut nec frontem debuerim abjicere unquam, nec ignotus ſum iis, qui talia arbitrari & ſciunt, & poſſunt. Oſtendi jam a me rectiſſime ſcripta fuiſſe, de quibus tanta licentia ab hoc Buttubata accuſor. Si forte meis illis voculis: *diſſertis verbis* eſt deceptus, noverit, me, ſicubi, hic certe latine ſcripſiſſe, & ille prius, quam in Virum, cujus cordi honeſtas jure inſidet, tam abſurde graſſetur, Lexica adire debebat, & vidiſſet *Diſertum* a *Diſero* derivari, & ſignificare facundum, qui prudenter diſputat. Talis ſane hoc loco fuit Anna Comnena, quæ ad temporis circumſtantias reflectens, prudenter affirmavit, Conſocerum fuiſſe Alexio Patri ſuo, Cralem Dacorum, ſeu Regem Hungarorum, qui cum illo tempore alius a Colomanno non fuerit, ſine dubio facundis, diſertisque verbis affirmavit, Alexium & Colomannum Conſoceros, adeoque Irenen hujus filiam fuiſſe: & nuſpiam ſcripſi nomen Colomanni, nomen Irenes ab Anna memorari. Non merui proinde hac Cradophaga infamia notari, quam ſi alias in me D. Cornides jactaſſet, ſcirem utique quomodo mihi vindicanda eſſet, modo cum in prima, quam hucuſque edidit opella tantam tyrannidem exercere audeat, ſatis ſit Lectores illis Horatianis præmonuiſſe.

Fœnum habet in Cornu, longe fuge, dummodo riſum
Excutiat ſibi, non hic cuiquam parcet Amico:
Et quod cunque ſemel chartis illeverit, omnes
Geſtiet a furno redeuntes ſcire, lacuque
Et pueros, & anus - - - - - - - - Serm. Lib. I. Satyr. IV.

persuadet, colligit, ne me sibi quoquo modo elabi patiatur. (a) Inchoat perorationem a pacificatione prima Boemundum inter & Alexium Comnenum anno MXCVII. inita paulo post Pascha (b) quod in diem V. Aprilis inciderat, quo tempore Colomanno Regi Uxor ex Sicilia nondum adducta fuit. Deinde alteram Alexium inter, & Boemundum, dum hic Dirrachium frustra obsederat, hoc est, anno MCVIII. coaluisse statuit, cui etiam Legati a Colomanno missi intererant. Quia vero Colomannum cum Rogerii Siciliæ Comitis filia anno MXCVII. post Mensem Majum (c) primum celebrasse nuptias Malaterra Scriptor coævus testis esset, ideo ante annum MXCVIII. Colomanno nulla proles nasci potuit. Igitur cum Irene filia Colomanni anno MCVI.

(a) Diatr. pag. 143. ubi una ludere velle videtur, at cælesti anima indignissime; ita enim, quod profecto vel recitare horreo, scribit: *Itaque hactenus* (hoc est, usque Pascha Anni MXCVII.) *Uxor Joannis Comneni non potuit esse filia Colomanni, nisi hanc cum Episcopus Varadinensis erat, genuisset. Quæro, an ex legitima Conjuge? an ex Concubina?* ita suavissime nugari se existimat, & fœdo joco indulget, cum tamen id ad præsens argumentum nihil conferat, quod ipsemet agnoscit, dum illis hæc subjungit. *Hæc in modum diverticuli*: sed utinam ad talia nunquam divertisset.

(b) Hoc argutum est, nam idem ad quod ille provocat, Chronicon Hierosolymitanum ab Reinero Reinecio typis Helmstadiensibus ex Codice Christiani Diselmeyri editum, non aliud est, quam Chronicon Alberti Aquensis Ecclesiæ Custodis & Canonici inter Acta Dei per Francos pag. 203. de hac pacificatione sic scribentis. *Interea dum S. Pascha jam tribus septimanis evolutis processisset - - Boemundus ante muros civitatis Constantinopolitanæ adstitit - - tandem vero cum - - Dux diu cum ipso Boemundo ageret - - Boemundus homo Imperatoris factus cum juramento, & fide data.* Itaque jam tres septimanæ post Pascha effluxerunt, & quarta currebat, adeoque Aprilis Mensis præterierat, cum Boemundus ad Muros Constantinopolis pertigit, & tum primum Dux Godefridus illum ad præstandum Alexio Imperatori hominium persuadere cæperat, usque dum diu, quod utique bonam temporis partem importat, reluctantem permoveret. Non igitur paulum post Pascha, quod Noster ait, prima illa pacificatio inter Boemundum & Alexium inita est.

(c) Hoc itidem aperte falsum est, nam Gaufredus Monachus, Malaterra dictus, hæc solum habet: *Mense Majo cum trecentis Militibus - - cum puella procedere faciens prospera aura flante per æquora feruntur*, ap. Murat. Tom. V. Lib. IV. Cap. XXV. Quod ut Mense Majo iter inchoatum esse innuit ita non determinat tempus adventus filiæ Rogerii, Sponsæ Colomanni: imo cum e Sicilia Belogradum Urbem Croatiæ, quo Sicula puella applicuerat, intra paucos dies, præsertim prospera aura flante, perveniri possit; credibilius evadit, filiam Rogerii Mense Majo iter ingressam, eodem Mense in manus Colomanni convenisse. Unde non video, qua confidentia Noster scribat: *Colomannum cum Rogerii Siciliæ Comitis filia anno MXCVII. post Mensem Majum nuptias primum celebrasse Malaterra Scriptor coævus nos dubitare non sinit.* At id quidem Malaterra nuspiam affirmat.

MCVI. gemellos pepererit, etsi anno MXCVIII. nata fuerit, anno ætatis octavo Mater erat: quod cum absonum sit, necesse est consequi, Irenen Joannis Comneni Uxorem, non fuisse filiam Colomanni. Hæc est Adversarii argumentatio, quæ si omnibus partibus certa est, certa est pariter consequutio. Verum lustremus an non Mus in pera? Proinde quæro: Quis seu Domesticorum, seu Exterorum Scriptorum affirmet, Irenen Joanni Comneno nuptam anno MCVI. gemellas proles genuisse? Reponit Noster *(a) Id nullo negotio ex ipsa Anna Comnena efficitur.* Nam hujus testimonio Alexius Bizantio profectus Thessalonicam pervenit Indictione XIV. Mense Septembri: quia vero Indictio Constantinopolitana a Calendis Septembribus initium sumit, adeoque Indictio XIV. die I. Septembris anni MCV. incipit, & in die ultima Mensis Augusti Anni MCVI. desinit, Anna autem scribit: *Natus est - - Imperatoris Joannis filius primogenitus Sororculam quoque post se trahens*, idcirco Irene anno MCVI. gemellos peperit. Præterea quia Anna Comnena scribit, sub hujus partus tempus in coëlo horribilem apparuisse Cometam; iste vero teste Fulcherio Carnotensi Synchrono Anno MCVI. visus erat; idcirco rursum arguit Noster, Irenen isto anno gemellos peperisse, Anna Comnena testis est. Verum: iterum quæro: quis seu Domesticorum, seu exterorum Scriptorum præter Annam rei hujus idoneus testis est? nemo. Quis Alexio, Joanni, Colomanno, & ipsi Annæ Comnenæ coævorum, aut supparium, quos longo ordine recensere non difficulter possumus, sive Græcorum, sive Latinorum Scriptorum adstipulatur? Nemo, nemo certe Mortalium usque ad hæc nostra tempora, quibus adeo sapere nobis videmur, ut cuncta susque deque proterere nil pensi ducamus, dummodo novitates, e quibus magni apparere ambimus, procudamus, obtrudamusque. Tota ergo quanta est, de natis Irene Matre anno MCVI. gemellis, fides, unius, soliusque Annæ testimonio nititur? *(b)* Annæ inquam, illius, quam

---

(a) Diatr. pag. 147.

(b) Adversarius rursum manifestat, quam egregie scilicet in lingua græca sit versatus: Annæ enim verba non integre latio donat: *Sororculam quoque post se tra-*

quam ipſemet Adverſarius, non ita pridem, quod jam dixi, omni fide & auctoritate deſpoliavit, ignaram, mendacem, falſa ſcribentem rerum Patris ſui, & domeſticæ Genealogiæ neſciam, atque memoria lapſam Anum ſevero ſupercilio pronuntiavit. Et hujus Annæ ſine Duce, ſine Comite, ſine pediſequo teſtimonio adeo vehementi contentione ſe Noſter adjungit, ut nobis etiam perſuadere velit, Annam LX. annorum Vetulam, ubivis in ſua Alexiade inſignes errores erraviſſe, hoc autem loco vera ſcripſiſſe, non erraſſe, non ignaram, non mendacem, non hallucinatam eſſe. Hui! hoc equidem eſt Citeriam ducere. *(a)*.

Quæ refellitur.

At enim adeſt adminiculum fidei, quia ipſa Anna Comnena teſte, Alexius Bizantio Theſſalonicam pervenit Indictione XIV. Menſe Septembri, *(b)* & ſub hoc tempus Irene gemellos peperit. Cadit autem Indictio XIV. in annum Chriſti MCV. & terminatur pridie Calendas Septembres anni MCVI. Ergo Irene iſto anno gemellos peperit. *(c)* Agnoſco, ſi quis alius meliori fide dignus Scriptor Synchronus hanc rem nobis transmiſiſſet, admodum probabilem effeciſſet. Verum, quia Viris Eruditis, quod & Crito noſter magna exaggeratione affirmat, notiſſimum eſt, tantam eſſe Græcorum Scriptorum generatim in re Chronologica negligentiam, ut annorum ſeriem oppido raro rite, rectèque conſignent, quid dicam de Anna Comnena? Hoc verum eſt, quod Indictio Conſtantinopolitana XIV. cum Menſe Septembri anno MCV, inchoet: ſed religioni mihi duco, Annæ Comnenæ hoc loco fidem habere, quæ circa ipſiſſi-

---

trahens, illa enim ſic habet: συνεπαγόμενος ἐν τῷ τίκτεθαι καὶ ἕτερον θῆλυ. quæ ita reddi debent. *Sororculam quoque ſecum gemellam in lucem trahens.*

(a) D. Cornides Adverſario noſtro, Amico ſuo, hic appoſite dixerit illud Terentii Phormionis, A. I. S. IV. *Nunc prior adito tu: ego in inſidiis hic ero ſuccenturiatus, ſi quid deficies.* Unde vix ille ſuum edidit fœtum, ne is immaturus pereat, iſte ſuum iisdem pene verbis ſuppreſſo Anteſignani ſui nomine protruſit: nihil tamen ſolidioris adducit, verum eandem ſolum crambem recoquit, & cum nihil probat, audacter exclamare non verecundatur. *Quis Janus credit, Octennem puellam gemellos peperiſſe?* profecto neque ego credo, ſed ille probet ſolidius, puellam Octennem gemellos parere debuiſſe. Marce! non fit hoc verbis.

(b) Alex. Lib XII. p. 278. edit. Venet. pag. 351. edit. Paris.

(c) Dolet mihi, quod non ſine Legentium tædio eandem rem toties regerere debeam, cauſa tamen Adverſarii, latibula quærere, ſoliti, faciendum eſt.

ipſiſſimam Indictionem XIV. ſpiſſiſſimum errorem erravit. Nam eodem plane loco, eademque pagina continuo exſertis verbis affirmat, hanc Indictionem XIV. qua nempe Alexius Theſſalonicam pervenit, & Irene gemellos peperiſſe creditur, fuiſſe annum viceſimum Imperii Alexii Patris ſui, (a) cum tamen illa ipſa teſtis ſit, (b) Patrem ſuum Indictione IV. in annum MLXXXI. cadente regnare cæpiſſe, atque adeo neceſſum eſt, ut annus MCV. regiminis Alexii Comneni non annus viceſimus, ſed viceſimus & quartus fuerit. Nihil igitur fidei prorſus ſingulare iſthoc Comnenæ teſtimonium meretur. At, at unum adhuc obſtare Adverſarius ſibi perſuadet: nam Anna Comnena pauxillum ante, quam ſcripſiſſet, Joannis Imperatoris filium primogenitum cum Sororcula natum fuiſſe, adnotavit, viſum fuiſſe in cœlo apparentem Cometam magnum. Cometes autem iſte ut ipſe Spectator Fulcherius teſtatur anno MCVI. apparuit. *Itaque non poteſt non eſſe certiſſimum* (ſic Noſter argumentatur) *Uxorem Joannis Comneni anno MCVI. gemellos peperiſſe.* (c) Κυπαρίττε καιρός! ego autem ajo, nihil omnino eſſe magis incertum, ne dicam frivolum, quam ex apparente anno MCVI. Cometa, calculum ad nativitatem iſtorum gemellorum ducere. Hoc paululum diſcutiamus.

Certum eſt, non tam quidem ob Annæ Comnenæ teſtimonium, quam quia graves Synchronos, & ſuppares Scriptores, conſentientes ſibi habet, anno MCVI. Cometam apparuiſſe. Id enim præter Fulcherium Carnotenſem, Anonymus Hiſtoriæ Hieroſolymitanæ Scriptor, Sigebertus Gemblacenſis, aliique perhibent. Sed pariter certum eſt, quadriennio poſt, hoc eſt, anno MCX. Cometam viſum fuiſſe in cælo. Fulcherius id (d) ſic deſcribit: *Anno ab Incarnatione milleſimo centeſimo decimo - - vidimus Cometam unum ab Aquilone ad Auſtrum radium protendentem ſuum.* Idem teſtatur Anonymus Hiſtoriæ Hieroſo-

(a) Verba Annæ ſunt; *Theſſalonicam pervenit Menſe Septembri Indictione XIV. viceſimo Imperii ſui anno.*
(b) Alex. Lib. II. pag. 55. & 56.
(c) Diatr. pag. 148.
(d) Fulcher. Carnot. Geſt. Peregr. Franc. edit. Hanov. MDCXI. pag. 421.

lymitanæ (a) Sigebertus Gemblacensis (b) *Cometes apparuit radios dirigens ad Auſtrum.* Annales Hildeshaimenſes (c) *Stella adulta jam nocte radios admodum longos verſus Auſtrum de ſe effundens.* Ex his perſpicuum fit, hos & alios Scriptores graves, & coævos, teſtes eſſe, Cometam horribilem & anno MCVI. & MCX. apparuiſſe, & quia iſti ne verbulo partus Irenes Uxoris Joannis Comneni meminerunt, manifeſtum evadit, illorum de apparitione Cometæ teſtimonium, ad confirmandam Annæ Comnenæ de natis gemellis, narrationem prudenter trahi haud poſſe; nulla enim cauſa ſuadet, ut illos Annæ Comnenæ tum potius conſentire exiſtimemus, cum anni MCVI. quam cum anni MCX. res geſtas, & Cometem memorant; utpote quibus nullum cum Anna Comnena commercium, nulla partus Irenes cognitio fuit. Omnis igitur authoritas, omnisque fides ſtat penes ſolam, & unicam Comnenam, quæ ſicut ſeptem ſæculorum curriculo nullum Sectatorem nacta erat, ita profecto neque nos habebit, niſi nihil videamus; quod abſit. (d)

Quia

(a) Anom. Hiſt. Hier. Par. II. quam dedit. Franc. Pithœus.

(b) Sigeb. Gemblac. ap. Piſtor. ad an. MCX.

(c) Annal. Hildes. apud Leibnitz. ad annum MCX. qui deſinunt in anno MCXXXVII.

(d) Eadem plane navi & ventis, more, fertur D. Cornides, in hoc infelicior, quod Delphico Oraculo pene parem ſe faciat, cum dictatoria reſponſa ingenti cum energia hoc altiſſimo verborum tenore promit. *Certum itaque eſt & indubitatum, non ſolum Joannis Comneni Conjugem anno MCVI. factam eſſe puerperam, ſed & toto cœlo aberraſſe Annam, dum fratris ſui Conjugem, Regis Hungariæ anno MCIX. regnantis, fuiſſe filiam innuit.* Eheu! quam egregie triumphali currui inſidet! vereor attamen, ut cum immodicam pompam conſectatur, nemo ſanus illi Pæana occinat. Illud hic noto: non diſſimulandam hallucinationem eſſe, quod hoc loco annum MCIX. commemoret, quo indicat Alexium inter & Boemundum ſecundam pacificationem, etiam ab Hungariæ Regis Legatis ſubſignatam, iſto anno initam fuiſſe; ita enim illam pag. 64. ad annum MCIX. perperam affigit. Certe magis perſpicuum eſt, iſtam pacificationem anno MCVIII. coaluiſſe, quam ut eatenus ſine manifeſta temeritatis nota dubium obmoveri poſſit. Affigunt illam ad hunc annum Fulcherius Carnotenſis §. 35. Anonymus Hiſtoriæ Hieroſolymitanæ Parte II. Willermus Archi-Epiſcopus Tyrienſis Hiſt. Lib. XI. Cap. VI. cæterique graviſſimi ejus plane temporis, & in expeditione Hieroſolymitana præſentes Scriptores & hos Βοημουνδ& ανθρωπ& corrigere audet. Nota Indictionis II. apud Annam illum hunc in palmarem errorem induxit; ſcribit enim *in annum Chriſti MCIX. cui & Indictio II. reſpondet.* At, ſi ſeu Annam non ignave legiſſet, ſeu Indictionum naturam noviſſet, aut maturius examinaſſet, nullo negotio ſcire poterat Indictionem

Quia vero Crito noſter, integram calumniarum catervam ob id in me ſuſcitat, eſtque nimium *Confidens, tumidusque adeo ſermonis amari, Siſennas, Barros, ut equis præcurreret albis,* (a) atque etiam exiſtimat, me plene laqueis ſuis implicitum eſſe, ea propter neceſſum eſſe arbitror, rurſum, quod invitus facio, diſcutere, num quod ille crebro & immodice jactat, Irenen, ſi Colomanni Filia fuit, Octennem gemellos parere debuiſſe, vel ſpeciem veri habeat? S. Ladislaum Regem anno MXCV. e vivis abiiſſe, & Colomannum, ex Polonia, quo fugerat, confeſtim in Hungariam advolaſſe, Regemque eodem, quo Ladislaus obiit anno, inauguratum fuiſſe, Domeſtici Scriptores dubitare nos non ſinunt. Statui ego in *Epiſcopis Varadinenſibus* Colomannum anno MXCVI. cum Romana Diſpenſatione Uxorem duxiſſe: & quia Ladislaus Menſe Junio, ut credere licet, ex hac vita migravit, Colomannusque illi continuo ſucceſſit, clarum evadit, anno MXCVI. imo etiam ipſo emortuali S. Ladislai anno Uxo-

nem II. inchoare Calendis Septembribus anni MCVIII. & deſinere pridie Cal. Sept. anni MCIX. Ad hæc, quia Anna ait: *Menſe Septembri Indictione II.* illam pacificationem coaluiſſe, tam certum eſt, quam quod certiſſimum, illam anno MCVIII. initam fuiſſe. Cæterum, tum quoque hallucinatur, cum pag. 64. ſcribit: *Incidit vero annus Æræ Mundi Græcorum* 6617. *in annum Chriſti MCIX.* Triplex Græcorum Æra præprimis celebratur. Prima eſt, quæ ab initio rerum ad Natalem Chriſti putat annos 5493. Secunda anno mundi 5501. eundem Natalem aſſignat. Tertia anno 5509. Poſtrema hæc omnium celeberrima, qua Conſtantinopolitana Eccleſia, eique ſubjectæ omnes utuntur. Itaque in Codice Juris Orientalis Imperatorum Edicta hac æra conſignantur, tum Alexandrinum Chronicon, & Græci denique recentiores illam adhibent. Jam vero ſi huic Æræ Græcæ, hoc eſt: annis 5509. adjeceris annum Chriſti 1109. quo Cornides Tractatum pacis confectum eſſe perperam ſibi perſuadet, habebis anno iſto Æram Græcorum non 6617. ſed 6619. a Calendis nempe Menſis Septembribus, quo pax coaluit: vel ſi primordium æræ Græcorum a Verno Menſe dinumerare incipias, Anno Chriſti 1109. erit annus Æræ Græcorum 6618. Idem autem error eſt, ſeu primam, ſeu alteram Æram ſequaris. Nunquam certe annus Chriſti 1109. erit annus æræ Græcorum 6617. vid. de his. Dion. Petav. de Doctr. Temp. Lib. IX. Mirari autem ſubit, quod Cornideſius hanc quoque ſuam hallucinationem, tanquam rem *certam* & *indubitatam* non pronuntiaverit; ita enim Libellum ſuum digeſſit, ut exiſtimare cenſendus ſit, ſomnum ſibi nuſpiam obrepſiſſe. Omnia illi *certa*, & *indubitata*, *manifeſta*, *evidentia ſunt*, quæcunque nobis obtrudit: imo vero in lucro ſuo potius deputet, quod nunc primum opus ejus in lucem prodeat, adeoque in errores illius ſeverus Cenſor nullus hactenus inquirere potuit, fiet fortaſſe & iſtud, & tum nimium expanſa vela ſe invito contrahi ſentiet.

(a) Horat. Serm. Lib. I. Sat. VII.

rem ducere, ac ſic prolem quoque ſub medium, aut certe non multum poſt medium anni MXCVI. ex Uxore ſuſcipere potuiſſe. Uxorem brevi poſt mortem Ladislai ab illo ductam fuiſſe, perſuadet mihi illud, quod per *Diſpenſationem* apoſtolicam deficiente Hærede Regio, Regni gubernacula ſuſcepit, ut ait Verböczius. (a) Quid igitur vetat dicere, Sophiam quam Noſter Pyriſcam, Græci Irenen nominant, anno MXCVI. vel ſequentis initio in lucem editam eſſe? nullam ſane video prudentem cauſam, cur id in dubium vocari debeat. Itaque habemus jam Irenes nativitatis annum: quærendus reſtat annus partus, quo videlicet ex Joanne Comneno gemellos peperiſſe Irenen Anna Comnena ſcribit.

Etſi vero nihil ſit, cur Comnenæ privo, ſingulari, & non niſi a nemine & nullo veterum adoptato teſtimonio, & vel inde, ſummopere ſuſpecto, fidem habeam, tamen ut me liberalem eſſe ſentiat Adverſarius, non abnuo, do, Comnenæ de gemellis prolibus ab Irene in lucem editis narrationem credibilem eſſe; inde tamen adhuc non recte arguetur, Octennem *peperiſſe*. Nam nota Chronologica ab apparitione Cometæ petita non plus probat, quam ſi exempli gratia diceres: anno MCVI. Paſcha Menſe Aprili celebrabatur, ſed Irene tum peperit, cum Paſcha Menſe Aprili celebrabatur: ergo anno MCVI. peperit. Quæ argumentandi ratio prorſus inficeta, vitioſaque eſt, atque alteri ſimillima, videlicet: Anno MCVI. Cometa apparuit, ſed Irene tum peperit, cum Cometa apparuit: ergo MCVI. peperit. Uterque Syllogiſmus tunc tantum concluderet, ſi Paſcha non alias, quam anno MCVI. Menſe Aprili celebratum fuiſſet: Si item Cometa non alias apparuiſſet, quam anno MCVI. Jam vero quamvis certiſſimum ſit, horridum Cometam anno MCVI. apparuiſſe, non id quidem ob Annæ Comnenæ teſtimonium, cujus in re præſertim Chronologica ſcribendi ratio tam perturbata, atque implexa eſt, ut profecto nemo cordatus, ſi modo temporis ratio illi cordi ſit, Annæ tuto credere poſſit; quam quia Annæ Synchroni, & Spectatores illius Cometæ mire conſen-

(a) Steph. Verböczi. Lib. II. Tit. XIV.

sentiunt. Ast similiter certum est, etiam quadriennio post, hoc est, Anno MCX. ingentem Cometam visum fuisse: quod superius ex Fulcherio, aliisque perspicue docui. Igitur si quid Annæ Comnenæ narratio valet, hoc est: si verum est, suspectum autem ob singularitatem jure meritoque esse debet, quod Irene gemellos pepererit, sub idem tempus, quo Cometa apparuit: hoc equidem non ad Annum MCVI. quo prior, sed ad annum MCX. quo posterior Cometa apparuit, referamus oportet, tanto magis, quod nec ipsa Anna ullum nobis signum Chronologicum reliquerit, ex quo arbitrari debeamus, partum Irenes, quem illa narravit, ad annum MCVI. præ anno MCX. referendum esse.

Non me quidem latet, & alteram notam temporis ex ipsa Anna adduci, quæ (a) paulo ante, quam partus Irenes meminerat, refert, Alexium Bizantio profectum perveniisse Thessalonicam Indictione XIV. Mense Septembri: quam quidem Indictionem constat a Calendis Septembribus anni MCV. initium sumere, & pridie Calendas Septembres anno MCVI. desinere. Sed quis sibi persuadebit, id ab Anna recte consignatum esse? quam, aut nullam, aut certe admodum modicam curam Chronologiæ habuisse, norunt, qui illius Alexiadem vel obiter inspexerunt, & quam in hac ipsa indicata Indictione spissime erraſſe manifestum est, ut supra ostendi, videlicet affirmat, Alexii Regiminis annum vicesimum in hanc Indictionem cecidisse, cum tamen ipsa fateatur fuisse Annum XXIV. Unde potius arguo: sicut hoc loco quatuor annorum serie aberrat Anna, ita eodem loco de Cometa apparente scribens, præsumi debet, illum Cometam indicare voluisse, qui quatuor annis post primum visus est: proinde sicut de Cometa illo loqui existimanda est, qui anno MCX. apparuit, ita & partum Irenes ad hunc eundem annum affigere: non vero ad annum primo apparentis Cometæ, hoc est MCVI.. Ex his, ut reor, satis superque apparet, quam vere scribat Panhypercriticus noster, quod si

(a) Anna Comnena de Cometa viso scribit. Alex. Lib. XII. pag. 281. de partu Irene, pag. 282. de Alexio Thessalonicam profecto pag. 278.

Irene filia fuit Colomanni Regis, octennis, Mater erat gemellorum: quam recte item exquisitis contumeliarum phrasibus prægrandi cum contemptu mihi insultet? videlicet: quod argumentorum pondere assequi nequit, mole convitiorum, argyvisque calumniis extorquere nititur, errorum suorum usque ad superstitionem Tutor ille, æstimatorque, quem ferre nec centum queant Ægyptii: sed incassus est idmodi labor, quia veritas nec sub immani pondere fatiscit.

Statuo igitur: si Annæ Comnenæ, rursus repeto, de Irenes partu narratio vera est, (a) quodque sub tempus, quo Cometa apparuit gemellos, peperit, hos tempore secundo apparentis Cometæ peperisse, id est, anno MCX. & quia superius statui, Rogerii Siciliæ Comitis filiam, Colomanno anno MXCVI. locatam, istoque anno Irenem, seu Sophiam natam fuisse, consequitur, quod dum gemellos peperit, fuerit annorum decem & quatuor. Hic fortasse non videbor jam Pantocritico nostro præ-

(a) Lepidissima est hoc loco Critonis nostri animadversio. Scripseram pag. 139. Annam Comnenam fratri suo Joanni, & Affini suæ Irenæ ita intima consuetudine conjunctam fuisse, ut facile nosse potuerit, quo Patre Irene genita sit. Displicet id Nostro, & ait, non fuisse ita conjunctas, ut dum Anna Regem Hungariæ Consocerum Alexii vocat, non errarit. Mira res! Judice Nostro Anna omni cum adcuratione scripsit ea, quæ de partu Irenes pertractat: cum vero Patrem Irenes affinis suæ, Consocerum Patris sui Alexii dixit, tam crasse aberravit, ut a nemine, *si modo sobrius videri cupiat, defendi possit.* Hæc sunt Nostri officiosissima verba. Sed quæ tandem hujus repentinæ metamorphosis, atque differentiæ causa? Davus sum non Ædipus, nec ullam aliam affero, quam quia hic illius arbitrariis conjectationibus favere videtur; ibi uno ictu illum proterit. Illud autem etiam falsum est, quod pag. 151. scribit: videlicet Annam non modo Fratri, Affinique suæ non fuisse consuetudine conjunctam, verum etiam fratrem suum persequutam, & ex Solio deturbare conisam fuisse. Etsi enim non inficier, Irenem Alexii Conjugem ob simultates, quæ illi cum filio Joanne intercesserant, conatum adhibuisse, ut cum Alexius jam animam ageret, Joannem a Solio submoveret, & Annæ Maritum Nicephorum Bryennium in Imperium subveheret: quod anno MCXVIII. contigit. Id tamen non Annæ, sed Matris Annæ culpa factum fuit. Verum quidem est, eodem anno, ut refert, Nicetas Choniates pag. 7. Anna ipsa quosdam Procerum sibi devinxerat, quorum ope ferme Nicephorus in solium adversus Joannem evectus erat, sed tempestive detecta conjuratione Joannes Sororem Annam volebat quidem mulctare, verum Axuchi exercitus Ducis intercessione placatus est Sorori, quæ dehinc, sicut antea in fratris, & affinis amicitia & consuetudine constans permanserat. Id Noster, si græcanicos Scriptores diligentius legerit, nullo negotio comperiet.

præcox Paranymphus esse; Nec aliud huic annorum putationi officere potest, quam Gaufredi Malaterræ testimonium. Is refert (*a*) anno MXCVII. Mense primum Majo Rogerii filiam in manus Colomanni convenisse; ac proinde Irenem non nisi sub principium anni MXCVIII. nasci potuisse, consentaneum est. Malaterræ Monachi Scriptoris gravis & coævi testimoniũm de plano rejicere, temerarium fore ultro agnosco: attamen in anno MXCVII. errorem cubare, atque ad priorem retrudendum esse, perspicue ostendam; alias sibi ipsi manifeste contradiceret. Itaque Scriptor iste laudato loco exserte scribit, filiam Rogerii Siciliæ Comitis, Sponsam Colomanni Regis, ex portu Siculo Mense Majo (*b*) anno MXCVII. solvisse: signandus nihilominus fuerat annus MXCVI. Nam, ut idem Malaterra habet, Sponsam Colomanni, quem Alamanum vocat, Henricus Lescastrensis Episcopus, cum aliis Siculis Legatis usque in Hungariam comitatus, ipsisque nuptiis præsens erat. *Nuptiis vero Regalibus expletis, Rex Episcopum Lescastrensem, & qui cum ipso reversuri advenerant, aliquantisper secum commorari faciens - - a se dimisit, - - ipsi prospero æquore, in quo disponebant, adplicantes ad Comitem pervenitur, ordinem actionis suæ exponentes.* Hæc Malaterra eodem Capite XXV. & mox sequenti Capite XXVI. narrat, Rogerium Comitem conflato ingenti exercitu, prima hebdomade Aprilis Mensis Pharum transiisse, tum Beneventum advenisse, ibique castra metatum fuisse: *indeque pertransiens super fluvium, quod Sabbathum dicitur, tentoria figens, Pentecosten celebravit.* His in Castris etiam Aladasiam Rogerii Uxorem præsentem adfuisse testatur: ac totius narrationem capitis ad annum MXCVII. exserte adfigit; sic enim hoc caput concludit: hujus *obsidionis tempore ibi imprægnatam in anno MXCVII. Comitissam Adalasiam de Comite Rogerio.*

Li-

(*a*) Gaufr. Malat. Hist. Sicul. Lib. IV. Cap. XXV. ap. Murat. Tom. V.

(*b*) Diatr. pag. 146. immodica audacia scribit Noster: *Colomannum cum Rogerii Siciliæ Comitis filia anno MXCVII. post Mensem Majum nuptias primum celebrasse, Malaterra Scriptor coævus dubitare nos non sinit.* Atqui Malaterra ne verbulo uspiam meminit, has nuptias *primum post Mensem Majum* celebratas fuisse. Quæ hæc confidentia!

Liquet ex his *1mo* Colomanni Sponſam Menſe Majo ex Sicilia abiiſſe. *2do.* Legatos Rogerii Comitis, Sponſæ Patris, poſt Nuptiarum ſolennia in Siciliam rediiſſe. *3tio.* Rogerium a redeuntibus Legatis in Sicilia conventum, eique res toto itinere geſtas, narratas fuiſſe. *4to.* Rogerium Menſe Aprili ad Pharum conſtitiſſe. *5to.* Rogerium cum exercitu non procul Benevento Pentecoſten celebraſſe. *6to.* Poſt exacta feſta ad oppugnandam Capuam abiiſſe. Atqui hæc omnia uno eodemque anno fieri non fuit poſſibile. Nam *1mo* Rogerius in Sicilia fuit, dum ejus filia iter ingrederetur; ergo eodem Menſe in cujus diem XXI. anno MXCVII. Pentecoſtes incidit, non procul Benevento cum exercitu, quem contra Capuanos duxit, feſta Pentecoſtes celebrare nequivit, eo magis, quod jam Menſe Aprili ad Pharum cum exercitu pervenerit: & poſt celebratas ferias ad obſidendam Capuam diſceſſerit. *2do.* Clarum eſt Rogerii Legatos, poſtquam Sponſam ad Hungariam detuliſſent, ejusque nuptiis interfuiſſent, reduces Rogerium Domi, hoc eſt, in Sicilia conveniſſe: quod utique, ut parciſſime dicam, ante finem Menſis Junii fieri non poterat; nam ſub exitum Menſis Maji in manus Colomanni venit Sponſa, tum ſolennia nuptiarum, quibus Legati Rogerii intererant, celebrata ſunt, atque ita inclinante ad finem Junio domum pervenerint: ergo iſto eodem tempore Rogerius Capuam oppugnare non potuit; niſi quis ſibi perſuadeat, illum in duobus ad invicem diſſitis locis ſimul fuiſſe. Unde ſuapte conſit, Sponſam Colomanni non eodem anno, quo Capua obſeſſa fuit, cæteraque ad bellum pertinentia fiebant, ex Sicilia abiviſſe. Quia nihilominus Gaufredus Malaterra Capite XXV. ea, quæ Sponſam attinent, poſteriore vero Capite XXVI. ea, quæ illos Belli apparatus concernunt, pertractans, utrobique res geſtas ad annum MXCVII. diſertis verbis affigit; certiſſimum evadit, hanc duplicem ejus narrationem in duos diverſos annos rejici oportere, alias ſibi ipſi manifeſte contradiceret: adeoque in ejus Chronotaxim undecunque demum errorem irrepſiſſe pariter certum eſt. Igitur, quia Malaterra Capuanam obſidionem ad annum MXCVII. collocat, eamque poſt deſcriptionem abitus, & nuptiarum filiæ Rogerii Comitis pertractat; rurſus prudenter dubitari nequit, filiam Rogerii Sponſam Colomanni ante bellum Capuanum de-

ſerta

ſerta Sicilia ad Hungaros tranſiiſſe, hoc eſt, anno MXCVI. atque adeo in hujus narratione annum non recte conſignatum eſſe. Quod extra controverſiam ponunt, teſtimonia Italicorum Scriptorum Capuanam obſidionem ad annum MXCVII. collocantium. (a) Proinde, ut infauſto plane eventu ad Malaterræ fidem confugit Adverſarius, ita omnino perperam ſcripſit: *Colomannum cum Rogerii Siciliæ Comitis Filia anno MXCVII. poſt Menſem Majum nuptias primum celebraſſe, Malaterra Scriptor coaevus dubitare nos non ſinit. Naſci ergo ante annum MXCVIII. Colomanno nulla proles potuit.* Sic ille ſolæciſſat.

Patet ad hæc ex narratione Malaterræ, ſi ea cum teſtimonio Annæ Comnenæ recte contendatur, potuiſſe ex Sicula uxore Colomanno Regi filiam Irenen Anni MCVII. principio, quod paulo ante ſtatueram, naſci. Nam ſi calculum ab Anni MXCVI. Menſe Majo, quo ſponſa adducta fuit, ineamus, clarum evadit, illam ſecundum naturæ leges Menſe Februario Anni MCVII. parere potuiſſe. Jam vero, ſi ab hoc tempore ad Anni MCX. Menſem Julium, quo Cometa apparuit, rurſus annos ſupputemus, geſtique uteri rationem habeamus; iterum luculente apparet, Irenem filia, ex Sicula uxore Colomanni, Anni MCX. Menſe Julio annum ætatis XIV. egiſſe: hoc eſt, numeraſſe tum vitæ annos XIII. Menſes V. cum Joanni Comneno prolem, quod Anna Comnena ſcribit, peperit. Quam ætatem & ad contrahendum Matrimonium, & ad generandum ſufficientiſſimam eſſe (b) illi norunt maxime, quibus vi muneris, quo funguntur, Leges Eccleſiaſticas tractare, noſſeque, ac ſecundum earum dictamen judicare, atque decidere incumbit:

(a) Anonymus Caſſinenſis in Chron. ſic ſcribit: *MXCVII. Dux Rogerius cum Comite Rogerio Capuam per XL. dies obſidentes receperunt.* Vid. Murat. Script. Rer. Ital.

(b) Leges Eccleſiaſticæ declarant, Matrimonium validum eſſe, quod contrahitur a Fœmina completo duodecimo ætatis anno, a Maſculo vero completo decimo quarto ætatis anno: qui anni de jure communi in utroque ſexu anni pubertatis habentur, ante quod tempus etſi contrahatur Matrimonium, nullum eſt: non deſunt tamen cauſæ, ob quas cum illis, qui proximi ſunt pubertati, Epiſcopi diſpenſare poſſint. Vid. C. *ubi non eſt* II. & C. de *illis IX.* de *Deſpouſ. Impuber.* Hæc, cauſa Adverſarii, ejusque fidiſſimi Socii Cornideſii, pariter extra orbitam ſaltantis, adducere libuit.

bit: alii vero, qui his ſacris initiati haud ſunt, tuto obſtetricum Synedrion cogant, & quod ignorant, ab Anubus intelligant: ſeu etiam Alcmenam, uxorem Amphytrionis Thebani, in proſcenium adducant, atque conſulant.

Manifeſtum igitur eſt, Irenen, filiam Colomanni, uxorem Joannis Comneni, nec ſeptennem nuptum locatam fuiſſe, nec octennem umbratiles illos, atque commentitios gemellos peperiſſe. Quod, ſi Hypercriticus Noſter ſolidis rationum momentis demonſtraſſet, & non ſolum frivolo, nec ſatis ſincero verborum apparatu nobis obtruſiſſet, ſane non eſſemus adeo obſtinati, ut illa noſtra non retractaremus. Id, quia non fecit, nec unquam facturum certiſſimo perſpicio; æſtimet ille ipſe, an non ſit præcox triumphi, quem ſibi hoc loco pleniſſimis ſpebus deſignavit, Paranymphus? æſtimet, an non legentibus palpum obtrudat, dum priorem ſolum Cometæ apparitionem ex Anna Comnena propinat; de poſteriore, quam nullo negotio reſciſcere poterat, altum non ſine fraude tacet? æſtimet, an non omnino levi, & in trivio nato joco in me ludat? dum (a) ſcribit: *Exiſtimo Cometam hunc nihil aliud portendiſſe, quam Colomanni Regis Hungariæ filiam, puellam nondum octennem gemellos parituram*: æſtimet, an non Titivillitium, vanum, fucatum, ac ad Celei ſupellectilem retrudendum ſit, quod, poſtquam Annam Comnenam tam atris coloribus depinxit, fideque omni exuit, ubi illi vel umbram favoris oſtendit, ſolius authoritati mordicus innitatur? hoc vere eſt modo palliatum, modo togatum eſſe: hoc eſt, nubem pro Junone captare, & nec hanc, nec illam capere: æſtimet, an non ab omni urbanitate, etiam humanitate recedat, an non ferveat, quaſi pullus pabuli copia, quando adverſum me Irenen filiam Colomanno tribuentem, hæc talia (b) chartæ illinere audet: Pyriſca *non alius, quam S. Ladislai filia fuit, quod ex hactenus a me allatis rationum momentis puto neminem, niſi frontem projiciat - - negaturum?* hoc equidem nimium robuſtum eſt: negant id alii una mecum; & frontem retinemus, quam

(a) Diatr. pag. 148. in Not.
(b) Diatr. pag. 149.

quam nobis infirma idmodi, & ne crepitu quidem digiti digna momenta nec deterent, nec addent: æstimet denique, quam non perite, non enim dicere volo insulse, me moneat, (a) ut illis meis lituram inducam, *ne posteri monstrosum partum filiæ Colomanni Regis unquam resciant.* Utique monstrosa sunt hæc dicteria, nauci, & nihili, ne & cassa quidem nuce digna: sunt apinæ, tricæque, & si quid vilius istis: nobis autem vitrum tanti non est, quanti margaritum.

Itaque usque dum solidis, & irrefragabilibus rationum momentis contrarium evincatur, verum manet, quod in Dissertatione mea scripsi, videlicet, Filiam Colomanni Regis Joanni Græcorum Regi nuptum collocatam fuisse: adeoque quidquid pro asserenda Irene S. Ladislao Regi fervidius, quam rectius adfertur, vanum, fucatumque est, ac historicam veritatem, quam etiam inter criticas observationes illæsam, intemeratamque persistere convenit, obfuscare nititur. (b) Manet certum,

(a) Diatr. pag. 152. in Not.

(b) Ut semper Graculus assidet graculo, ita D. Cornides postquam eadem cum Cl. Pray ostentasset, in doctissimum Petrum Possinum deflectit, & insigni hallucinatione invehitur. Memineram ego pacificationis Alexium inter & Boamundum Anno MCVIII. initæ, cui etiam Legati a Colomanno missi intererant. Cornidesius ut græcam linguam se callere persuadeat, prorsus improspero eventu pag. 63. scribit in versione notæ temporis, quo pax confecta est, Possini errorem cubare manifestum. *Numerus enim Græcorum more scriptus ,ςχιξ, est 6617. cum e contrario numerus 6517. quem habet versio latina, his literarum elementis græcis fuisset signandus ,ςφιξ.* Hæc sunt illius verba, sed quæ produnt non optimam illum græcæ linguæ, quam ostentat, cognitionem habere. Nam Græci & numeros minores, & Chiliadas iisdem literis scribunt quidem, cum hac tamen diversitate, quod illos notent acuto accentu in superiori parte lateris dextri, Chiliadas vero in lateris sinistri inferiori parte. Sic de sola Nota 6517. indicante loquendo, ita Cornidesio exprimenda erat ,ςφ′ι′ζ′, nam Anni 6000. signantur litera ,ς cum accentu inferius in sinistro latere apposito: anni, 500 litera φ′ cum accentu superiori a dextra parte: anni 10. litera ι′ &, anni 7. litera ζ′ utrobique cum superiori dextro accentu: qui si literæ φ in parte inferiori adjiciatur, significat numerum 50000, adjectus similiter literæ ,ι efficit 10000. & literæ ,ζ 7000: hos autem accentus distinguentes Chiliades a reliquis numeris, excepta prima litera adponere neglexit D. Cornides. Cæterum, quia non desunt, qui non nisi primam, & ultimam literam, ut vulgus solet, signent, ideo tolerabilis error foret, si modo Cornidesius Correctoris munus sibi perperam non usurpasset. Et profecto a Petri Possini, græcæ linguæ peritissimi Correctore, jure plus exspectamus, quam ut indocti vulgi semitam terat, Viri enim Eruditi, omnes literas numeros indicantes, suis signant accentibus. Illud nihil-

omi-

& irrefragabile, falsissimum esse, quod si Irene filia fuit Colomanni, annos octo nata Mater fuerit gemellorum. Hoc solenne Critonis nostri acumen, quo longius a vero, hoc magis Alaternis conferimus, & παραξενον jure nominamus. (a)

§. XV.

---

ominus omnino spissum est, quod D. Cornides annum 6617 hac nota ,ςχιξ, & annum 6517 ista ,ςφιξ exprimi debere scribat. Tota sane hic errat via; quorsum enim, quæso, ultima utrobique litera ξ, quæ græco xi, latino x. respondet, pertinet? Hæc primum cum accentu superiori lateris dextri incipit denotare numerum 60. nunquam vero indicat numerum 7. ad quem indicandum novus Grammaticus, & Censor Græcus Cornidesius illam invita Minerva per fas, atque nefas repetitis vicibus cogit. Correctori Eruditorum Virorum amplior linguæ græcæ cognitio necessaria, sed & major cautela, atque attentio adhibenda erat. Sciat itaque numerum 7. hac litera ζ, quæ Græcis Zitha, Latinis Zeta est, designari: adeoque annum 6517. ,ςφιζ annum, 6617. ,ςχιζ rescribendum esse.

(a) Non possum hoc loco committere, quo minus D. Cornidesium illis Terentii Andr. Act. III. Sc. II. verbis compellem?

O Dave itane contemnor abs te? aut itane tandem idoneus tibi videor, quem tam aperte fallere incipias dolis? Primum enim pag. 70. *Adversarium* me vocat suum: ast quomodo ego adversus esse poteram homini tum, cum Dissertationem meam edidi, mihi nec a persona, nec a scientia, nec a dignitate, nec a scriptis, nec a fama, nec a fumo noto? Deinde intemperantissime pariter & imperite, Pattæcione calumniosior, hæc de me notat: *quàm parum sibi ipsi constet in omnes se partes vertens, facile qui anteriora ejus verba cum posterioribus composuerit, perspiciet. Quippe - - scribit: Legitima est consequentia: Nupsit Pyrisca Soror Sophiæ, & Colomanni, Regi Græcorum, igitur hi tres unius Patris liberi erant. At Pater eorum non Ladislaus, verum frater Ladislai Geisa fuit.* Ex his infert ille, concedi a me, Pyriscam non modo Sophiæ, sed & Colomanni Sororem fuisse: igitur necesse est, ut Joanni Comneno Colomanni Sororem nupsisse admittam: igitur non filia, sed Soror Colomanni erat. Ehodum bone Vir, quid ais? Memineris, quod in ipso libri tui Titulo, *Philosophiæ Magistrum* te esse ostentes, modo vix amplius memor es normæ Philosophicæ: sed non est nempe cujuslibet Corinthum appellere. Philosophi sæpe ex *suppositione* rationes suas deducunt, sæpe dant, quin concedant. Id ego, nec aliud egi; & clarissime: quod nedum Philosophiæ Magister, quin vel modice attentus Grammaticus nullo negotio videre poterat. Præmisi, etsi Sophiæ Sororem Joanni Comneno nupram fuisse daremus, quod Cl. Pray vult, inde tamen non sequitur, filiam illam esse Ladislai; nam mala est consequentia: Nupsit Pyrisca Soror Sophiæ & Colomanni Comneno: ergo hi tres Ladislai liberi erant; bona enim hæc duntaxat esset consequentia: Nupsit Pyrisca Soror Sophiæ, & Colomanni Comneno, ergo hi tres unius Patris liberi sunt: at neque tunc evincitur illos liberos esse Ladislai; Geisæ enim erant. Non igitur concedo, quod Echino asperior Cornidesius ex non intellecta, aut certe mala fide detorta sententia mea calumniatur, sed solum ex *suppositione* Adversarii arguo. Proinde ad genus depravationum pertinet, dum ille alia mea, quæ assertive affirmo, cum iis, quæ ex alius suppositione, arguo, non Philosophorum, sed Sophistarum more captiose contendit. Tale est: ergo Joannis Comneni Uxor Colomanni Soror erat simul & filia, & cæteræ his pares gerræ. Nunquam negavi filiam Colomanni Comneno nupsisse: pag. vero 141. & alibi exerte affirmavi Pyriscam, Sophiam, Colomannum Geisæ liberos esse, Irenen autem

§. XV.

Asserta Colomanno Regi filia Irene, seu Sophia (a) quæ Joanni Comneno Græcorum Imperatori nupserat, suapte confit, quod quemadmodum Irene non erat Ladislao Patre genita, ita nec Colomannus, ejusque sorores, inter Ladislai proles locum habere possunt. Non enim aliud pro stabilienda sua conjectatione momentum attulerat Noster, quam Nummum Vitzaianum, de quo paulo post meminero: & quod Colomannum Scriptores quipiam Græci, & Latini fratrem Irenes Imperatricis dicant, Sophiam autem Colomanni sororem nominent. Quia vero in Dissertatione mea ad liquidum deduxi, Irenen non fuisse filiam S. Ladislai, utique consectaneum esse oportet, neque illos, qui a Scriptoribus fratres, & sorores Irenes vocantur, posse inter liberos S. Ladislai referri: quin potius sicut Irenen, ita & hos eadem de causa alteri Patri tribui debere, manifestum est. Unde redeo ad nostrum, spe quidem non integra, sed nonnulla tamen assensus, ac approbationis ejus: atque illa, quæ hic rursum oggerit, rursum explananda potius, quam refellenda, quod jam abunde feci, sumo, ut videlicet hoc pacto sciat, me & in se plane liberalem esse, & historicæ veritatis, quam semper, & ubivis in oculis fero, omnino studiosum: & utinam potis quoque sim tandem efficere, ut ille etiam non odio, & calumniis, sed amore veri, æquique certet: ita enim solum fieri potest, ut dubia, & obscura in luce ponantur. Certe, nemo sanus dixerit, limorum, lividorumque oculorum aspectus rectos, certosque esse; constat enim hujusmodi aspectus vitiligationibus majori lubentia immorari solere, quam decoris, eruditisque disceptationibus.

Sophia, quæ primum Ulrico Carentano, deinde Magno Saxoni nupserat, fuit Belæ I. filia, Geisæ, & Ladisl. Soror.

autem Comneno nuptam non fuisse ante Pyriscam dictam. Unde Cornidesii argutationes ad eum relegandæ sunt lusum, in quem Homerus Iliad. VI. canit:

— ὡς ὅτετις ψαμαθον παίςἄγχι θαλάσσις
ὅ στ' ἐπ ἐὶ ὖνπσίηςεὶ ἀθύρματα νηπιεηςὶν.
Ἄ ψἄυτις συνεχενεποςὶν και χερςὶν ἀθύρων.

(a) Tædet de nomine disputare, etsi enim arbitror, Irenem, Sophiam antea vocatam fuisse; nihil tamen moror, si quis illam Pyriscam nominare velit, dummodo cum illa Geisæ filia non confundat.

Duas ego Sophias illis temporibus Hungariæ Regum filias me noſſe ſcripſi, quarum altera Belæ I. altera Geiſæ I. erat: illa Geiſæ, & Ladislai, iſta Colomanni, ſorores fuere. Prior Lamberto Schaffnaburgenſi teſte, quam nobis ſub nomine Jojadæ proponit, Wilhelmo Weimarienſi Thuringiæ Marchioni primum deſponſa, deinde Odalrico Marchioni Carentinorum nupta fuit: hoc vero Anno MLXX. vita functo, Magno, ſeu Magnoni, Ordulphi Saxonis Ducis filio in manus convenerat. Adverſarius contra mavult rurſum hac in Scena pene uſque ad lumbifragium Heautontimorumenos Terentii eſſe, quam mihi adſtipulari, imo veterum teſtimoniis conſentire. Duas ille pariter Sophias ſtatuit, ſed alteram Belæ I. alteram Ladislai filias fuiſſe contendit. (a) Quam novellam opinionem, ut aliqua ſaltem ratione fucis illita ſuffulciat, per avia, & devia nullo fixo paſſu fertur. (b) Primum quidem Annaliſtæ Saxonis Scriptoris Synchroni teſtimonio evidentiori, quam ut illud ulla arte in ſua ſenſa, more, pertrahere, detorquereque poſſit, opponit Lambertum Schaffnaburgenſem pariter Synchronum: ſed omnino perperam. Utriusque horum teſtimonio uſus eram (c) ad comprobandum filiam Geiſae I. Regis primum Wilhelmo Wimmarienſi

---

(a) Diatr. pag. 153.

(b) Quod ad hæc, exerrat quoque Cl. Xiſtus Schier Vir cæteroquin de re literaria optime meritus, dum in Reginis Hungariæ primæ Stirpis hunc in modum ſcribit: *Itaque dicamus neceſſe eſt, Odalrico duas fuiſſe Conjuges, primam Jojadam hanc Belæ filiam, Geyſæ, & Ladislai ſororem, alteram Sophiam ejusdem Ladislai filiam.* Error iſte Cl. Martinum Roznák editorem hujus ipſius poſthumi Schieriani operis advertit, ideo pag. 84. num. XI. notam ſubjicit, qua innuit ab Schier attribui quidem Ladislao Regi plures proles; ſed quia ſolidioribus momentis evictum ſe eſſe ſentit, S. Regem ſine Hærede deceſiſſe; idcirco ea, quæ Author hanc in rem attulerat, ab ſe amputata, atque prætermiſſa eſſe. Et id quidem provide; nam ruente fundamento plane ineptum eſt, fulcris nullius roboris opus farcire velle. Abunde ſatisfecit Editoris muneri eo, quod Authoris ſenſa Lectoribus non obſcuris verbis indicarit. Proinde D. Cornides pag. 53. fruſtra oſtentat admirationem cum ſtomacho; niſi forte immodica ſua in Virum egregium licentia, illi ſtomachum & admirationem moveat. Certe Cl. Roznákum & hic, & alibi adeo atrociter lacerare non verecundatur, ut verius Satyram, quam Hungariæ Regum Genealogiam ſcribere voluiſſe cenſeri debeat. Utinam ille ipſe opellæ ſuæ gravem hujusmodi Editorem quæſiviſſet, & re vera reſectis iis, quæ noxia ſunt, aut inania, vix trium quatuorve plagularum Libellus protrudi potuiſſet: & nihilominus a legentibus meliorem approbationem retuliſſet. Nam *indoctum, doctumque fugat recitator acerbus.* Hor. de Art. Poet.

(c) Diſſer. meæ pag. 135.

enſi deſponſatam: deinde vero Udalrico Carentano nuptam fuiſſe. Hanc Schaffnaburgenſis Jojadam nominat, Annaliſta Saxo autem Schaffnaburgenſem illuſtrans, Sophiam exerte ſcribit: & iſte quidem ſororem Geyſæ, ille vero ſororem Ladislai vocat: ſed uterque unam, eandemque Principem Hungaram ſine dubio intelligunt: atque adeo, quemadmodum Geyſa, & Ladislaus fratres erant, ita utriusque ſoror Jojada, ſeu Sophia eodem Patre Bela I. geniti ſunt.

Ridiculum Adverſarii argumentum.

Hæc quantumvis certiſſima eſſe liqueat, Hypercriticus attamen noſter, ne ſine pugna ſuccubuiſſe videatur, aërem quaſſat, & conquiſitis cum pulviſculo undecunque rationibus pro aſſerenda Ladislao Regi Sophia filia dimicat. Agnoſcit, Jojadam Belæ I. filiam, quæ Wilhelmo Wimmarienſi Thuringiæ Marchioni primum deſponſata fuit, Udalrico Marchioni Carinthiæ in manus conveniſſe, ut habet Lambertus Schaffnaburgenſis. Agnoſcit item hanc eandem Jojadam ab Annaliſta Saxone Sophiam nominari; aſt una ſcribit, Saxonem id *erronee* referre. Cur, quæſo erronee? Arrigat, oro, Lector aures: ideo inquit, (a) quia Schaffnaburgenſis *eam diſerte Jojadam nominat, non profecto prætermiſſurus, Sophiam quoque dici, ſi hæc cum illa fuiſſet eadem. Unde enim id Annaliſta Saxo melius præ Schaffnaburgenſi ſcire potuit?* Hui! & hæc ſint hiſtorica χειτηρια? imo hoc eſt probatiſſimos Scriptores pro libidine ſusque deque habere. Errat Saxo, quia Sophiam nominat, quam Lambertus Jojadam ſcripſerat! Hæ vere ſunt naufragorum tabulæ. Si id licet, cur non poſſim dicere: Errat Lambertus, quia Jojadam nominat, quam Saxo Sophiam ſcripſerat, uterque enim & gravis, & æquævus Scriptor eſt: Et unde id Lambertus melius præ Saxone ſcire potuit? Mirum! ni noſter Criticus Schaffnaburgenſem de rebus Utopiæ ſcripſiſſe ſibi perſuadeat: Nam eodem plane loco Belam, Belem, & Geiſam, Joam nominat: ſi autem, ut Noſtri nova Logica vult, Lambertus non erat profecto prætermiſſurus ſcribere Jojadam, Sophiam quoque dici, ſi hæc cum illa fuiſſet eadem; idcirco, quia prætermiſit inſinuare

Be-

(a) Diatr. pag. 154.

Belem etiam Belam, & Joam, Geyſam quoque dici, ſi quæ vis argumento noſtri ineſt, profecto Bela non fuit cum Bele idem, nec Geyſa cum Joa, adeoque non de Bela, & Geyſa erat loquutus Lambertus: quod quemadmodum aperto cachinno digniſſimum eſt, ita inter res monſtroſas Utopiæ merito ſuo retrudendum. Imo ex his Lamberti Schaffnaburgenſis verbis arguamus oportet, ab Saxone Annaliſta hunc Lamberti locum illuſtratum eſſe, utpote qui ſicut Geiſam, Joam, ita Sororem ejus Sophiam, Jojadam corruptis vocabulis nominat; Saxo contra utriusque verum nomen ad nos transmiſit. Hinc illud quoque liquet, quam inanem cauſam ſuæ miſerabili opinationi noſter prætexat, cum ait: *Unde enim id Annaliſta Saxo melius præ Schaffnaburgenſi ſcire potuit?* Ita ſane: & unde Annaliſta Saxo melius præ Scaffnaburgenſi ſcivit nominare, alterum Sophiæ fratrem, quem vero nomine Ladislaum dixit, cum Lambertus alterum ejus fratrem Geyſam, depravata voce Joam nominet? profecto, idmodi jejunæ quæſtiunculæ ne quidem pro faciendo fuco quidpiam valent. Certum igitur eſt, & Lambertum, & Saxonem de una, eademque Principe fœmina loqui, quam ille Joæ, ſeu Geyſæ hic Ladislai ſororem eſſe affirmat: adeoque certum eſt etiam Lamberti Jojadam, quæ Saxoni rectius Sophia dicitur, Geyſæ, & Ladislai Fratrum Sororem, Wilhelmi Thuringi ſponſam, Odalrici Carentani uxorem fuiſſe.

Alterum ſimile.

Crito noſter utriusque coævi Authoris evidenti teſtimonio preſſus, cothurno verſatilior fit, in omnem ſe partem gyrat, ut elabi poſſit, ſed incaſſum: nec ſi Protheus ſit, elabetur. Videamus tamen lepidam ejus metamorphoſim. Utriusque, Saxonis videlicet & Lamberti teſtimonium conciliandum *(a)* ſibi ſumit, aſt plane infeliciſſimo eventu. *Veriſimillimum eſt*, ita ſcribit *(b) Udalrico Carentano duas fuiſſe Conjuges, primam Jojadam Belæ I. filiam, & hac defuncta alteram, nomine Sophiam La-*

(a) Jactet hic per me licet, Noſter, quod Scriptores, ſi conciliari poſſint, non libenter ſoleat rejicere. At, dum talia jactat, Annaliſtam Saxonem, Scriptorem Synchronum de plano rejicit; ſcribit enim Saxonem *erronee* Sophiam nominare: item Sophiam Ladislai Sororem Udalrico minime nuptam fuiſſe. Si hoc non eſt Scriptorem rejicere, quid tandem erit?

(b) Diarr. pag, 154.

Ladislai filiam. Et post pauca: (a) *Re autem vera*, inquit, *Sophiam Ladislai Sororem Ulrico Carentano minime nuptam, ac proinde a Jojada Schaffnaburgensis prorsus distinctam fuisse.* Fateor, nunquam ego in animum meum induxissem, ut crederem, Cl. nostrum Authorem ex tam severi supercilii Critico repente Orbilium fieri posse. Si hunc audimus, necesse est, Udalricum Carentanum, sororem Ladislai, uxorem duxisse, & non duxisse. Affirmat ille, Belae I. filiam huic Udalrico nupsisse, & negat sororem Ladislai eidem Udalrico nupsisse; atqui Ladislaus Belæ I. filius fuit: igitur si filia Belæ I. Udalrico nupsit, nupsit utique Ladislai soror eodem Patre genita: & quia, Judice nostro, Ladislai soror etiam non nupsit Udalrico, iste sororem Ladislai, uxorem duxit, & non duxit. Quo quid possit esse absurdius? Nec manifestam hanc contradictionem tollit, quod ajat: *Sophiam Ladislai sororem Udalrico haud nupsisse, sed Jojadam.* Certum enim, & irrefragabile est, unam eandemque Principem fœminam fuisse, quam Schaffnaburgensis Jojadam, Annalista Saxo Sophiam nominat. Horum uterque, de eorum enim testimoniis hoc loco dissensio nobis est, narrationem suam ad annos MLXI. & MLXII. affigit: uterque pariter scribit, hanc Hungaricam Principem primum quidem Wilhelmo Thuringiæ Marchioni desponsatam, deinde Udalrico Marchioni Carinthiæ nuptam fuisse: uterque affirmat, hanc eandem Principem, defuncto Udalrico, Magno Ordulphi Saxoniæ Ducis filio in manus convenisse. Uterque testatur hanc ipsam Principem filiam fuisse Belæ I. Regis. Schaffnaburgensis quidem exsertis verbis, & dum eam Joæ, seu Geysæ sororem vocat, Saxo vero, dum illam sororem Ladislai, qui frater erat Geysæ, nominat, qui duo Principes ejusdem Patris Belæ filii erant: Uterque plane iisdem verbis sic scribit: *Wilhelmus Marchio reversus in Thuringiam, dum redire in Hungariam, & sponsam suam cum magna opum ostentatione adducere pararet, inter eundum secunda mansione morbo correptus, obiit. Sponsam ejus Udalricus Marchio Carentinorum cognatus ejus accepit.* (b) Unde nec dubito, Saxonem hæc sua a Schaffnaburgen-

 gen-

(a) Diatr. pag. 155.
(a) Lamber. Schaffn. ap. Pistor. Tom. I. Annal. Saxo ap. Eccard. Tom. I. Scrip. med. ævi, uterque ad an. MLXII: Ad hæc Annal. Saxo ad an. MLXX. sic scri-

genſi mutuatum eſſe. Quæ cum ita ſint, neminem jam opinor tam hebetem futurum, ut non intelligat, quam parum argutiis Adverſarii roboris inſit, atque nervorum, hoc eſt: ſicut nemo ſobrius dubitare poteſt, & Schaffnaburgenſem, & Saxonem de una eademque Hungarica Principe, eaque filia Belæ I. Regis, ſorore Geyſæ, & Ladislai eo loco ſcribere, ita nemo ſanus negaverit, Schaffnaburgenſis Jojadam, & Saxonis Sophiam Udalrico nupſiſſe. Nupſit igitur Jojada, quae eadem eſt cum Sophia, Udalrico Carentano, & quia Noſter contendit, Sophiam ſororem Ladislai Udalrico non nupſiſſe; jam patet, quid de egregia hac ſcilicet Criſi ſentiendum ſit? Sane, nec concha digna eſt.

Illud autem prorſus inficetum, ne dicam abſonum eſt, quando Pantocriticus noſter Schaffnaburgenſem cum Saxone conciliare ſe velle promittens, audaciſſime, quod hactenus nemo unus auſus erat, pronuntiat, Udalrico Carentano duas fuiſſe conjuges, primam Jojadam, Belæ I. filiam, alteram Sophiam Ladislai filiam. Quod ſi ego ab Adverſario quærerem: quo fonte hanc novellam opinatiunculam hauſerit? quam hæreret aqua. Itaque Udalricus & ſororem, & filiam Ladislai uxorem duxit? erant enim Ladislaus pariter & Jojada Belæ I. proles. Quis hoc ſibi perſuaſerit? ego ſane non poſſum adduci, ut credam S. Ladislaum id permiſſurum fuiſſe, donec Adverſarius perſpicue doceat, gravem neceſſitatem, aut publicam utilitatem id faciendi interveniſſe; ex his etenim ſolum cauſis in Conſanguinitate, & Affinitate tam vicina Eccleſia Romana ſuas ſolet elargiri Diſpenſationes. Et revera, ſi id factum fuiſſet, memorabile in rebus Hungaricis futurum erat, atque ideo tanto certius ab domeſticis Scriptoribus conſignandum. Quis autem illorum ſeu de idmodi connubio, ſive de Romana Diſpenſatione ſomniavit? nemo profecto, altum apud omnes ſilentium. Imo ne ſolo Domeſticorum teſtimonio inniti videar, Rerum Germanicarum Synchronos, & Suppares, quos ſane fere omnes

ſcribit: *Odalricus Marchio Carentinorum obiit, cujus viduam Sophiam Sororem Ladislai Regis Hungariæ Magnus Ordulphi Saxonici Ducis filius accepit Uxorem* Idem reperit ad annum MCVI. ubivis Sophiam Udalrici Uxorem, Sororem Ladislai affirmans.

omnes possideo, & quam plurimos recentiores etiam non ignave evolvi: ast ne vestigium quidem duarum Jojadæ, & Sophiæ Udalrici conjugum uspiam est reperire. Quocirca, nescio, qua id confidentia Anticriticus noster commemorare audeat? cujus ταῦτ' ἐστὶ τἄπη μωρίας πολλῆς πλέα, ut habet Sophocles.

Hæc etsi tam certa sint, ut a nemine; nisi cui leviter ludendi sit animus, in dubium revocari possint; Noster attamen adhucdum suis imaginationibus indulget, & ex ipso Annalista Saxone *facile* se conficere posse existimat, hunc ipsum coævum Auctorem exerrasse, dum nempe Sophiam Udalrici uxorem, sororem Ladislai scripsit. Hujus ergo narratione relata, isthæc ille subinfert: (a) *Si Annalista Saxo in eo erravit, quod Odalrico Carentinorum Marchioni ex Principe Hungara unicum filium tribuit, hoc enim per juniorem Odalricum manifeste indicat - - tanto magis censendus est errasse in Sophia Ladislao sorore tribuenda.* Miser Annalista Saxo! quam de nihilo vapulat. Erravit ergo Saxo, quia eo loco unum tantum e tribus Odalrici senioris filiis nominat? Et quia hic erravit, erravit etiam, imo magis erravit, cum Sophiam Ladislai sororem fuisse affirmat. Quis unquam alius talia? Erravit Saxo, quia tres Odalrici filios non nominavit, ergo etiam erravit, quia Sophiam Ladislai fuisse sororem dixit. Hæc equidem consequutio ne hilum valet: aut si quidpiam valere illam contendamus, periit certo omnis Historiarum veritas, eversa jacet Scriptorum auctoritas, & fides collapsa est. Quis enim nescit, vix, ac ne vix quidem reperiri Scriptorem, qui alicubi non exerrasset: justa ne erit ob id argumentatio: Erravit iste Scriptor hoc loco, ergo erravit & alio loco, ergo & omni loco. Id sane, ne Mercurio quidem crederem. Sic nempe *facile* conficiet noster ex ipso Saxone, Saxonem errasse.

Cæterum illud quoque Saxoni falso appingitur, quod erraverit ideo, quod unum solum filium Odalrici nominaverit. Quæro enim, an ille eo loco Carentanorum Marchionum Genealogicum laterculum texuerit? nihilminus: quomodo ergo

(a) Diatr. pag. 155.

errare cenſendus eſt, quod duntaxat Udalrici junioris memineri t? erratne, qui ea ſolum, cæteris prætermiſſis, quæ ad argumenti ſui rationes pertinent, refert? Male cedet res Hiſtoriarum Scriptoribus, ſi talia inter errores reponantur. Ac proinde frivolum eſt etiam, eo, quod Annaliſta Saxo ſolum Udalricum memoret, ſuſpicari: hunc ex duabus Udalrici ſenioris uxoribus Jojada, & Sophia conflaſſe unam, ut noſter argutatur (a) alias enim etiam Lambertum Schaffnaburgenſem erraſſe dicendum erit, quia ſolius Jojadæ, & nuſpiam alterius Udalrici confictæ uxoris Sophiæ meminit. Magis vero frivolum eſt, nemine præeunte, quod rurſum novus Cato noſter facit, Popponem ex Jojada, Udalricum autem, & Veringardum ex Sophia ab Udalrico ſeniore ſuſceptos fuiſſe. (b) Priusquam id Dictatorie pronuntiaſſet, demonſtrare oportebat Jojadam Schaffnaburgenſis, & Sophiam Saxonis diverſas eſſe: tum: primum quidem Jojadam, deinde Sophiam ab Udalrico ductas fuiſſe uxores. Id ſi Adverſarius præſtitiſſet, aliquid operæ laturus erat: aſt quia id nec fecit, nec facere poteſt, certiſſimum evadit, illum omni ſua ſubtili, ſi Superis placet, argumentatione, nihil aliud agere, quam Littus arare, & Saxonem Authorem Synchonum, & gravem, quoniam ejus ſententiam con-

---

(a) Diatr. pag. 161.

(b) Non advertit Adverſarius, quod dum hæc ſcribit, murum ſuum aheneum ſubruat, hoc eſt, fidem Monachi Veingartenſis, cui omnibus nervis innititur, evertit, is enim exerte ſcribit: *Erat eadem Sophia antea cuidam de Carinthia copulata, ex quo genuit Popponem Marchionem.* Hæc ex Theſauro Monumentorum Eccleſiaſticorum, & Hiſtoricorum, ſive Henrici Caniſii antiquis Lectionibus cum animadverſionibus Criticis Jacobi Basnage Antverpiæ apud Rudolphum & Gerhardum Veſtenios MDCCXXV. editis, Tom. III. Par. II. pag. 583. §. X. ſumſi, & data opera refero, ut D. Cornides videat, quam futili, & Viro gravi indigna criſi me laceſſat, dum pag. 49. nimia verboſitate ſcribit, antiquas Caniſii Lectiones mihi ignoratas eſſe. Iſtæ quoque Bibliothecam meam ornant, etſi Cornideſius vacuam eſſe cupiat. Jam vero, ſi Sophia genuit Popponem, manifeſtum eſt, *Imo* Hanc eandem eſſe cum Jojada Schaffnaburgenſis, quam Noſter non uno loco hujus Popponis Matrem agnoſcit. *IIdo* Hanc Sophiam cum Jojada unam eandemque Principem eſſe. *IIItio.* Hanc Sophiam ſeu Jojadam Belæ I. filiam, adeoque Ladislai Sororem eſſe. *IVto.* Falſiſſimum eſſe, Udalrico ſeniori duas Hungaricas Principes nupſiſſe. *Vto* Inane commentum eſſe, Ladislai filiam Udalrico nuptum locatam fuiſſe. *Vito* Nullam fidem mereri, Udalricum ex prima Uxore Popponem, ex altera Udalricum juniorem, & Verigandum ſuſcepiſſe. Hæc ex teſtimonio Veingartenſis non dubia lege deducuntur.

convellit, indigne habere, ac de nihilo calumniis onerare: quantum sane ego mihi nunquam permitterem, nec ullus alius, nisi qui nunquam errasse videre velit. (a)

Aberrationes Adversarii circa uxorem Udalrici Carentani.

Cæterum: ostendendum jam est, quam noster Corrector in hujus rei cognitione plane titubet, turpiterque labatur, & imprudens.

(a) Sicubi, hic certe D. Cornides extra oleas vagatur, Annalistam Saxonem immodice lacessit, & hallucinari non satis perite declamat. Videtur illi Saxo sui immemor effectus eo, quod Udalricum I. nunc Marchionem Carentinorum, nunc Popponis Thuringiæ Marchionis filium compellet: e quo Cornides subinfert: *Insigniter confudit Annalista Saxo Udalricum Marchionem Carinthiæ, cum Udalrico Marchione Thuringiæ.* Hei mihi (cum Terentio loquar) cur non habeo spatium, ut de illo sumam supplicium uti volo? Et hic ille est, de quo Cl. Pray in Præfat. ad Diatr. ita canit: *Cl. Daniel Cornides Vir in Patria Historia omnium, quos norim, maxime versatus.* Ast hic talis, ac tantus, vere insigniter hallucinatur, & oscitat. Adeat Schema a Frölichio confectum, quod nobis etiam Cl. Pray, sed adulteratum, ut postea videro, proponit, & comperiet, nimis quam profundum sibi somnum obrepsisse, dum Annalistam Saxonem tam illiberaliter, nec peritissime perstringit. Saxo exerte scribit: *Wilhelmi, & Ottonis Marchionum frater fuit Popo, qui habuit filium Odalricum, qui Sororem Ladislai Regis Hungariæ Sophiam duxit Uxorem.* Scribit: *Wilhelmus Marchio - - obiit. Sponsam ejus Sophiam Odalricus Marchio Carentinorum, cognatus ejus, accepit: Marcham vero frater ejus Otto de Orlagemunde obtinuit.* Igitur affirmat Saxo Wilhelmum, Ottonem, & Popponem fratres fuisse: affirmat Popponis filium Odalricum Sophiam Uxorem duxisse: affirmat Odalricum Thuringiæ Marchionis Poponis filium Marchionem Carinthiæ fuisse: Ain' vero, hallucinari, suique immemorem esse Saxonem? Ast Odalricus re vera filius erat Poponis Thuringiæ Marchionis, erat item Marchio Carentinorum. Vilhelmus Comes Vimmarienſis ex Oda suscepit tres Liberos, Vilhelmum Marchionem Thuringiæ, Ottonem de Orlamunde, & Popponem Comitem de Vimmar. Hi tres fratres titulum Marchionum Thuringiæ retinebant, Marchiæ usum fructum solus natu senior: hinc mortuo Vilhelmo, Otto frater ejus Marchiam Thuringicam a Moguntino Archi-Episcopo obtinuit, sed non aliter, *nisi promitteret Decimas se de suis in Thuringia possessionibus daturum, & cæteros Thuringos, ut idem facerent coacturum: quæ res multorum malorum Seminarium fuit.* Ita se ipsum egregie explicat Annalista Saxo ad an. MLXII. Poponis autem filius Odalricus Carinthiam obtinuit. Quid ergo peccavit Saxo, quod Odalricum Poponis filium, & Marchionem Carentanorum nominet? nihil sane, quia id verissimum est. Illud autem Saxoni pag. 52. falsissime D. Cornides appingit, quod is perhibeat *Sophiam Udalrico, non illi quidem Carentinorum Marchioni, sed Marchioni Thuringiæ filio Poponis nupsisse.* Firmiter velim, sibi persuadeant Lectores, id apud Saxonem nusquam reperiri, adeoque Commentum Cornidesii esse. Quin imo etsi jure potuerit Patrem Udalrici Poponem Marchionem Thuringiæ nominare, attamen ne id quidem fecit, sed solum Vilhelmi Marchionis Thuringiæ fratrem illum fuisse affirmat. Qua ergo fronte scripsit D. Cornides: *Insigniter confudit Annalista Saxo Udalricum Marchionem Carinthiæ, cum Udalrico Marchione Thuringiæ.* Insignis oscitantia! Et audet ex uno Udalrico duos effingere *Vir in Patria Historia omnium maxime versatus?* Et audet tam fallaciter, & inique in nomen, famamque Scriptorum grassari?

dens. Nihil certe cogitari potest absurdius, quam Udalrico seniori Carinthiæ Marchioni, Ladislai filiam, quomodo demum cunque illa vocetur, tribuere. Id ex ipsiusmet Hypercritici nostri testimonio perspicue demonstro, tanto libentius, quia bis interimitur, qui suis armis perit. Affirmat ille, Ladislao unicam duntaxat conjugem Adelhaidem fuisse. (a) Affirmat nuptias Ladislai cum Adelhaide in annum MLXXVII. incidere oportuisse. (b) Affirmat Sophiam Ladislai filiam, extincto ad annum MLXX. Udalrico Marito, nupsisse Magno Ordulphi Saxoniæ Ducis filio. (c) Affirmat Sophiam Ladislai Regis filiam, fuisse secundam Udalrici uxorem, ex qua duos filios Udalricum juniorem, & Verigandum suscepit. (d) Quod si ego hic ludicris, ne dicam impiis, & inverecundis jocis, qualibus noster, dum de Joannis Comneni uxore, filia Colomanni disputaret, in me plane histrionice luserat, vacare vellem, quam appositè ejus dicacitatem retorquere possem? quærerem enim: an Sophiam, illam Udalrici conjugem Sanctissimus Rex Ladislaus ex legitima uxore, an ex concubina suscepit? Si primum? omnia affirmata sua elidit Vertumnus pariter, & Orbilius noster. Si posterius? intemperantem sane summa improbitate facit Regem castissimum. Sed hujusmodi ineptis quæstiunculis ad Ganeonum tabernas relegatis, persequamur Critonem nostrum dictorum suorum penitus oblitum.

Itaque Udalricus I. sive senior, Marchio Carinthiæ, Maritus Sophiæ, Ladislai filiæ, anno MLXX. (e) obiit. Idem Udalricus ex hac Sophia duos liberos genuit: coaluit autem, ut ex Synchronis probatum est, inter eos matrimonium anno MLXII. etsi vero solum XIII. annos Sophiæ, cum Udalrico in manus convenerat, tribuam; manifestum est, illam ut minimum anno MXLIX. nasci debuisse. Igitur Ladislaus, ut parcissime loquar, Adelhaidem anno MXLVIII. duxit uxorem. Quam hæc omnia abso-

(a) Differ. suæ pag. 91.
(b) Differ. suæ pag. 88. & Diatr. pag. 105.
(c) Diatr. pag. 154.
(d) Differ. pag. 155.
(e) Udalricum anno MLXX. obiisse Scriptores Synchroni clare testantur.

abſona? Ladislaus unicam conjugem habuit, & hanc, ut noſter repetitim, & mordicus tuetur, primum anno MLXXVII. duxerat, & nihilominus ex hac legitima uxore Sophiam filiam anno MXLIX. genuit. Ain' vero, Sophiam nondum natam, jam maritam? Hui! quam præcox, imo quam præpoſtere licentioſus Paranymphus noſter Crito eſt! Veniam tamen illi darem, ſi abſurdas has nænias uno ſolum loco memoraſſet, & ſomnum illi obrepſiiſſe, quod etiam Viris Eruditiſſimis contingere novimus, exiſtimarem: ſed quia eadem pluribus paginis identidem oggerit; & præterea eo, quod ego Utopiæ hujusmodi fictitia monſtra admirari nolim, indignis in me calumniis incurrit; idcirco non poſſum inſignitam ejus oſcitantiam non accuſare. Mortuus anno MLXX. Udalricus ex uxore duos liberos ſuſcepit, atque Viduam, ac poſt brevi Magni Saxoniæ Ducis Conjugem futuram, poſt ſe reliquit: & hanc filiam Ladislai ex Adelhaide fuiſſe comminiſcitur Pantocriticus noſter. Ladislai? qui ipſomet noſtro & teſte, & acerrimo diſceptatore anno primum MLXXVII. Adelhaidem uxorem duxerat.

Sed quid? ſi forte filia ante matrem nata fuit. Nam ex iis, quæ hactenus pertractavi, plane certum eſt, a morte Wilhelmi Thuringi, qui anno MLXI. ſponſus Jojadæ effectus erat, eandem Jojadam ſequente anno MLXII. Udalrico Carentano reipſa in manus conveniſſe: certum quoque eſt, hanc Jojadam omnino eandem eſſe cum Sophia: igitur anno MLXII. Jojada numeravit vitæ annos XIII. aut XIV. Unde conſectaneum eſt Jojadam anno MLXXVII. fuiſſe annorum XXIX. Atqui Ladislaus primum hoc anno MLXXVII. ut vult noſter, Adelhaidem matrimonio ſibi illigavit. Proinde, etſi hæc ſolum coætanea Jojadæ fuiſſet, erat tum pariter annorum XXIX. Quis autem credat, Ladislaum Regem juvenem, & tum forte nec annos XXIX. natum, quive Hæredum gignendorum cauſa Conjugem ſibi deligere optabat, puellam XXIX. annorum, adeoque jam bene adultam uxorem ducturum fuiſſe? id ab ea ætate abhorrere videtur. Igitur, ſi prudenti conjecturæ locus eſt, exiſtimare oportet, Adelhaidem, cum anno MLXXVII. Ladislao nupſit, annis XXIX. minorem fuiſſe: aſt quia Jojada ſeu Sophia hoc tempore ætatis annos XXIX. vixerat, dilucide apparet

E quibus complura abſurda profluunt.

ret, illam Adelhaide ſeniorem fuiſſe; & quia hæc Sophiâ arbitrio Adverſarii (a) filia Ladislai, & Adelhaidis erat; eapropter filia ante matrem nata fuit. Id vero, ſiquidem ordini naturæ, & ipſi ſanæ menti repugnet, rurſum liquet, omnem Adverſarii narrationem ad fabellas, quæ ne apud Poëtas quidem probabiles ſint, retrudendam eſſe, & cachinno, atque ſibilis explodendam. (b)

Ad hæc, nemo ſane, niſi ægrotus ſit, ſibi perſuaſerit, Ladislaum ad effætam uſque ætatem vitam adduxiſſe. Is, ut Critoni noſtro placet, anno MXCVI. e vita migravit. Si ergo noſtrum audimus, libet enim mihi ejus confidentia pro argumento uti, Sophia filia Ladislai, uxor Udalrici anno MLXX. mortui, & duorum jam tum liberorum Genitrix, anno MLXII. ut alias docui, Udalrico nupſit: fuerit autem tum, minimum XIII. annorum: atque adeo anno MXLIX. Ladislao Patre genita; computandum venit etiam tempus, quod ab inito Ladislaum inter, & Adelhaidem matrimonio uſque ad nativitatem Sophiæ interceſſit, & ut Adverſarius liberalem me eſſe ſentiat, unicum duntaxat annum ſupputo; proinde nuptias celebravit Ladislaus anno MXLVIII. Demus jam Ladislao, dum uxorem duxit, ætatis annos XX. In lucem itaque edi debuit anno MXXVIII. & quoniam anno MXCVI. obiit.; clarum evadit, Ladislaum vitæ annos LXVIII. numeraſſe: & id quidem ſi ubivis minima duntaxat, uti feci, ſectari velimus: cum tamen his adhuc annis aliquot tutiſſimo addere poſſemus, niſi Adverſarium minimis configere eſſet animus. Jam vero, quis erit tam excors, ut credat Ladislaum LXVIII. aut etiam LXX. vitæ annos exegiſſe? Id profecto & continuæ ad nos uſque perductæ Traditioni, & vetuſtiſſimis picturis, aureisque monetis adverſatur: quæ omnia nobis Ladislaum non ut effætum ſenem, verum tanquam viribus valentem, & mediæ, ut ajunt, ætatis, hoc eſt, velut

(a) Diarr. pag. 154.

(b) Etſi concederem Sophiam ab Jojada diverſam eſſe, nihil tamen Adverſario momenti abinde accederet. Nam nunquam ſane inveniet tempus, quo Sophia Ladislai filia Udalrico Carentano nubere potuerit; iſte enim anno MLXX. obiit, ille primum ſeptennio poſt uxorem duxit.

velut L. aut quidpiam amplius annorum Virum proponunt. Et id nec aliter habet. Conſtat énim ex Polonis Scriptoribus, Cromero, Mathia de Michovia, caeteris, a Mieskone, ſeu Miecislao Polonorum Duce Pomeranos debellatos eſſe anno MXXXIII. quorum Ducem, Bela tum apud Polonos agens, ſingulari certamine congreſſus, peremit. Belae in præmium fortitudinis bellicæ Miesko filiam ſuam uxorem deſignavit, & anno MXXXIV. emortuali ſuo, tradidit. Joannes de Thurocz (a) ſic habet: Belæ *cum toto cenſu Pomeranico tradidit filiam ſuam in uxorem.* Bela ex filia Mieskonis, ut credere par eſt, neque enim ad nos pervenit, num aliquæ e primis ejus prolibus, ſi quas habuit, in tenera ætate non obierint, Geiſam, fratrem Ladislai natu majorem genuit: tum rurſum non eſt expeditum an inter Geiſam & Ladislaum aliquæ proles non ſint natæ? Sed demus nullas natas fuiſſe, Ladislaum certe poſt Geiſam genuit. Hæc ſi rite librentur, clariſſimum eſt, aliquot annos a tempore, quo Bela connubium inivit, ad Ladislai nativitatem effluxiſſe. Ac proinde iterum clariſſimum eſt, Ladislaum non potuiſſe anno MXXVIII. naſci, neque Sophiam, illam ex cerebro effictam, gignere, utpote cum Pater Ladislai Bela non ante annum MXXXIV. uxorem duxerit, adeoque Ladislaum Geiſæ fratrem juniorem ante annum MXXXVI. ſuſcipere non potuit. Sic noſter ſuo ipſius laqueo capitur. (b)

Sed etiam ipſa vitæ adjuncta nobis oppido ſuadent, Ladislaum ad effætam uſque ætatem non perveniſſe. Scitum eſt, Sanctum Regem in Concilio Claromontano Sacræ Expeditionis Ducem electum fuiſſe: & ob id, quoniam armorum fama late cognitus erat, ab Gallis, & Anglis miſſi Legati, eum anno MXCV. convenere. (c) Nemo autem ambigit, longinquam hujuſmodi, & in Aſiæ uſque viſcera protenſam expeditionem Bellicam, & vires ſolidas, & ætatem vegetam requirere; qualis profecto Septuagenarii Ducis non eſt, cui etſi cæteroquin ad breves,

(a) Joan de Thurocz. Chron. Hung. Cap XXVIII.
(b) Nolim exiſtimet Lector a me S. Ladislai nativitatem præciſe ad annum MXXXVI. defigi, tardius eſſe natum arbitror: hic ſolum Adverſario velliſicor.
(c) Joan. de Thurocz. Chron. Hung. Cap. LIX.

nec diuturnas bellicas expeditiones valetudo firma, vireſque ſuppetere videantur: ad longas tamen, impeditas, & perdifficiles, quæque nonniſi multorum annorum ſerie perfici poſſunt, qualis fuit Hieroſolymitana, non ſufficere, omnis cordatus fateatur, neceſſe eſt. Unde citra ambages confit: Ladislaum nec fuiſſe, nec eſſe potuiſſe Patrem Sophiæ illius Udalrico nuptæ; niſi ordinem naturæ pervertere velimus, & octennem, aut novennem jam maritum, & Patrem fuiſſe ſomniemus. Quidquid igitur Adverſarius obmoveat, certiſſimum eſt, Sophiam Udalrici conjugem in Ladislai thorum, male, & immature irrepſiſſe: quod & Synchronorum Scriptorum teſtimonia, & graviſſima, quæ ex Critonis noſtri ſententia ſequuntur, abſurda, nuſpiamque antea viſa monſtra, mirum in modum confirmant. (a) Hinc amicitiæ cauſa moneo noſtrum, ut illis, quæ de Sophia perperam ſcripſit, quamcunque poteſt lituram inducat: ne poſteri monſtroſas has Sophiæ, Ladislai Regis filiæ, cum Udalrico Carentinorum Marchione nuptias unquam reſciant. Nollem certe, ut ad exteros hujus cum ſana mente pugnantis ſpectri fama perveniat.

Poſt

(a) Et tamen D. Cornides cum multa, cauſa Sophiæ, prolixius diſputaſſet, atque Φρονηματίας acerbiſſima in me convitia cœco impetu jactaſſet, demum tanquam pro tribunali ſedens, prævaſta animi fiducia dictatorie hujusmodi Sententiam pag. 53. pronuntiat: *Scepticus ſit oportet, aut obſtirmato contra evidentiſſimas veritates animo, qui - - Priſcam, Sophiam, Colomannum unius, ejusdemque Patris S. Ladislai liberos fuiſſe præfracte negare pergat.* Præfracta licentia! Legat, & mature expendat, quæ hac de re ſcribo, & ſi modo obſtinatiſſimo animo non turgeat, nullo negotio experietur, ſe ſe ex ſevero Judice, repente miſerabilem Reum effectum eſſe: & fortaſſe ceſſabit porro declamare, quaſi verba Annaliſtæ Saxonis *non ſatis ſincere* retuliſſem. Contendat, cui lubet, illa mea cum Saxonis, & comperiet, a me honeſtari ex amuſſim ſatisfactum eſſe, cui ille non parvam labem falſo intulit. Reliqua prætereo, quæ hoc argumento rugoſa fronte oſtentat, & in me exonerat, cum ſatis, ſuperque ſufficiant hæc pauca ad cognoſcendum circulatorias hominis artes, ruboreque deſtitutam dicacitatem. Certe, furentis plane hominis eſt, a controverſiis literariis in ejusmodi criminationes prolabi. Nihilne diſcriminis futurum eſt inter viriſſimas fœminas jurgantes, Virosque bonis artibus excultos inter ſe ſe de literis diceptantes? Acrius ego pariter illum interdum perſtringo, verum id mihi ita licere arbitror, ut virulentum, quod in me jacitur, telum retundere. Et quid, ni liceat cum Care Carizare? Quantum ad Conradum Urspergenſem, verum eſt, verba illa: *Prævertit ejus mortem* - - uſque ad verba: *Diem ſupremum habuit*, non debuiſſe *curſivis*, ut ajunt, literis imprimi, mea enim ſunt: culpam tamen, in eam, quæ me inter, & Typographum erat LXX. leucarum diſtantiam optima fide conjicio. Utinam tam felix ſim, ut Anticriticis meis MS. meum exhibere poſſim, animadverterent ſane ingenuum me eſſe, ingenueque agere.

Altera Sophia Comiti Lamperto nupta, nec fuit, nec esse potuit Belæ I. filia, & Ladislai Soror.

Post hæc, ut ex technis, quas in se ipsum struxit, se extricet, Diplomate Belæ II. docere vult, Sophiam, Ladislai sororem, Ulrico Carentano minime nuptam fuisse. Aſt inaneto prorsus, & vitiligatorium est, ejus perfugium ad Belæ II. Diploma, quo Fundationem Abbatiæ Bozokiensis confirmat. Hoc tamen Diploma illi ad stabiliendam opinionem suam usque adeo firmum visum est, ut eam nulla authoritate refelli, omninoque nulla ratione convinci posse sibi persuaserit: hinc magnis animis ait: *eam ob causam exscribendum* (videlicet Diploma Belæ II.) *putavi, ut hanc vitiligationem ad vivum resecarem.* (a) Mea autem longe alia mens est, quam jam antea in Dissertatione mea (b) explicui. Id equidem liquet: hoc Diplomate Sophiam Lamberti Comitis uxorem, sororem Ladislai semel iterumque vocari: aſt, qui eam ob rem Sophiam hanc eodem Patre Bela, quo Ladislaus, natam fuisse putaverit; næ is immania monstra parturit. Id priusquam succincte, quoad licet, ostendam, Lectorem monendum habeo, Adversarium nostrum rursus hoc loco Orbilii metamorphosim subire; affirmat enim, (c) & omni procul dubitatione, Geisam, Ladislaum, & Lampertum liberos esse Belæ I. Regis: hic vero Sophiam sororem fuisse Ladislai, Lampertoque nupsisse affirmat: igitur Lampertns sororem suam eodem Patre genitam, sibi connubio junxit. Ain' vero Lamperto germanam sororem nupsisse? ita sane; nam noster ad talia patranda facilis est: utpote, qui non ita pridem Udalrico Marchioni Carinthiæ sororem Ladislai Jojadam, & deinde filiam ejusdem Ladislai Sophiam sua ipsius authoritate desponsaverat: modo fratrem, & sororem Matrimonio conjungit. Quod si vero Lampertum maritum Sophiæ diversum esse a Lamberto Belæ filio retur, id indicandum erat, ac una docendum, quis iste Lam-

(a) Ita nempe Cl. Authori nostro vitiligationem vocare placet, argumenta, quorum pondere pressus, vix spiritum trahere potest. Et ad vivum resecat? nihilominus non animadvertit, quod dum unum Lernæi monstri caput se resecuisse putat, ille ipse alia septem contra se suscitat, ὀδξαν τεμνειν, quod ex hactenus dictis exploratissimum esse reor.

(b) Dissert. meæ de S. Ladislao pag. 142.

(c) Annal. Reg. Hung. Par. I, pag. 64.

pertus fuerit? tanto magis, quod variæ ſint de illo Scriptorum opiniones, (a) quas ille ignorare non debebat.

Verum veriſimiliter Geyſæ I. filia fuit, none vero Ladislai:

Utcunque autem hoc ſit, citra omne dubium certum eſt, in laudato Diplomate Belæ II. nomen Sororis in laxiore ſenſu accipi, & cognatam S. Ladislai Regis indicare. Nam Bela I. anno MLXIII. e vivis abiit: Abbatia vero de Bozuok, de qua iſthoc Diploma Belæ II. ſonat, per Lampertum, & ejus uxorem Sophiam ſub an. MCXXX. fundata eſt: præter hæc, non eſt, cur in dubium revocemus, ab ipſomet Bela Sophiam filiam nuptum locatam fuiſſe: Igitur Sophiam marito ſuo Lamperto LXX. & forte amplius annis convixiſſe oportuit. Quod, ut admodum rarum, ita ſi factum erat, præ multis aliis rebus a Scriptoribus memorandum fuiſſet: nullus autem ſeu Domeſticorum, ſeu Exterorum Scriptorum inſolitum hoc, & nec alias facile auditum LXX. & ultra annorum conjugium ad nos transmiſit. Proinde, prorſus incredibile eſt, Sophiam Lamperto nuptam, Belæ I. filiam, ſororemque Geiſæ, & Ladislai fuiſſe: id, quod manifeſto nobis indicio eſt, nomen ſororis in Diplomate Belæ II. in latiori acceptione ſumi. Et revera, apud Hungaros imprimis, Neptes etiam ex fratribus, & ſororibus communi quadam conſuetudine ſorores dici, pluribus exemplis doceri poteſt, & exploratiſſimum eſt. Fuerit itaque Sophia, uxor Lamperti ex Ladislai Regis cognato genita, idcirco a Bela ſororis nomine inſignita: & nullum Critonis noſtri opinioni, alioquin ex ſe ſe invalidæ, auxilium præbet. Non me quidem latet Adverſarium hoc loco fervente ſtomacho ex me quæſiturum: Et quis tandem ille cognatus Ladislai fuit, qui Sophiam iſtam progenuit? Fateor, non prorſus expedita eſt ad id reſponſio; ita enim Genealogia primorum Regum noſtrorum intricata eſt, ut qui arbitratur illam ſe rectiſſime confeciſſe, temerarium eſſe illum

(a) An Lampertus iſte filius ſit Belæ I. non vacat indagare; mihi credibilius eſt, illum inter Belæ liberos, quod Mag. Joannes de Thurocz Par. II. Cap. XLII. vult, locum non habere, Cl. Adverſarius, e cujus ſententia paulo ante argumentum promſeram, filium illum Belæ facit: verum iſthic videns cervici ſuæ prægrande onus incumbere, ſcribit, Thuroczium, Lampertum fratrem Ladislai perperam facere; non tamen inſinuat, ſe antea Thuroczii ſenſa ſecutum fuiſſe: modo autem, ut quali quali arte Sophiam ſororem eſſe Ladislai perſuadeat, ſententiam ſuam audacter retractat. Iſte nimirum ejus mos eſt, ut, ubi ſe in anguſtias redactum ſentit, ſine religione Scriptores repudiet, & palinodiam occinat, neque tamen videri velit.

lum ego pronuntiare audeam. Suſpicor autem, quod etiam in Diſſertatione mea attigi, hanc Sophiam Geyſæ I. filiam, adeoque Ladislai neptem fuiſſe, & Hungarorum uſitato loquendi more, ſororem. Certe: Belæ I. filiam non fuiſſe, præter ea, quæ hactenus adduxi, illud etiam non obſcure confirmat: quia ut Noſter ſcripſit (a) duas ejusdem Patris filias in Regia præcipue familia eodem nomine inſigniri inſolitum eſt: proinde, quia ſoror Ladislai Sophia Udalrico Carentano, ut, qua fieri in rebus Hiſtoricis poteſt evidentia, paulo ante docui, nupſerat; idcirco Sophia Lamperti conjux non poterat eſſe, in ſtricta acceptione, Ladislai ſoror.

Præterea: Sororem Ladislai anno MXCV. e vivis exceſſiſſe dubitare nos ſinunt clariſſima coævorum Scriptorum teſtimonia. (b) Hanc Lambertus Schaffnaburgenſis, non mihi ſuccenſeat æquus Lector, quod eadem toties regeram; id ad juvandam memoriam, & technas Adverſarii manifeſtius detegendas, neceſſarium eſſe arbitror: hanc, inquam, Lambertus Schaffnaburgenſis Jojadam, Annaliſta vero, & Chronographus Saxo exerte Sophiam vocant. (c) Certum ergo eſt, uxorem Udalrici memorato anno obiiſſe, hocque ſolum intereſt, quod

(a) Diatr. pag. 159.

(b) Annaliſta Saxo ap. Eckarth. ad an. MXCV. ſic habet: *Ladislaus Rex Pannoniæ, Vir piæ memoriæ, item Liuppoldus Marchio, & Henricus Palatinus Comes obierunt. Sophia quoque Ductrix, obiit piæ memoriæ XIV. Calend. Junii.* Hoc loco Sophiam Magni Ducis Saxoniæ uxorem intelligi, nemo recte cogitans hactenus dubitavit. Et certe toto ſuo opere trium duntaxat Sophiarum commemorationem facit. Prima eſt Abbatiſſa Gandersheimenſis Ottonis III. Imperatoris ſoror, huic emortualem annum MXXXIX. aſſignat. Altera eſt filia Henrici Nigri, Ducis Bavariæ; ex Wifhilde filia Magnonis, & Sophiæ nata, Bertholdo Zaringenſi nupta, ut idem ad annum MCVI. notat. Tertia denique Sophia Hungarica eſt, Magno Duci nupta, & anno MXCV. mortua.

(c) Hæc velim, D. Cornides magis rite, quam ſolet, expendat, & nec dubito, pœnitebit illum, poſt recitatum Saxonis teſtimoninm, iſthæc ſcripſiſſe: *E quibus quidem locis num Sophiam Magnonis Conjugem efficiatur, S. Ladislai habendam eſſe ſororem, Lectores, velim, exiſtiment.* Quod ſi Lectores de trivio, qui non niſi, ea vident, leguntque, quæ illis in oculos incurrunt, accerſit; ipſe ſui proditor eſt, & mutilum judicium nanciſcetur. Eruditi autem Lectores, qui anteriora cum poſterioribus contendere, qui res ſcriptas in rectum examen revocare, qui temporum, rerum, perſonarum rationem, horumque adjuncta, ſana criſi librare, verbo: qui ſoli arbitrari norunt, in apertum riſum ſolventur, & præcocem hujusmodi *Appellationem* maturo judicio condemnabunt.

Jojadam, & Sophiam unam eandemque Principem Hungaram, & filiam Belæ I. fuiſſe, ego ſtatuam: Adverſarius contra diverſas non tam credit, quam callide ſimulat; & Jojadam quidem cum Schaffnaburgenſi Sororem Ladislai agnoſcit, at Sophiam, alteram Udalrici uxorem confingit, & Ladislai filiam contra, quam ſentiunt Annaliſta, & Chronographus Saxo Somniat. Ex his hujuſmodi argumentum confit: Si Schaffnaburgenſis Jojada, & Saxonum Sophia una & eadem eſt, certiſſimum manet, Sophiam, non filiam ſed ſororem eſſe Ladislai, atqui ex Saxonis quidem teſtimonio id evidens eſſe, ipſa ejus ſententia loquido docet: pariter id clariſſimum eſſe ex Schaffnaburgenſi dubitare neminem ſobrium patientur ea, quæ hucuſque retuli: igitur ſicut Jojada, ita & Sophia, quæ una eademque eſt, filia Belæ I. erat, adeoque Ladislai ſoror, non filia, quam Annaliſta ſaxo non corrupto vocabulo, ut fecit Schaffnaburgenſis, ſed hunc illuſtrans, proprio nomine Sophiam compellavit. Certe Schaffnaburgenſis ſicut Geiſæ nomen ignoravit, ita & Sophiæ; contentus res geſtas fideliter conſignaſſe, quin in nomina adcuratius inquireret. Hinc factum, ut ſicut Geiſam, Jojadem, & Jojadam, aut Joam (a) vocarat, ita & ejus ſororem Jojadam diceret, & utrobique, quod pace Viri docti dixerim, in nomenclatura exerravit; quis etenim, ſi modo mentis compos ſit, ſibi perſvaſerit, & Fratrem, & Sororem eodem plane nomine inſignitos fuiſſe? quia igitur Sophia ſoror Ladislai, primum Wilhelmo Thuringo deſponſata, deinde Udalrico Carentano nupta, & poſt hujus obitum Magno Saxoni, anno MXCV. e vita migravit; & præterea uxori Lamberti homonyma fuit; perſpicuum evadit, ſororem Ladislai, eodem Patre genitam, haud fuiſſe uxorem Lamberti Comitis: nec Abbatiam de Bozuok Sophiam Belæ I. filiam ſub annum MCXXX. fundare potuiſſe: atque adeo omnino dicendum eſt, in Diplomate Belæ II. nomen *Sororis* in latiore ſenſu accipi, & neptem Ladislai, Geyſa ejus fratre natam indicare, quam Ladislaus a morte Geyſæ educaverit, & ſubinde Lamperto Comiti nuptum collocaverit. Vel, ſi cui diſplicet, hanc Sophiam a me Geyſæ tri-

(a) Lamber. Schaffn. ad an. MLXXIV. & MLXXV.

tribui filiam, inveſtiget, per me licet, quæratque alterum ejus Patrem, aſt vadem me interpono, quia nihil melius, inveniet, etſi Lucernam Diogenis accenderit. Mihi veto ſatis eſt: Sophia Ladislai filia, Magni Ducis Saxoniæ Conjuge, inter abſurdiſſima commenta rejecta, liquido, ut reor, oſtendiſſe, Diplomate Belæ II. Regis alteram Sophiam, Lamperto Comiti nuptam, ſororem S. Ladislai fuiſſe, nedum non doceri, quin ne veri quidem ſimilitudine adſtrui poſſe. Unde tamen Heroicis plane animis Adverſarius præmaturo auſu victoriam ſibi ſponderat; imo etiam triumphanti ſimilis, albas jam quadrigas adornabat. (a) Ita videlicet ille in armis acciſſat.

Quan-

(a) Iniquior in me, imo in ipſam etiam veritatem pag. 156. in not. Adverſarius eſt, quam ut ejus non optimam fidem legentibus detegere diſſimulem. Hæc ille de me: *Adverſarius Noſter pag. 142. &c. mire feſtivus eſt in hoc:* (Ladislao Thuroczio) *& Pazmanianæ Synodi Appendice ſugillanda. Ladislao Thuroczio oggerit, quod Sophiam Ladislai ſororem faciat uxorem Comitis Lamperti, & Fundationem Abbatiæ de Bozok affigat anno MCXXXIX. Utrumque falſe illi tribuit.* Vah! dicam tandem: craſſa id impoſtura eſt! pro quo fidem etiam apud eos, qui Prayanis partibus uſque ad ſuperſtitionem innexi ſunt, interpono. Ladislaus Thuroczius editionis primæ MDCCXLIII. in folio pag. 218. hæc habet: *Bela I. cæſo Andrea coronatur. Uxor filia Meſconis ſive Micislai Poloniæ Ducis. Liberi: Geſa, Ladislaus, Lampertus, & Sophia, quæ cum Marito ſuo Comite Lamperto, condidit Præpoſituram Bozokienſem* Hoc idem, ad verbum habet altera Thuroczii editio Tyrnaviæ MDCCLXVIII. excuſa in 4to pag. 335. ad quam in Diſſertatione mea provocavi. Quid poteſt eſſe his clarius: & tamen ego *falſe appingo* Thuroczio Sophiam Ladislai ſororem ab eo dici, uxorem fuiſſe Comitis Lamperti, ubi fides? ubi religio? ubi criſis? ubi frons? ubi vultus? Rurſum falſo tribuo Thuroczio, quod is Fundationem Abbatiæ de Bozok affigat anno MCXXXIX. Rurſum impoſtura! nuſpiam ego verbulo hujus memini: id ſolum ſcripſi, errare Thuroczium, dum Sophiam ſororem S. Ladislai, Comitis Lamperti uxorem facit, & hunc errorem ab illo ex Synodi Pazmanianæ Appendice ſumptum fuiſſe ſuſpicabar. Scripſi equidem pag. 144. Thuroczium, unam Sophiam cum altera confundere, & adverſus Chronologiam quoque peccare, quin anni hujus, aut illius meminiſſem: & qui id ad fundationem Abbatiæ de Bozok referre conatus fuerit, is ſane oleum, & operam, & cum his etiam rationem perdiderit. Refertur id ad alterum, quem ibi refutavi Thuroczii errorem; ſcribit enim Sophiam Belæ I. filiam Lamperto nupſiſſe, alteram vero Udalrico Carentano, & iterum Sophiam Geyſæ filiam Magno Duci Saxoniæ in manus conveniſſe. Hæc ſine dubio erron a ſunt, & cum Chronataxi pugnant, quibus ego eodem loco ſubjeci, ab Thuroczio *nec temporum, nec rerum, nec nominum* rationem rite initam eſſe. Væ Hiſtoriæ Hungaricæ, ſi Noſter ubique merces ſuas tam bona fide propinat. Ad hæc ego *feſtive ſugillo* Synodi Pazmanianæ Appendicem, quia illam in conſignando anno MCXXXIX. erraſſe dixi, at id certiſſimum eſt, quod & Noſter, & omnes ſani agnoſcunt. Hinc illud quoque liquet, quam nimium exorbitet, dum me ob ea *inſignis oſcitantiæ* accuſare audet.

Quantumvis vero ex iis, quæ hactenus pertractavi, certum perſpicuumque fiat: Sophiam Lamperti Comitis conjugem, nihil minus, quam filiam Belæ I. ſororemque Ladislai fuiſſe: alteram vero Sophiam, eandem cum Jojada, inter Belæ Regis filias referri debere; quia nihilominus non deſunt quipiam Scriptores, qui uxorem Magni Ducis Saxoniæ Sophiam Colomanni, & uxorem Lamperti Comitis, itidem Sophiam Ladislai Sororem compellent; (a) idcirco ne illos, quod & alias illibenter facimus, de plano rejiciamus; non deeſt ſententiarum conciliandarum modus: videlicet, ut ne in recenſita abſurda prolabamur, affirmandum omnino eſt, Scriptores illos Fratris & Sororis nomina patrio more accipere, quo ſanguine junctos promiſcue in populari ſermone inſignimus: id quod dum de Diplomate Belæ II. agerem, ſuperius monui. Id Breve Chronicon MS. Sæculi exeuntis XII. XIII. ineuntis, ab ipſo Adverſorio in Diſſertatione de S. Ladislao relatum, teſtatum facit: inde Salamonem Andreæ I. filium, Ladislai Fratrem vocat, cum tamen notiſſimum ſit, Salamonem, & Ladislaum duobus fratribus Andrea, & Bela genitos eſſe. Certe apud Hungaros,& Germanos uſitatiſſimum eſt, ut Nepotes etiam, & Neptes, aliosque cognatos, Fratres, & Sorores nominemus. Scriptores itaque illi populari conſvetudine inducti, nomen Fratris, & Sororis uſurpant, hoc eſt: non in rigore ſumunt, ſed ſolum indicant ſangvinis neceſſitudinem, inter Ladislaum, Colomannum, & utramque Sophiam: ſecus enim manifeſti erroris, ut ex hucuſque dictis liquet, convincantur neceſſe eſt. Illud autem hic haud omiſero, Critonem noſtrum (b) ad citatos in Diſſertatione Scriptores ſe referre, ubi cætera inter hæc habet: *Chronicon Verdenſe in vita Amelungi XV. Epiſcopi, Sophiam hanc Colomanni Regis ſororem vocat.* (c) At id aperte falſum eſt: nam Chronicon Verdenſe iſta ſolummodo (d) notat: *Ortolphus genuit Ma-*

(a) Hi ſunt apud Noſtrum in Diſſer. de S. Ladis. Monachus Veingartenſis, Sundheimius, & Arbor Genealogica ad Guelfos.

(b) Diatr. pag. 161.

(c) Diſſer. ſuæ pag 98.

(d) Chron. Verd. ap. Leibn. Tom. II. pag. 214. ad quod Adverſarius temere provocat.

Magnum, hic non habuit filium, ſed duas filias, de quibus proceſſerunt Duces Bavariæ, & Saxoniæ Marchiones de Brandenburch, Comites, & multi nobiles. En! nec Colomannum, nec Sophiam nominat Chronicon Verdenſe: & neque uſpiam alibi hanc rem ab illo commemorari, certiſſimum eſt. Egregia ſane hæc Noſtri vigilantia eſt! nolo enim dicere oſcitantia, aut quid deterius. (a)

Conciliatis ad ſpeciem contraria ſcribentibus Authoribus, Botho adhuc nobis obſiſtit, & confutandus reſtat. Is uxorem Magni Ducis Saxoniæ, filiam Ladislai Regis fuiſſe, exſertis verbis refert: ſed veritatis ſtudioſam mentem dimovere nequit; tum, quod rem novam nullo Veterum ſibi prælucente, (b) adeoque perperam ſcribat, quam nec Monachus Veingartenſis, nec Sundheimius, neque Arboris Genealogicæ Codici MS. Hiſtoriæ de Guelphis Principibus præfixæ, Author, neque ullus alius, auſi ſunt: tum quod Chronicon Bothonis quatuor fere ſæculis ab ea ætate diſtet; & neque indicarit, quo fonte novellam talem, & ſingularem conjectationem hauſerit? tum maxime ideo, quia Botho Annaliſtæ Saxoni Scriptori Synchrono, nec vulgaris apud Eruditos fidei, nullatenus comparari poteſt, is enim hanc ipſam Sophiam Ladislai ſororem fuiſſe non obſcure affirmat. Aberrat igitur Botho, qui ad finem vergente Sæculo XV. ſuum Chronicon compilavit (c) Reli-

(a) προσεχόμενος τῇ αἰτίᾳ. D. Cornides eadem confidentia utitur, & pariter Scriptorem Chronici Verdenſium Epiſcoporum in ſuppetias pag. 49. non integra fide vocat; quia ille ne verbulo Colomanni, aut Sophiæ meminit. Cornideſius dubio procul Chronicon Verdenſe non inſpexit, ſed Clientis, an Anteſignani ſui? authoritati præfidens, cæca fide in ejus verba ruit; & præclarum Scriptorem inſigniter depravavit.

(b) Botho definit in anno MCCCCLXXXIX. Chronicon Luneburgicum vero in Henrico Mirabili.

(c) Objicit mihi Adverſarius pag. 161. in nota, quod Bothonis errorem expanſis brachiis, pronoque vultu amplecti nolim, quin rejiciam etiam ob eam cauſam, quod is Scriptor ſit Sæculi XV. & longius ab ea ætate abſit, quam ut ejus teſtimonio fides tuto haberi poſſit: addere tamen his ille debebat: & præprimis ideo, quia nemo Synchronorum, aut ſupparium illi præivit; imo e diametro, quod aiunt, oppoſitum tradunt, ut jam vidimus, & in Diſſertatione mea de S. Ladislao inſinuavi: quod tamen Noſter pro decantata ſua humanitate referre gravatus eſt. Unde

elu-

qui vero, ad quos non communi ſollicitudine confugit Adverſarius, id ſolum dicunt, quod Sophia ſoror fuerit Colomanni: & hos ad vulgarem ſermonem reſpexiſſe luculenter jam docui. Proinde cum Pelbarti Compilatore omnino, ni hallucinari velimus, ſentiendum eſt, qui iſthæc ſcribit: *Ladislaus in tantum dilexit caſtitatem, quod potius voluit tantus Rex ſine Hærede mori, quam rurſus aliam uxorem ducere.* Itaque, ſi nullos Hæredes poſt ſe reliquit, dubio procul Colomannus, & ſoror ejus, ut memoratis Scriptoribus placet, Sophia Magni Saxoniæ Ducis uxor, non habent inter ejus Liberos locum.

Deinde, neſcio, quam imaginariam mei metamorphoſim e ſublimi deridet, (*a*) deridendus profecto ipſe, etiam puniendus ob palpabilem ſententiæ meæ depravationem. Scripſeram: (*b*) errare Monachum Veingartenſem, dum ex Udalrico, & Sophia Poponem genitum eſſe affirmat: *iſte enim frater erat Wilhelmi, Sponſi Sophiæ, adeoque hujus affinis, non filius, Odalricus vero Conjux Sophiæ, cognatus fuit Wilhelmi, id eſt, ex fratre Poppone Nepos.* (*c*) Hæc ſunt mea, & omnino veriſſima;

---

elucet, Mag. Joannem de Thurocz pariter ſæculi XV. Authorem mihi perperam, & callide opponi, cujus auctoritate nixus, affirmo in *Epiſcopis* meis *Varadinenſibus*, ab S. Ladislao Epiſcopatum Varadinenſem conditum eſſe. At, magna reperitur diverſitas inter utrumque; Thuroczio enim nullus coævorum Scriptorum hac parte repugnat, neque ulla ex ejus ſententia ſequuntur abſurda, quæ tamen ex teſtimonio Bothonis, adverſus ipſius naturæ leges, ut perſpicue probavi, conſectanea ſunt: habet etiam repugnantes coævos Scriptores. Præterea, Thuroczio adſtipulantur antiquiſſima Sæculi XIII. Eccleſiæ Strigonienſis Breviaria, Codex Corſendonkanus, Diploma Mathiæ Regis, continua, & usque ad nos perducta Traditio, cætera: quæ omnia Bothoni deſunt. Unde illiberale, quod Noſter ſubnexuit Epiphonema: *Nimirum ſtat pro ratione voluntas*, prorſus vacuum, & iſthuc impertinens eſt. Sic ille plumbeo jugulat gladio.

(*a*) Diatr. pag. 159. (*b*) Diſſert. meæ pag. 136.

(*c*) Udalrico I. tres filios, videlicet Popponem Marchionem de Soune, Udalricum, & Verigandum Adverſarius dat: & inſuper pag. 155. ſcribit, Popponem ſtirpis Udalrici propagatorem fuiſſe. Id magnopere paradoxum eſt. Illa enim in rebus Hiſtoricis non modice memorabilia eſſe ſolent. Proinde tanto magis mirandum, quod Scriptores rerum Germanicarum contemporanei, quos eatenus diligente cura ſcrutabar, ne verbo Popponis de Soune, aut Verigandi meminerint. Quidquid autem Noſter ex Anonymo de Guelphis adducat, illud certo ex ſolo ingenio ab eo effictum eſſe, omnium omnino Hiſtoricorum ſilentium manifeſtum facit, quod videlicet, ut nobis operoſe perſuadere conatur, Udalricus ex Jojada ſuſceperit Popponem, ex Sophia vero Udalricum, & Verigandum. Ita unum monſtrum parit aliud.

ma; nam Poppo Vimmarienſis frater erat Wilhelmi, iſtius vero Sponſa, Sophia: adeoque Poppo affinis Sophiæ fuit; nam etiam ex Sponſalibus validis affinitatem oriri Juris conſultis nec mirum, nec incognitum eſt. Mortuo Wilhemlo, ejus Sponſam Sophiam, Belæ I. filiam, Udalricus Marchio Carinthiæ, qui ex Sponſalibus Wilhelmum inter & Sophiam contractis, pariter hujus affinis effectus erat, uxorem duxit: quoniam vero Wilhelmus frater fuit Popponis, neceſſe eſt conſequi, Popponis filium Udalricum, Nepotem fuiſſe Wilhelmi, hoc eſt, ex Poppone, qui Wilhelmi frater fuit, natum. Nec quicquam ultra hæc ſcripſi, exiſtimans vel modicæ perſpicaciæ Lectorem facile intellecturum, quid dicam, quidve dicere velim. Verum Crito noſter arte, & convitiis pugnare, non vero genio, & Marte decertare ſolitus, Scorpionis more cauda ferit; hoc eſt: ſi, ut fortem Virum decet, erecta fronte, atque animo hoſtem vincere nequit, ad dolos, & contumelias convertitur. Id hoc loco manifeſte demonſtrat; iſta enim de me ſcribit: *Udalricus I. quod ab Adverſario non peritiſſime fit, non fuit Popponis, qui Wilhelmi frater erat, Nepos, ſed filius.* (a) At ego talia ne per ſomnium quidem vidi: imo abſque ambagibus ſtatui, Udalricum I. Popponis filium, Wilhelmi ex fratre Poppone Nepotem fuiſſe: ille vero oggerit, quod tuear Udalricum I. Nepotem fuiſſe Popponis. Hoc equidem apertiſſime falſum eſt. Sic bonus ille ex ſe fingit velut araneus, vim ſententiæ meæ infert, verborum ſenſum ſumma calliditate detorquet, depravat, adulterat. (b) Laterculum etiam a Frölichio confectum obtrudit

(a) Diatr. pag. 160.

(b) Sic agit etiam D. Cornides, qui pag. 54. rurſum irarum, & furoris plenus in Cl. Roznákum, certe non optima fide inſilit. Scribit enim hunc Egregium Virum, non ſibi ſatis conſtare, eo, quod prius ſtatuat, Ladislaum nullos liberos genuiſſe: denique, quod affirmet, S. Ladislaum inter Proavos Joſephi Auguſti numerari. Hoc equidem ſpiſſius eſt, quam ut diſſimulare poſſim. Cl. Roznák eodem loco proponit genealogicum Schema, in quo Sophiam S. Ladislai ſororem, Magno Saxoniæ Duci nuptam exhibet; ab hac deſcenſionem facit ad Mathæum Lotharingiæ Ducem, qui inter Joſephi Auguſti Proavos Paternos locum habet. Si igitur Cl. Roznák exerte ſcribit, S. Ladislaum inter Joſephi Auguſti Proavos computari ideo, quia Domus Lotharingica ad ejus ſororem Sophiam nexum ſanguinis refert; manifeſtum evadit, ab Cornideſio nodum in Scirpo quæri, palpumque legentibus non

bona

eodem loco. Utinam autem integre obtrusisset, sed & hunc insigniter corrumpit, quando Udalrico I. Marchioni Carinthiæ, duas uxores, Jojadam Belæ I. filiam, & Sophiam Ladislai filiam tribuit, contra quam sentiat Frölichius, qui unam duntaxat, eamque Jojadam memorat. Quid si ego mihi talia permitterem? næ Montes ille, & cautes in caput meum propelleret. (a)

§. XVI.

Colomannus non fuit S. Ladislai filius.

Transit dehinc (b) Adversarius ad sugillanda ista mea: *Si enim usuveniebat, ut mortuo Regi non frater, sed filius succederet; cur, quæso, Belâ Andreæ fratris sui filium Salamonem, jam etiam Corona incinctum, regnare non est passus, verum pro se ipso Regnum occupavit?* Ille mihi adversum tenet, & (c) sic scribit: *Si Colomannus filius Geysæ erat, ex more subrogandus eidem fuisset, eo quod usus ferret, ut, si qui superstites erant, filii Patribus succederent.* (d) Equidem ab Critico meliora sperare poteram; hoc enim non peritissime scriptum esse, meridiana luce clarius docebo. Vix autem decretoriam hanc sententiam proloquutus est, confestim scisciatur: jure ne an in injuria id factum putem? Lepidissima interrogatio! Dilemata in rebus ab Adversario perspicuis verbis declaratis, ii solum Philosophi, qui Caricas pictas præ veris eligunt, proponunt; aut

---

bona fide obtrudi: ac præterea Cl. Roznákum nihil minus, quam jure accusari, quasi is sibi non constaret. Tam egregiis animadversionibus Libellus ejus undique scatet: eadem sæpe sæpius, & non raro cum falsimonia oggerit, regeritque, atque ideo ridendus magis, quam refellendus - - - - - Ut Cytharedus
Ridetur chorda, qui semper oberrat eadem. Hor. art. Poët. v. 359.

(a) Monet quidem, ab se Udalricò duas conjuges tribui, contra quam faciat Frölichius, non ob id tamen excusationem meretur facilem; hoc enim Schema Frölichianum, non tam proponere est, quam corrumpere; quisquis enim, totidem fere verba fidi ejus amici Cornidesii sunt, talium edendi partes sibi sumit, is textum Authoris exhibere debet integrum, nec quidquam eorum, quæ sibi probantur, mutare, minus supprimere, aut augere.

(b) Diatr. pag. 162. Dissert. meæ pag. 144.

(c) Dissert. suæ pag. 97.

(d) Adversarius post illa verba, ista subnexuit: *Metuebat, credo, ne ego privus homo jus hæreditarium in Hungariam inducerem.* Profecto non metuebam, neque enim ignorabam, Cl. Authori in Regni Comitiis jus suffragii haud competere.

aut qui videri volunt, cum non ſint. Pergit Noſter: *Si jure: tum in Regno electivo regiis Cognatis adverſus legitimum, & Coronatum Regem quidvis audendi poteſtas erit, quod non poteſt eſſe non ſeditioſum.* (a) Mirum! ni mihi comæ ſteterint, & vox interlcuſa hæſerit, viſa, lectaque hac tam horrifica, grandiſonaque epigraphe. Sed ego pluris hæc non pendo, quam fulgura ex vitro, & formidamina illa, quæ vel parvulis terrendis, vel aviculis abigendis excogitari ſolent. Re vera autem fere quot verba, tot etiam parerga ejus ſententia numerat. Deducam ego Annalium Regum Hungariæ Compilatorem ad Chronica Hungarorum, ut tandem ſciat, quæ ratio ſucceſſionis in Throno Regio a Veteribus Hungaris inita fuerit: & quamvis mihi res nec cum Juris conſulto, nec Politico ſit, non gravabor tamen hac quoque parte operam meam Cl. Authori commodare.

Quod Adverſarius ex ratione ſucceſſionis Regum noſtrorum male arguit.

Mag. Joannes Thuroczius (b) iſthæc ad nos tranſmittit: *Quia vero carnalis amor, & conſanguinitatis affectio ſolet impedire veritatem; vicit amor filialis in Andrea Rege juſtitiam: & - - - filium ſuum Salamonem - - in Regem fecit inungi, & coronari.* Satiſne hoc clarum? Audin' Andreas præterito Bela fratre, filium ſuum Salamonem coronari procuravit, *quia amor filialis vicit in Andrea juſtitiam.* Læſa igitur eſt juſtitia? hæc autem nunquam alias læditur, niſi cum in alienum jus involamus: proinde Bela, frater Andreæ, præ hujus filio Salamone ad Regiam Coronam jus habuit. Pergit Thuroczius: Andreas *Rex autem cognoſcens, quod filius ſuus* (Salamon) *abſque voluntate Ducis* (Belæ) *poſt obitum ſuum regnare non poſſet.* Igitur voluntas, ſeu conſenſus Belæ, Andreæ fratris, neceſſarius fuit ad id, ut Salamon ab obitu Patris ſui Andreæ regnare, legitimusque Rex haberi poſſit. Quod, quid aliud eſt, quam oportuiſſe, ut prius Bela juri ſuo, quod illi in Hungariæ Regnum competebat, cederet? Potin' es mihi ſatisfacere? Rurſum Thuroczius:

(a) Diatr. pag. 163.
(b) Joan. Thurocz. Chron. Par. II. Cap. XLIV.

Rex Andreas dixit ad fratrem ſuum Belam: *Dux ego coronavi filium meum - - ſed tu voluntatem tuam liberam habens, ſi vis Regnum, accipe Coronam; ſi Ducatum, accipe gladium. Ex his aliud concede filio meo; ſed Corona cum juſtitia tua eſt.* Audin' *Corona cum juſtitia tua eſt*, hoc eſt: Ego filium meum contra jus, & æquum Corona inſigniri feci, quæ ad te Bela frater a morte mea ex legibus juſtitiæ devolvi deberet; idcirco ſi lubet, etſi filium meum Corona incinxerim, accipe, quod te juſtiſſime concernit Regnum. Ain' etiamnum, uſum tuliſſe, ut *ſi qui ſuperſtites erant, filii Patribus ſuccederent?* Denique Thuroczius: *Dux Bela omnem injuriam, quam ei frater ejus Rex Andreas intulerat, notificavit Socero ſuo Duci Poloniæ.* Itane? igitur Belæ fratri injuriam intulit Andreas, quod filium Salamonem, Regem, adeoque ſui ſucceſſorem facere voluerit: igitur Belæ jus ad Coronam hoc pacto læſum erat: igitur Bela jus, & immediatum habuit ad Coronam: igitur non ferebat uſus, ut filii Patribus in Regno ſuccederent: igitur certiſſimum eſt, uſum tuliſſe, ut Frater præ filio mortui Regis locum occuparet.

Audebitne deinceps Pantocriticus Noſter ſciſcitari: jure ne, an injuria factum putem, quod Bela Andreæ fratris ſui filium Salamonem regnare non ſit paſſus, verum pro ſe ipſo Regnum occuparit? Mirum! ni Noſter ſibi perſuaſerit, *Carolinam Pragmaticam Sanctionem* jam tum dictatam, atque apud Hungaros quoque in uſu fuiſſe. Jure itaque Bela Salamonem regnare non eſt paſſus, jure Regnum pro ſe occupavit: qui *tribus agminibus ſoceri ſui munitus*, verba ſunt Thuroczii, (a) *reverſus eſt in Hungariam - - & commiſſo prælio, ab utraque parte fortiter eſt pugnatum, ſed adjuvante Deo* (hoc eſt æquitati cauſæ favente) *Dux Bela victoriam obtinuit, fere omnibus Teutonicis interfectis, & Ducibus eorum ibidem comprehenſis - - Dux igitur Bela vocatus Benim cum triumpho venit in Civitatem Albam, ibique regali Diademate inungentibus eum Epiſcopis feliciter eſt coronatus.* (b) Proinde poſt mortem Andreæ jura ſua, Regnumque armis ſibi vindicavit

(a) Idem ibid.
(b) Idem ibid. Cap. XLV.

vit Bela; illum enim præ Salamone ſucceſſio contingebat; quia ea ætate Frater fratri præ filiis ſuccedere ſolebat. Id liquet, in hoc Bela, in Ladislao item, qui Geyſam fratrem in Regno excepit; tametſi iſte Colomannum, & Almum filios poſt ſe reliquerit, ut teſtis eſt Thuroczius inquiens: *(a) Dux autem Geyſa genuit Colomannum, & Almum, ac filias.* *(b)* Id ſane nemo, etſi obſtinatiſſimus ſit, negaverit.

Et nihilominus Adverſarius, neſcio, quo æſtro percitus, non veretur ſcribere, quod ſi jure Salamonem a Bela e regio throno excuſſum putem; *tum in Regno electivo regiis cognatis adverſus legitimum, & coronatum Regem quidvis audendi poteſtas erit, quod non poteſt non eſſe ſeditioſum.* Bullatæ nugæ! Ringor dum hujuſmodi defricatam Logicam legere neceſſe habeo, quam in ipſis terræ viſcerihus ſepultam, ne ab ullo videri poſſit, jacere præſtaret. Quot illa voces, tot fere contradictiones continet. Quod jure feciſſe Bela exiſtimatur, ſupponit hæc declarationis pars jure factum eſſe: ſi autem jure factum eſt; quomodo id quidlibet audendi contra legitimos Reges poteſtatem præbebit? ſi jure; quomodo Salamonem, is enim hoc loco ſub nomine Regis latet, legitimum Regem Noſter agnoſcit? ſi jure; quid hic ſeditioſi eſt? quod jure fit, id recte fieri, etiam Bagas novit. Viden' argumentum meum plus quam nihili eſt; idcirco omnino mirari ſubit, quod Hypercriticus Noſter *(c)* porro oſtentet, *Mea*, inquit, *opinatio hæc fuit: filios, ſi qui fuiſſent Juperſtites, Patribus in Regno ſuccedere ſolitos fuiſſe*, & continuo, tanquam ſi victoriam ab Hoſte reportaſſet, ſubdit: *Num nam falſum dixi?* Ita ſane; falſiſſimum; nam præ filiis, fratres fratribus ſuccedere ſolitos fuiſſe, certiſſimo comprobavi.

Vi-

(a) Idem ibid. Cap. XLVIII.

(b) Etſi Cl. Pray Annal. Par. I. pag. 77. exerte ſcribat, Colomannum, & Almum filios fuiſſe Geyſæ I. hoc loco tamen Colomannum e numero liberorum Geyſæ excludit, & Ladislao perperam tribuit. Quod quamvis verum eſſet, Almum tamen adhuc inter Geyſæ proles eſſe patitur. Quæro itaque: cur Patri Geyſæ non Almus filius, ſed Ladislaus Frater, ſucceſſit? ſi enim uſus ferebat, ut Patri filius in Regno ſuccedat, utique Ladislaus Almo vim, & injuriam intulit. Quod quis ſanus ſibi de Ladislao perſuaſerit, qui Dignitatum minime appetens erat, ut adeo etiam Imperii Germanici Coronam, ultro ſibi oblatam, repudiarit: & iſte alienum raperet?

(c) Diatr. pag. 163.

Nam Sæculo XI. usuveniebat, ut fratres præ filiis Regum in Regno succederent.

Videamus attamen, quam ſpecioſis pigmentis ſpiſſum hoc Sphalma ſuum Noſter perlinere, & Lectoribus nebulam opponere nitatur. *Si Emericus*, ait, *Stephano ſuperſtes fuiſſet, ſine dubio ſucceſſurus Patri erat; fruſtra enim hic filio tam exquiſitas regendi leges præſcripſerat, ſi de ejus ſucceſſione certus non fuit.* Paucis his verbis inſunt alia, quæ extra Rhomboidem vagantur, alia; quæ prorſum paradoxa ſunt. Jam illud inane eſt; ideo Stephanum Emerico regendi leges præſcripſiſſe, quia de ejus ſucceſſione certus erat. Quæro enim, an Noſter ideo olim Diſcipulis ſuis in Scholis Cathechiſmum explanando pie vivendi regulas præſcripſerat, quia certus erat, illos ſecuturam vitam pie acturos eſſe? nequaquam: verum eam ob cauſam, partim ut Officio Magiſtri ſatis faciat, partim quia ſperare poterat illos vitam pie acturos. Non abſimiliter, etſi S. Emericum ad vitam pientiſſime agendam, atque ad probe regendum optime animatum fuiſſe noverim; attamen neque id ignoro, Stephanum Patris Officii memorem, gnarumque, quam altas paternæ monitiones apud probum filium radices agant, Emerico pie vivendi, & bene regendi regulas ſollicitum dediſſe; ſperabat enim fore, ut Hungari meritorum Patris, per quem eorum temporalis, & ſpiritualis felicitas procurata erat, memoriam retinentes, Filium ſuum ad Regium thronum ſubliment. Quamquam, etſi de Emerici ſucceſſione certus fuiſſet, id profecto non inde erat, quod filius in Regno, tum adhuc plena libertate fruente, Patri ſuccedere debebat; verum ea de cauſa, quia maximam Hungarorum partem ſibi addictiſſimam eſſe ſcivit: quos ſibi amoris vinculis fortius illigatos, ſvavi oratione ad reddenda promiſſa adduxerit, quibus ſanctius pollicerentur ſe non alium electurum Regem, quam Emericum: ut adeo nec dubitaverit S. Rex filium ſibi in Regno ſucceſſorem eligendum eſſe.

Quid? quod præterea cognitum ſit, S. Regem ſub Annum MXXX. ſe Regno abdicare voluiſſe, & filium Emericum, pertractis jam in ſuam ſententiam Hungaris, Regem ſui loco conſtituere. Id Thuroczius (a) hiſce expedit: *Deliberavit Sanctus*

(a) Thurocz. Chron. P. II. Cap. XXXIII.

ctus Rex Stephanus & firmiter statuit, ut omnibus pompis mundanæ gloriæ calcatis, & temporalis Regni diademate deposito - - Coronam vero regiæ celsitudinis, filio suo Emerico sanctissimis moribus divinitus instructo, se daturum disposuit. (a) Hinc elucet, quod S. Stephanus Emericum, se etiamdum vivo, Regem fieri desideraverit, & voluerit: id quod manifesto indicio est, Hungariæ Optimates suum jam Stephano eatenus assensum præbuisse, atque certæ hujus spei instinctu, Optimum Patrem Emerico salutares vivendi regendique leges præscripsisse: adeoque hinc sumptum Adversarii argumentum, verbosum, non nervosum est. (b) Cæterum: quantumvis S. Stephanus undecunque demum de Emerici successione certus fuisset, exemplum nihilominus isthoc ad rem præsentem prorsus impertinens, itaque supervacuum est. Omnis enim hic quæstio in eo est: an usus tulerit, ut mortuo Regi non Frater, sed Filius succederet? Quia igitur S. Stephanus nullum tum superstitem fratrem habuit, utique mortuo Regi succedere non potuit? quod Crito Noster de nihilo pugnat; quis enim tam immodice vel cogitare possit, ut is, qui in rerum natura non existit, alteri in Regno succedat. At fortasse Cl. Auctor Noster hic quoque Fratrem S. Stephani ex pumice exsculpere meditatur, ut cum Sophia Ladislai efficta filia, Udalrici Carinthiæ Ducis altera commentitia uxore facere non est veritus. Igitur ἐκ τοῦ ψεύδιας εἰς τὸν ἀληθὴ λόγον μετατηθι. (c)

Ne hilo validius est alterum, quod noster obtrudit, exemplum. Quærit: *an si Emericus Patri successisset, hunc Petrus ex*

 Ste-

(a) Idem habet Ranzan. Epit. Ind. VIII. & Dlugoss. Hist. Polon. ad annum MXXII. licet in anno error cubet.

(b) Adversarius hoc loco voculas; *Pati*, *Occupare*, *Adgredi*, *Removere*, uncialibus literis imprimi fecit. Quid autem id sibi velit, ne hariolari quidem possum; neque enim mihi persuasum esse velim, illum tam modice peritum esse, ut ea ignoret, quæ Scriptores Domestici, pariter & Exteri mira consensione ad nos transmiserunt, hoc est: qnod Bela Salamonem regnare non sit *passus*, verum Regnum armis pro se *occuparit:* quod Salamonem Geysa, & Ladislaus valida manu *adgressi sint*, & a regio solio *removerint*. Hæc equidem iis etiam, qui a limine solum Historiam salutaverunt, explorata sunt: & nihilominus Noster ob idipsum trabalibus literis mihi insultat. Forte earum magnitudine vult me perterrefacere.

(c) Plato in Epist.

Stephani sorore natus jure potuerit regnare non pati? Quam hoc elumbe est! Ex filiis transit ad Nepotes, ex his forte etiam ad pronepotes, & abnepotes delapsurus, & semper extra Rhombum choreas ducit: quæstionis statum ubivis mutat. Sed quidquid agat, id omne supervacaneum est; nunquam enim docere potis est, Sæculo XI. usum tulisse, ut in Hungaria filii Patribus, non fratres fratribus succederent; magis enim sunt perspicua testimonia pro successione fratrum præ filiis pugnantia, quam ut minime probabili industria cusis larvis labefactari queant. Et tamen ille, licet a gradu suo depulsum se esse sentire debeat, audacter jactat: *Salamon, ipso Adversario teste, Andream, Colomannus Ladislaum in regimine excepit.* (a) Hoc posterius fumus, fucusque est; nam Colomannum, nisi nihil videam, Ladislai filium fuisse nunquam agnoscam. (b) Quo ergo valet ista Logica? Illud prius autem falso mihi appingitur; tametsi enim Andreas, Salamonem filium suum Corona incingi fecerit prævalente paterna adfectione; id tamen cum injuria Belæ fratris conjunctum erat, ut ipse Andreas Rex asseveravit, quia Belam jus ad Coronam respexit. Id, quod in Dissertatione mea scripsi, & paulo ante luculenter docui: nihilque ejus muto: atque adeo falsum est, me uspiam affirmasse Salamonem Andreæ legitima via successisse. Certe si Salamon jure Andreæ successisset, Geysa, & Ladislaus justitiæ studiosissimi, Salamonem cum auxilio Polonorum armis aggredi, & a regio solio removere veriti fuissent; quis enim, si modo in Sanctos grassari nolit, sibi persvaserit, Geysam & Ladislaum adversus legitimum Regem arma correpturos fuisse, si usus ferebat, qui illis ignoratus esse non potuit, ut filii Patribus, adeoque Salamon Andreæ jure succederet? Quod

(a) Diatr. pag. 164.

(b) Noster Annal. Par. I. pag. 27. Sophiam, Magni, Saxoniæ Ducis Conjugem, & Pyriscam, Græcorum Imperatori nuptam, Colomannum item, & Almum inter Geysæ I. Liberos numerat: isthic vero in Diatriba, quæ Annalium suorum in bene multis fidem evertit, Sophiam, Pyriscam, & Colomannum Geysæ abjudicat; quia id nempe rationes suas, quas non bene in numerato habuit, perturbat. Ita stat illi pro ratione voluntas, qua Duce, ne mihi assentiri necessum habeat, in omnes se partes vertit, magis varius, quam hydra, & quod hodie sancte statuit, cras rotunde negat, postridie iterum affirmaturus. Certe Colomannum e numero Liberorum Geysæ perperam eliminat, quem præter omnes alios veteres Scriptores, etiam Simon Keza Scriptor Sæculi XIII adeoque Colomanno Sæculo XII. mortuo vicinior, Geysæ rectissime filium Cap. IV. tribuit.

Errores Adversarii in rebus ad Jus spectantibus.

Quod dehinc Noster disputat, adeo inficetum est, ut ne is penitius agnoscatur, id lubens præterirem, ni ille humanissima exsuccum sermonem suum coronaret epigraphe, ea est: *Verum istis hic nec locus, nec tempus est; quoniam mihi res nec cum Jurisconsulto, nec cum Politico est.* (a) Bellissime! at quamvis ego illi nec Juris, nec Politiæ peritus sim, utique non mei solius causa Libellum, tot exquisitis criminationibus fartum, in lucem emisit: poterat ergo, si quid scivit, ejusmodi peritorum Lectorum gratia paucula quædam de *jure Sangvinis*, & *jure Hæreditatis* promere; unde ego quoque quidpiam discere potuissem. Sed quid ajo? promsit ille pauxilla quædam, verum ea sic inepta, & absona sunt, res mox dicet, ut profecto multum æstimationis illi adimant. *Usuveniebat*, inquit, *usus enim juri innititur, ut Regi filius, non frater succederet.* Siccine? ast nec usus, nec jus aderat; ergo non usuveniebat. Scriptum est: Bela! *Corona cum justitia tua est!* ergo Belæ præ Salamone jus suffragabatur, usus autem juri innititur, ergo usuveniebat, ut Regi frater, non filius succederet. Legisperiti *Abusum* vocant id, quod cum alius injuria fit. Jus tamen noster esse vult, & subnectit: *cujusmodi autem jus, cui hic usus innitebatur, fuerit, aliorum arbitratui relinquo.* Hoc tandem admodum probo, quod ab hac juris quæstione manum retrahat, & providenter talium gnaris arbitrandam permittat; nam illi solum, qui condiscendæ Jurisprudentiæ operam non ignave impenderunt, hæc talia arbitrari, & possunt, & debent, atque etiam sciunt. (b) Illud porro, quod scribit: *inter jus Sangvinis, & jus Hæreditatis, tum inter jus Primogeniti, & jus Familiæ Regiæ ingens discrimen interesse reor*, etsi verum sit, ita tamen

 huc

(a) Diatr. pag. 165.

(b) Adversarius adeo liberalis est, ut Cinnamum, scribentem, legem esse apud Hungaros, ut semper ad fratres superstites Diadema transmittatur, mihi ultro propinet, quem si ego illi objecissem, tum aliquod opere pretium fors relaturus eram. Etsi vero Cinnamus rectum teneat, non mihi tamen opus erat ad Græcanicum Scriptorem confugere, quando Domestici, & res ipsa idem illud perspicue affirmant, ac comprobant. Proinde perperam, nec ad humanitatis leges satis exacte scribit Noster, a se mihi *offam projici*. Offa ex Cinnami culina per adustum fuligine Lixam nostrum inofficiose sumpta, & oblata, non me satiat: sed quam ego irrefragibilibus argumentis Critoni nostro paravi, hanc sane ille quantumcunque mandat, & arrodat, nunquam dissolvet, comminuet, digeret, concoquet.

huc appoſite quadrat, ut frena auro & margaritis diſtincta ad ſtrigoſum Sonipedem. Magna verborum contentione diſputat, uſum tuliſſe, ut Regibus Hungariæ filii ſuccederent: uſum vero hunc juri inniti clamitat: quod quid aliud eſt, quam Regnum Hungariæ, & uſu & jure priſcis temporibus hæreditarium fuiſſe? adeoque & jure ſangvinis, & jure hæreditatis, filii Regum Patribus ſuccedebant: & tamen mox oſtentat, inter jus ſangvinis, & jus Hæreditatis diſcrimen intercedere. Quod ut verum eſt, ita nihil ad præſentem quæſtionem. Cæterum: frivola hujuſmodi effugia iis ſunt communia, qui momentorum pondere in anguſtias compulſi, nihil intentatum relinquunt, tametſi vacua ſolum dare ſe poſſe verba ſciant. Cur vero diſcriminis inter jus Primogenituræ, & jus Familiæ Regiæ meminerit? ſolus Ædipus aſſequetur. Unde videtur, quod dum hæc talia extra locum, & tempus ſecum ipſo diſputat, in ſe ipſum epigraphen illam: *Verum iſtis hic nec locus, nec tempus eſt, quoniam mihi res nec cum Juriſconſulto, nec Politico eſt*, procudiſſe cenſendus ſit.

Declaratur modernum, & antiquum jus ſucceſſionis apud Hungariæ Reges.

Cum autem Hypercriticus noſter, ut apparet, non optimam cognitionem Succeſſionis Regiæ in Regno Hungariæ habeat: quod equidem Viro docto, utpote qui in ſcribenda Hiſtoria ætatem detrivit, proinde ad alias ſcientias condiſcendas otio non abundavit, vitio tribui non debet: ea propter pauxilla quædam e Codice Legum Patriarum iſthuc trasferre, non erit inutile. Sciat itaque Hungaros primum ſub Ferdinando I. ut quibusdam placet, anno MDXLVII. Jus Hæreditatis, hoc eſt: Jus, vi cujus filius in Regno ſuccedat Regi Patri, admittere cæpiſſe, condita lege hujus tenoris: *Cum ſe ſe Ordines, & Status Regni non ſolum Majeſtati ſuæ, ſed etiam ſuorum Hæredum imperio, & poteſtati in omne tempus ſubdiderint.* (a) Jus ſucceſſionis Auguſtæ Domui Auſtriacæ taliter aquiſitum uberius declararunt Hungari in Comitiis Poſonienſibus anni MDCLXXXVII. condita hujuſmodi lege: *In perpetuam proinde recolendorum tantorum beneficiorum memoriam, & in æviternum recognoſcendam humillime com-*

(a) Ferdinand. I. Decr. X. Art. V.

complacentium animorum ſuorum gratitudinem præfati univerſi Status, & Ordines hujus Regni Hungariæ, & partium eidem adnexarum declarant: Quod amodo in poſterum neminem alium, quam antetitulatæ ſuæ Cæſareæ, & Regiæ Majeſtatis propriis ex lumbis ſuis deſcendentium Maſculorum Hæredum Primogenitum in perpetuum pro legitimo Rege ſuo, & Domino, ſint habituri. (a) Denique hoc jus ſucceſſionis hæreditariæ in Comitiis Poſonienſibus anni MDCCXXIII. in defectu ſexus Maſculini ad Fœmininum extenditur, Lege his verbis concepta: *Fideles Status, & Ordines Regni Hungariæ - - Volentesque erga Sacratiſſimam Cæſaream, & Regiam Majeſtatem, Dominum, Dominum eorum Clementiſſimum, gratos, & fideles ſemet humillime exhibere, In defectu Sexus Maſculini Sacratiſſimæ Cæſareæ, Regiæque Majeſtatis - - jus Hæreditarium in Hungariæ Regnum, & Coronam - - etiam in Sexum Auguſtæ Domus ſuæ Auſtriacæ Fœmineum, primo loco quidem ab altefata regnante Sacratiſſima Cæſarea, & Regia Majeſtate. Dein in hujus defectu a Divo olim Joſepho. His quoque deficientibus ex lumbis Divi olim Leopoldi Imperatorum, & Regum Hungariæ deſcendentes eorumque legitimos Romano-Catholicos Succeſſores utriuſque Sexus - - cum Regno Hungariæ, & Partibus, Regnis, & Provinciis eidem adnexis hæreditarie poſſidendis, regendam, & gubernandam transferunt, & memoratam ſucceſſionem acceptant.* (b) Hæc ſi Adverſarius, ut par eſt, mature expendat, confido fore, ut deſinat porro pro Critico non ſatis perite jactare: jam primo ſæculo Hungariæ Chriſtianæ uſum juri innixum tuliſſe, ut Regi filius, ſi quis erat ſuperſtes, ſuccederet, & quod hinc efficitur, Regnum Hungariæ, jam S. Stephani ætate ſtricte, proprieque hæreditarium fuiſſe; quod omnino falſum eſt.

Nemo tamen inficias iverit, quod quemadmodum Regum Hungariæ ſæculi XI. Fratribus jus *Sangvinis*, ita Regum filiis jus *Genituræ* faverit: hoc eſt, frarres fratribus jure ſangvinis ſuccedebant; in horum defectu vero Fratribus filii jure

(a) Leopold. I. Decr. IV. Art. II.
(b) Carol. VI. Decr. II. Art. II.

Genituræ. Nam ut apud omnes gentes, ita & apud Hungaros, liberæ Electionis prærogativa primitus gaudentes, magna ſemper ratio & Sangvinis Regii, & Genituræ habita erat: ita, ut quamvis liberrime hunc præ alio Regem eligere potuerint, ſemper tamen, niſi ſi gravius quidpiam obſtitit, aliquem ex mortui Cognatis, fratrem aut filium, & Sæculo quidem XI. fratrem præ filio, liberis tamen ſuffragiis elegerint. Hinc fit, ut in bene multis Regum Noſtrorum Diplomatibus, quæ paſſim proſtant, mentio fiat Genituræ, Ordinis, Juris Sangvinis, imo etiam Hæreditatis, in latiore tamen ſenſu ſumptæ, videlicet, ut jam declaravi, non quaſi liberæ Genti Hungaræ neceſſitas, condita lege, impoſita eſſet, in fratrem, aut filium ſuffragia conferendi; verum quia uſus ferebat, ut Hungari, communi velut omnium Nationum conſvetudine, eos libere optarent Reges, quibus jus Sangvinis aut Genituræ adſtibulabatur: adeoque ex vi talis uſus, qui libertati nihil poterat præjudicare, Reges noſtri filios in Tabulis jure Genituræ, aut Sangvinis, quod illis quandam Hæreditatem ſapere videbatur gaudere agnoſcebant: nec Hungari contra nitebantur, certi, idmodi ſcribendi genere nullum avitæ libertati ſuæ, armiſque quæſitis prærogativis vulnus illatum iri.

Inde erat, ut complures Hungariæ Regum filios ſuos, in tenera adhuc ætate, annuentibus Regni optimatibus, Corona incingi fecerint, & quaſi quoſdam Regiminis Conſortes habuerint, atque nominaverint. Hungari non abſimiliter Sangvini, & Genituræ, multum, ut decebat, inde ab ætate S. Stephani Protoregis tribuentes, continuata Serie Regum fratribus aut filiis, liberis ſuffragiis faſces deferebant: imo & legitimos Succeſſores, Hæredeſque neutiquam vocitare detrectabant; tametſi alias jurium, libertatumque ſuarum tenaciſſimi, quin vindices etiam acerrimi fuerint. Hinc tamen nemo cordatus intulerit: jam primis Hungariæ Chriſtianæ temporibus ita Hæreditarium fuiſſe Regnum, ut inevitabili quadam lege frater fratri, aut filius Patri in regimine ſuccedere debuerit. Ita quidem ſemper factum fuiſſe, notius, certiuſque eſt, quam ut referri neceſſum ſit; quia videlicet Hungaris eligendi Regis libera poteſtate ſalva permanente ſemper ita viſum placitumque erat. Et certe,

ſi

ſi in propria acceptione Hungariæ Regnum ab incunabilis ſuis Hæreditarium fuiſſe, quiſpiam tueri velit, is profecto aut priſcas Hungaræ gentis prærogativas ignorat, aut veterum Hungarorum in eligendo Rege libertates evertat oportet: quod utrumque quam inſcitum ſit; non eſt difficile aſſequi. Singulari autem illa eligendi Regis libertate primum anno MDXLVII. in Conventu Tyrnavienſi ſub Ferdinando I. Rege Hungari, ut dixi, ſponte ſua, ſancita lege, ſe ſe, quod nonnulli volunt, privare voluerunt. Huc pertinet illud Ulpiani noſtri: *Neque enim Princeps, niſi per Nobiles eligitur;* (a) Nam qui legitimus Regni Hæres eſt, non opus eſt, ut eligatur, ſed *ipſo facto* ſuccedit. Quia vero hac de re Crito noſter ultra omnem modum audacter loquutus eſt, & Gentis Hungaræ principalem prærogativam evertere ſtuduit; juvat refellendo ejus præpoſtero conatui adhuc paululum immorari. Itaque: Regnum Hungariæ ab origine ſua non fuiſſe *Hæreditarium*, ſed ſtricte *Electivum*, præter ea, quæ attuli, quæque irrefragabilia ſunt, ex legibus noſtris manifeſte evincitur. Et quidem

I. Ex Art. III. anni 1687. ubi §. ult. expreſſis verbis ſcriptum eſt, ut deficiente Leopoldi Cæſaris, & Caroli II. (b) Hiſpaniarum Regis maſculino ſemine, quod iſto eodem, & præcedente Art. II. pro Hæreditario acceptatur, *Avita, & vetus approbata conſuetudo prærogativaque Statuum, & Ordinum in Electione - - Regum locum ſuum habeat.* Id ipſum Art. III. 1715. repetitur, inſertumque eſt Diplomati Caroli VI. §. IV. Art. II. ejusdem anni. Rurſum Art. II. 1723. §. ultimo. En! ſi Regnum Hungariæ *Hæreditarium* fuit: cur erat neceſſe anno 1687. Leopoldi Cæſaris, & Regis maſculinum ſemen, condita lege publica, pro Hæreditario declarare, acceptareque? idque tanto magis, quod tum jam Leopoldus annis fere triginta Regni Hungariæ gubernacula legitimo jure tenuerit; atque etiam duas maſcu-

(a) Verbőcz. Par. I. Tit. III.

(b) Defecit hoc ſemen, vivente adhuc Leopoldo Imp. qui ideirco filium ſuum ſecundo genitum (deinde Imperatorem Carolum VI.) cum exercitu miſit ad capeſſendam Monarchiam Hiſpanicam. Quæ tamen poſt varios bellorum eventus, obtigit Duci Andegavenſi e Domo Borbonica.

maſculas proles, Joſephum, & Carolum ſuſtulerit. Cur item oportuit hanc Hungarorum declarationem, & acceptationem annis 1715. & 1723. renovare? Ad hæc, nonne Regnicolæ univerſi in Comitio congregati caverunt, ut avita & vetus Regni conſvetudo in Electione Regum ſalva maneat & integra, tametſi hic & nunc maſculis prolibus Leopoldi Cæſaris hæreditariam ſucceſſionem aſſerant, conſtabiliantque. Quid, quæſo, hoc aliud eſt, quam inſtrumento publico providere: quod licet Leopoldi maſculinum ſemen hæreditarium eſſe velint, una tamen conſtitutum eſſe declarant, ut ſi ſemen illud maſculinum deficiat, avita, & vetus eligendi Regis conſvetudo, atque prærogativa ipſis redeat? hoc eſt, ut ſicut Patres eorum, ita & illi, eorumque ſucceſſores, Regem ſibi liberis ſuffragiis eligere poſſint, nec ſe obſtrictos ſentiant, ſic electi Regis proles maſculas tanquam Hæreditarios Regni Succeſſores agnoſcendi.

II. Quia ante hanc Hungarorum declarationem, & acceptationem, in publicas Regni Leges retulerunt, utpote Art. II. 1655. Leopoldum *ſponte, & libere*, unanimi voto, & conſenſu, rite & legitime eſſe *Electum.* Art. I. 1638. Quod Regnicolæ Ferdinandum III. juxta antiquam conſvetudinem & libertatem eorundem ſemper obſervatam, paribus votis, & unanimi conſenſu rite, & *libere* in Regem ſuum *elegerint.* Art. II. 1622. quod iidem Regnicolæ Ferdinandum II. juxta antiquam conſvetudinem, & libertatem eorundem ſemper obſervatam, paribus votis, & unanimi conſenſu rite *elegerint*, & proclamaverint. Et ad hæc loca reſpexiſſe dictum Art. III. 1687. non eſt dubium. Itaque, ſi Hungari Ferdinandum II. ejuſque filium Ferdinandum III. atque nepotem Leopoldum in ſuos Reges *Sponte*, *libere*, *unanimi voto & conſenſu*, *juxta antiquam libertatem*, *& conſvetudinem ſemper obſervatam elegerunt*; conſectaneum profecto eſſe debet, ante annum 1687. quo Leopoldi proles maſculinæ uti legitimi Hæredes declarantur, & libere acceptantur, non fuiſſe Regnum Hungariæ Hæreditarium. Hæres etenim uti in Bonis, ita & in regimine Patri ſuo ſuccedit, nec opus habet votis, conſenſu, libertate Regnicolarum eligi. Proinde Jura ſucceſſionis in Regnum Hungariæ ut primum, ita clariſſime ſunt declarata, atque extenſa occaſione Coronationis Joſephi filii

Leo-

Leopoldi Imperatoris anno 1687. peractæ. Id, quod Status, & Ordines Art. II. teſtantur ſe feciſſe, ob recuperatam a Turcis magna ex parte Hungariam, ipſamque Budam receptam, in perpetuam recolendorum beneficiorum memoriam. Unde iterum conſit, Regnum Hungariæ ad hoc uſque tempus *Electivum* citra omne dubium fuiſſe. Ut quid enim Hungari declaraſſent, ſe propter ingentia Leopoldi in Regnum beneficia ejus proles maſculinas, uti Regni Hæredes acceptare? Certe, ubi Regnum *Hæreditarium* eſt, non eſt neceſſum ad præſtita, & accepta beneficia recurrere. Hinc noſtris temporibus Joſepho I. Carolus VI. huic Maria Thereſia, iſti Joſephus II. quin ejusmodi declarationes adhibitæ fuiſſent, velut legitimi Hæredes, ſtabilita jam Auguſtæ Domui Auſtriacæ quoad utrumque ſexum Hæreditate, *ipſo facto* ſucceſſerunt.

Nolim tamen mordicus tueri a temporibus Ferdinandi I. Hungariam Auguſtæ Domui Auſtriacæ Hæreditario jure haud eſſe obnoxiam. Dum enim ille ab Hungaris rogaretur, ut vel ipſe in Hungaria reſideret, vel filium ſuum Maximilianum reſidere juberet, Art. V. 1547. inſertus eſt, quod jam etiam ſuperius innui, hujus tenoris: *Cum ſe Ordines, & Status non ſolum Majeſtati ſuæ, ſed etiam ſuorum Hæredum imperio, & poteſtati in omne tempus ſubdiderint.* Quibus verbis Regnicolæ ſine dubio ad pacta inter Maximilianum Imperatorem, & Uladislaum Regem Hungariæ, dum Ferdinando I. illius Nepoti, Anna Uladislai Filia anno 1515. deſponſaretur, Viennæ inita: vel fors etiam ad antiquiora inter Fridericum Imp. & Mathiam Corvinum concluſa, alluſerint. (a) E quibus quemadmodum ſtrictum jus Hæreditariæ Succeſſionis Auguſtæ Domui Auſtriacæ acquiſitum fuiſſe videtur; ita declaratio illa Regnicolarum cum iis, quæ hactenus pertractavi, combinata, non omnem explicatum reſecat. Utcunque tamen id ſit; cedo, etiam a temporibus Ferdinandi I. hoc eſt, a Sæculo XVI. Hungariam filiis Regum noſtrorum hæreditario jure debitam fuiſſe; ſemper tamen certiſſimum manet: Hungariam ab ætate primi Regis S.

(a) V. Szeg. Tyr. Jur. Hung. Tom. II. pag. 72.

Stephani uſque ad tempora Ferdinandi I. Regnum fuiſſe vere *Electivum*, non autem *Hæreditarium*. Id luculento teſtimonio comprobavit Chanadinus Archi-Epiſcopus Strigonienſis, qui volente licet Carolo Rege, anno MCCCXXXII. vel ſequente, ejus filium Ludovicum coronare noluit, niſi Ordinum liberis ſuffragiis in Regem eligatur: nec niſi poſt mortem Patris Anno MCCCXLII. liberis ſuffragiis Rex ſalutatus, coronaque redimitus eſt. (a) Id quod Sæculo XI. perinde fiebat, in quo præterea Fratres præ Filiis Regum eligebantur, atque coronam capeſſebant: quod hucusque luculente comprobavi. Hæc etſi extra argumenti mei rationes ſint, ut plurimum enim ad poſteriora tempora, de quibus cum Adverſario non eſt cur diſceptem, pertinent; hoc loco tamen promenda arbitrabar, eam ob cauſam, ut Critonem noſtrum, inſignes, in quibus hæret, errores dedoceam; tum, ut qui priſcæ Hungarorum libertatis minus periti ſunt, earum aliquam animo ſuo imaginem exprimere poſſint. (b)

Poſt

(a) V. Odor. Raynald. Tom. XV. ad an. MCCCXXXIII. & Hiſt. Epiſc. Varad. Tom. I. pag. 174.

(b) Talis eſt D. Cornides, qui otio, & charta plane abuſus complura Diplomata inaniſſima opera accumulat, & usque ad Maximilianum, qui anno MDLXIV. Ferdinando I. ſucceſſit, ingratiis producit. Si Cl. Prayum ab Objectionibus meis, ut Libri ejus Titulus indicat, vindicare ſibi propoſuit; cur non manet intra orbitas, cur illud non perſequitur, quod mihi & Cl. Pray non convenit. Nobis diſſenſio eſt de Bela I. Geyſa I. Ladislao I. Colomanno, & Salamone: ille vero usque ad Maximilianum decurrit, quando jam etiam publica lege condita, Hæreditas, ut aliqui tenent, Auguſtæ Domui Auſtriacæ conſtabilita erat. Mirum! quod usque ad præſens tempus delapſus non ſit, & Articulum II. anni MDCCXXIII. mihi non oggeſſerit. Ita videlicet per avia, & devia divagatus auram captat, & ſecum ipſo pugnat: & nihilominus triumphum ante victoriam, quod deſperatæ cauſæ Patroni fumi gratia ſolent, ſibi ipſi occinit: ſcribit enim pag. 80. *Quo in negotio, quam infeliciter ſit verſatus Cl. Adverſarius facile intelligent, qui eum preſſo pede ſequi una mecum voluerint.* Affaniæ! ego vero percupio, ut ea, quæ tam grandi pompa proponit, bona, liquida, & ſedata mente revolvat, & profecto nullo negotio, ſi modo ſibi ultra omnem æqui, & decori modum non blandiatur, animadverteret, omnem illam molem, quam infirmiſſima ab ſe ædificatam rupe leviter ſibi, more, perſuadet, collapſam, protritamque eſſe, atque enormes, quos ſibi finxit Gigantes in infimæ ſortis pigmæos abiiſſe. Nemo ſane, niſi qui inſigniter deſipuit, in dubium revocavit unquam: an apud Hungaros ratio ſanguinis Regii, ac Genituræ habita ſit? Verum quæſtio in eo ſolum verſatur: utrum ſumpto a S. Stephano initio uſque ad Colomanni ætatem, hoc eſt: Sæculo XI. uſus tulerit, ut Regi, frater præ filio, vel filius præ fratre in Re-

Post hæc digreditur Adversarius ad Nummum argenteum, nominibus: *Ladlaus*, & *Calman* signatum; (*a*) quem ut in Dissertatione sua improspere protulit, ita a me rejectum, ut rursum erigat, mira plane metamorphosi varias formas induit: quas tamen sibi nihil opis allaturas præsentiscens, peculiari qua-

Numus Viczaianus non probat, Colomannum Ladislai filium fuisse.

Regno succederet? quod utique ad quæstionem *Facti* pertinet: ille vero omnes nervos, quos in meliores usus convertere satius fuisset, intendit, ut probet Sæculo XII. XIII. XIV. XV. XVI. Regnum Hungariæ non Electivum, sed Hæreditarium fuisse. Ad hæc, pag. 101. scribit: *in Hungaria ab antiquissimis temporibus modum habendi Regnum fuisse mere hæreditarium, de jureque semper successisse Patribus apud Hungaros in Regno filios.* At, dum talia scribillat, omnem omnino eligendi Regis Hungariæ libertatem novus legum interpres imprudens evertit. Quid autem vocibus: *ab antiquissimis temporibus* indicare velit? ille ipse satis prodit cum pag. 97. testimonium Anonymi Belæ Regis Notarii in suppetias accersit. Itaque si hunc audimus, jam inde a Sæculo IX. *mere hæreditaria Successio* in Regno Hungariæ comprobata, constabilita, confirmataque fuit: quam sentiendi libertatem æger pariter, & sanus merito deriserit, explosérit, contempserit. Tota certe ejus hac de re declamatio, tot fere absonos errores, quot lineas in se continet, cum tamen illam per ipsas 13. paginas miserandum in modum diducat. Piget, & tædet horum vel meminisse: unum attamen & alterum ad conciliandum Lectoribus prægustum depromere juvat. Ait pag. 90. Ab Andrea Belam Hæredem Regni prius renunciatum fuisse, quam Salamon esset natus; ergo etiam postquam natus est Salamon, Bela Hæres Regni erat: & tamen, ut filii Patribus succedant, jus mere hæreditarium fuit. Pag. 91. scribit: Monetam cudere, vel *Telonium habere, ad jura Majestatica reservata* pertinet: ergo qui Telonium habet, aut Rex est, aut cum Rege jura Majestatica exercet, cui in regno successio debetur. Pag. eadem: jus, inquit, audiendorum Legatorum Regni Hæredem prodit. At Palatinus Hungariæ tenore Art. VII. MCCCCLXXXV. Oratores audire, & etiam illis responsa dare poterit, quin sit Hæres Regni. Cæterum nec id generatim verum est, quod jus cudendi monetam sit juris Majestatici reservati. Nam in Francia id jus Baronibus quoque competebat; certum enim est, Regiæ monetæ cursum non in omnibus Baronum Dominiis invaluisse, in quibus proinde necessum erat cudi monetam auream, vel argenteam, ut esset commercio locus. Extat præterea charta anni MCCCVI. in Tab. Mimat. qua Philippus IV. Rex agnoscit, Ecclesiæ Mimatensi competere jus cudendi monetam argenteam, quod a prædecessoribus suis illi concessum esse non dicit. Sic ibi habetur: *Ad Episcopum, & Ecclesiam Mimatensem pertinet jus - - cudendi monetam ære contaminatam, & monetam argenteam.* Vid. Brussel. Tom. I. de Usu Feud. pag. 195. 197. 201. sequ. Hoc jure longe ante gaudebat Episcopus Meldensis, ut constat ex charta Burchardi Episcopi anno MCXXX. exarata apud Marten. Tom. I. Ampl. Collect. Col. 696: *Notum facio - - quod Meldensem monetam, quæ Episcopalis juris est.* Quis ergo sanus ex jure cudendi monetam inferet jus Majestaticum, & Hæreditariam in Regnis successionem? His, & pluribus aliis tam absurdis argumentationibus liber ejus solens peccat; & nihilominus ubivis insultat, ubivis sibi trophæa pollicetur, cui eam ob rem illud Horatii de Art. Poët. jure oggessero.

Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?
Parturiunt montes nascetur ridiculus mus.

(*a*) Diatr. pag. 165.

quadam acrimonia de me triumphum agere contendit. Verum, quia prorsus disparí quadriga vehitur; vereor, ut triumphus ejus raptus solummodo sit. Primum, fidei meæ bonitatem vellicat. (a) Lustremus, quam faustis avibus. Scripserat is in Dissertatione sua (b) de hoc nummo, isto verborum tenore: *Non quod hunc ab Ladislai obitu memoriæ causa Colomannus feriundum curavit; nec enim nummi - - exiguus modulus pro dignitate utriusque Regis futurus erat, sed quod vivo Ladislao Colomannus jam Hungariæ Rex a Patre designatus erat.* Pars posterior dictionis hujus ita ambigua est, ut ex ea Ladislaum pariter & Colomannum Authorem nummi hujus cogitare liceat: Sed si cum anteriore contendatur, mihi quidem etiamnum ad Colomannum referri debere videtur; nam prius dixit Noster, non esse nummum hunc *memoriæ causa* ab Colomanno cudi jussum: deinde mox subjungit, ideo cusum esse, quod Colomannus Hungariæ Rex designatus erat. Hinc scripsi (c) doceri oportuisse, quod nummum illum S. Ladislaus feriundum curarit; & id quidem omne, certo fide integerrima; & ille nihilominus ob hæc ipsa bonam fidem desiderat. Permisi etiam Eruditum Lectorem arbitrari, an recta sit isthæc illius argumentatio: exstat Nummus Ladislai, & Colomanni nominibus insignitus; ergo Colomannus, hoc enim Noster sagit, filius Ladislai erat: ergo Nummus ille ideo cusus erat, quia Colomannus vivo etiamdum Ladislao Rex Hungariæ designatus erat; ergo nummum hunc S. Ladislaus feriundum curavit. Ubi hic mala fides?

Utcunque autem id sit; etsi, quemadmodum in Critonem nostrum liberalis esse soleo, concederem, nummum illum ab Ladislao cudi jussum esse: etsi nummus ille indicaret Colomannum vivo Ladislao Hungariæ Regem designatum, proclamatum, coronatum fuisse: Nemo tamen, qui præposteræ crisi non vertitur, isthinc recte intulerit: *ergo Colomannus filius Ladislai erat;* nam, quamvis ille Ladislai ex fratre Nepos re ipsa fuerit; ea tamen omnia in ipsum cadunt, hoc est: vivo Ladislao ex Polo-

(a) Diatr. pag. 166.
(b) Dissert. suæ pag. 100.
(c) Dissert. meæ pag. 147.

Polonia revocatus erat Colomannus ejus Nepos; a Ladislao Hungariæ Rex designatus erat: ab Ladislao, sed solum ex liberali concessione nostra, eam ob causam nummus ille cusus erat, ut indicaret, Colomannum ab Ladislao ipso Regem designatum fuisse. Ain' adhuc e nummo hoc doceri Colomannum Ladislai filium fuisse? Jure proinde, meritoque visa, lectaque tam sterili Adversarii argumentandi ratione exclamavi, atque interrogavi: *Hem! quo abiimus?* in re vera enim hujusmodi Logicorum argutationes, ad quidlibet sentiendi pruritum relegamus. Igitur, quod alibi scripsi, hic repeto: prolatus nummus ad rem præsentem omnino nihil facit, licet ob sui vetustatem Nummophilacium Vitzaianum ornet.

Sed adhucdum obsistit Noster, producit videlicet duos alios nummos Belæ IV. & Andreæ II. in hoc Bela IV. in illo Stephanus V. Patribus filii conjunguntur. At, at Lippo, & Tonsori exploratum est, Andreæ II. Belam, & Belæ IV. Stephanum filios fuisse: adeoque nummi isti rem alioquin certam certiorem faciunt. Quis vero veterum Colomannum Ladislao filium tribuit? nemo unus: imo jam alias clarissime probavi, Ladislaum absque Hærede decessisse: proinde Colomannus illius in Regno successor, filius Ladislai esse non poterat. Unde rursum nervis luxatum argumentum Nostri est, dum ab istis nummis ad illum digressionem facit. Profecto, si nobis tam certo constaret, Belam IV. non filium Andreæ II. sed ex fratre Nepotem fuisse, ut id nobis de Colomanno, & Ladislao constat; nec ex Andreæ nummo extunderetur, Belam inter ejus Liberos locum habere. Sicut eam ob causam, quod Blancus (a) nummum nobis exhibeat nomine Ludovici Regis Germaniæ, & Caroli Regis Franciæ insignitum; non recte quis intulerit hunc Ludovicum Patrem fuisse Caroli, aut Carolum Ludovici, qui fratres erant, & filii Ludovici I. Pii Imperatoris, quorum ille Germanici, iste Calvi cognomina sortiti erant. Pariter quemadmodum ex altero nummo, itidem a Blanco prolato, qui refert nomina Caroli, & Ludovici, non recte arguitur, ex iis alterum filium, alterum

(a) Blanc. ad pag. 136.

Patrem esse; Ludovicus enim III. Balbus dictus, cujus iste nummus est, filius fuit Caroli Calvi, Carolus vero III. Crassus cognominatus, filius fuit Ludovici Germanici, adeoque duorum fratrum filii fuere; (a) ita ex eo solo, si cætera adminicula desint; quod in re Nummaria Domestica bini nummi ostendantur, alter Belæ IV. & Stephani V. alter Belæ IV. & Andraæ II. nominibus insignes, non rite concluditur: ergo Bela IV. Stephani V. & Andreas II. Belæ IV. Patres erant: ampliora ad id requiri argumentta non ignorant Viri eruditi. (b) Quamvis itaque verum esset, quod hunc nummum Ladislaus feriundum curarit, inde tamen nihil aliud efficitur, quam quod vivo Ladislao Colomannus Rex Hungariæ designatus fuerit: ob quod nemini bellum movebo, neque enim id pertractandum suscepi.

In re autem vera, magis congruit veritati, nummum illum ab Colomanno cudi jussum esse; plane enim incredibile est, nummum hunc a S. Ladislao signatum fuisse Colomanni causa, utpote qui profugus in Polonia delituit, nec nisi paucis ante mortem diebus a S. Rege gravi, ultimoque morbo adflicto, missis nuntiis Marcello Presbytero, & Petro Comite (c) revocatus est. Ad hæc *Beatus Ladislaus*, verba sunt Joannis de Thurocz, *sic ordinavit, ut post ipsum Almus regnaret, qui sincera simplicitate ductus, honoravit fratrem suum Colomannum, præferendo ipsi Coronam Regni, tanquam cui jure Primogenituræ videbatur com-*

(a) Qui plura hujusmodi nummorum exempla habere vult, adeat Joann. Vaillant. Numism. Impp. Rom. edit. Romanæ MDCCXLIII. Domin. Magnan. Miscell. Numism. edit. Rom. MDCCLXXIV. Jac. de Bie. Numism. Aur. edit. Berolini MDCCV. Jac. Oiselii Thesaur. Numism. edit. Amster. MDLXXVII. & præsertim Numismata Cimelii Cæsarei Regii Vindobonensis, edit. Vien. MDCCLV.

(b) Hinc colligat D. Cornides, an satis scite pag. 87. scribat, in Nummis, quibus duo quidem diversa sunt nomina inscripta, neutrum tamen alicujus Sancti tutelaris est, nomina Patris, & Filii exprimi semper. Isti duo nummi id manifeste falsum esse revincunt. Nam nec Ludovicus Rex, nec Carolus, Sancti tutelares erant, nec alter alterius Pater, sed ambo ejusdem Patris Ludovici Pii filii erant; & tamen in uno eodemque nummo comparent. Similiter nec Ludovicus III. nec Carolus Crassus Sancti tutelares erant, nec alter alterius Pater, sed duorum fratrum filii, & nihilominus utriusque nomen, in uno eodemque nummo visitur. Quis jam sanus probet palpabilem D. Cornides confidentiam? verius declamatoriam dictionem, quæ ad imponendum Lectoribus protrusa esse videtur.

(c) Joan. de Thurocz. Chron. Par. II. Cap. LIX.

competere. Si itaque pauculis ante mortem diebus S. Ladislaus Colomannum e Polonia revocavit, & tum, cum jam cum morte conflictaretur: quando, quæso, laudatum nummum Colomanni cauſa feriundum curavit? Si Ladislaus morti proximus Almum ſuum ſucceſſorem deſignavit, fierique voluit, quomodo nummum illum Colomanni cauſa procudi fecit? quomodo nummo iſto indicare conatus eſt, Colomannum ab ſe Hungariæ Regem deſignatum eſſe? Hoc equidem quantumcunque cupide elaboret Crito noſter, ſane nemo ſobrius crediderit.

Statuendum igitur omnino eſt, nummum illum ab Colomanno, cui pariter, & univerſæ Hungaræ genti, ex quam plurimis indiciis cognitum, quam quod maxime erat: Ladislaum ſanctiſſimum Regem fuiſſe, memoriæ, ac venerationis ergo S. Ladislai nomine ſignari juſſum: quod utique & in Patruum ſuum ſanctitate conſpicuum gratitudo, & indigenarum honos, pietasque expoſcebat: exiſtimavit videlicet, ſe Patruum Ladislaum, rerum geſtarum magnitudine, vitæque probitate celeberrimum, nullo pacto melius oblivionis injuria liberaturum, quam ſi nomen, vultumque ipſius auro, & argento expreſſum perenni monetæ beneficio poſterorum oculis ſubjiceret. Valuit exemplum Colomanni ad ſucceſſorum Regum animos excitandos: hinc factum erat, ut inde a Sæculo XI. quo Colomannus ad ſolium ſublimatus eſt, uſque ad exitum Sæculi XVI. Reges Hungariæ uſualem Regni monetam, S. Ladislai effigie, atque nomine ſignatam continuata ſerie, ſi Sæculum XIII. de quo nihil compertum habeo, demas, feriundam curarint. *(a)* Et cur, oro, id tam ſolerter exequuti ſunt? ſane non aliam ob cauſam, quam

(*a*) Habemus nummos aureos Ladislai effigie, & nomine ſignatos, quos Reges Hungariæ procudi curarunt, videlicet Ludovicus I. Maria, Sigismundus, Albertus, Uladislaus I. Joannes Hunniades, Ladislaus V. Poſthumus, Mathias Corvinus, Uladislaus II. Ludovicus II. Ferdinandus I. Joannes de Zápolya, Maximilianus II. Rudolphus II. Horum omnium Regum, æri inciſos nummos aureos exhibet Mellenius Lubecenſis in ſerie Regum Hungariæ e nummis aureis deducta: quibus nos nummum Colomanni argenteum, qui ſub finem Sæculi XI. & initium XII. regnavit, addimus. Et quidni hi omnes egregium Colomanni Regis exemplum æmulaturi, eandem ob cauſam effigie, & nomine S. Ladislai Regis monetam ſignari fecerant? quo videlicet ſanctiſſimi, pariter & victorioſiſſimi Regis memoria, atque veneratio perpetua, ſemperque præſens foret, neque tamen propterea hos nummos memoriales, niſi deſipimus, dixerimus.

quam ut apud Hungaram imprimis nationem S. Regis memoria, atque veneratio perennis evaderet. Unde vehementem mihi injicit admirationem, quod Adverſarius propterea magna verborum contumelia me evocare non vereatur. Scribit (a) etenim de me in hæc verba. *Id unum ei in aures dictum velim: Nummos Memoriales ævo medio nulli omnino cognitos, & Sæculo primum XV. cudi cæptos eſſe, quod ex iis, qui rem nummariam medii ævi a limine ſalutarunt facile intelliget.* Proletarius ſermo! Et ubi ego dixi, ſcripſi, affirmavi, productum nummum *Memorialem* fuiſſe? hoc eſt: quod is ob patratum quodpiam egregium facinus, aut ob rem quampiam ſolenniter, feliciterque peractam cuſus ſit. Adeat lector mea, & videat, atque æſtimet præclaram Critonis noſtri fidem. Id ſolum exploratis rationibus ajo, nummum hunc memoriæ, & venerationis ergo cuſum eſſe. Hoc autem nemo, ſi modo ceritus non ſit, negaverit; quae enim, omnibus precibus peto, cauſa eſt, quod Hungariæ Reges quinque Sæculorum intercapedine S. Ladislai effigie, ac nomine monetam ſignaverint? nullus certo aliam proferre potis eſt, quam ut hac via etiam memoriam ſui Sancti Regis nummis tradant, eorumque ope in παίδας παίδων propagent. An propterea tot ſæculorum nummi *Memoriales* dicendi ſunt? Iſtud equidem nemo, quamvis helleboro ſe referſerit, dicet; quoniam & Doctoribus de trivio cognitum eſt, nummos illos ex uſitata Regni moneta fuiſſe. Quid igitur Critoni noſtro callido, & ad fraudem acuto faciam? audet enim ſententias meas tam abſone frangere, & quæ ne per ſomnium quidem vidi, mihi falſo appingere: adduxit nimirum jam in conſuetudinem, obtuſis ejusmodi telis pugnare, cum acriora deſunt.

Tale eſt illud quoque, quod eodem loco inſigni cum falſimonia jacit, videlicet a me affirmari, nummum illum Colomanni non ex uſitata Regni Moneta fuiſſe. Id ſane ego nuſpiam: imo ſumpto ex Mathiæ Regis nummo aureo argumento, diſertis verbis iſthæc ſcribo: *Eccur Colomannus - - nummum illum Vitzaianum, ac alios - - qui una uſitata Regni Moneta eſſent, S. La-*

(a) Diatr. pag. 167.

Ladislai nomine ſignare nequiviſſet. Itaque non negavi, quin potius perſpicue affirmavi, hunc nummum ex uſitata Regni Moneta fuiſſe. Arbitrerur jam æquus Lector, quam immerito me Author Noſter adſpergat infamia, quamque veritatis, imo & humanitatis diligens ſit? utpote, qui deviis itineribus intentus, adeoque frequentes, eaſque coronatas falſimonias, vel in una pagella enormi temeritate obtrudere audet. Ita nempe ſolent, qui Herculis Cothurnos, ut ſic dicam, umbraticis pedibus contumacius adaptare conſveuerunt. Nondum tamen graſſari deſinit; nam ipſa eadem pagina, rurſum falſimonias falſimoniis cumulat, & calumniis ſutelas ſubtexit, ita enim in me ludit: *Quid hoc Critico faciam? (a) Theologumne an Nummophylum? neutrum, etſi percupiam, hoc quidem loco poſſum.* Utor ego hic Democriti regula; rideo enim anilem hanc dicacitatem, non fleo. Quid enim mea refert, quemadmodum ſui ultra modum omnem ſtudioſus amanſque Judex declamet, quem neque corrigere, nec ad recti decorique tramitem reducere poſſum, ſi velim; neque magnopere velim, ſi poſſim: & præterea confido fore, nomen meum tantum abeſt, ut minuere illius judicium debeat, ut etiam augere; eſt enim argumentum recti, tali Critico diſplicere. Tamen dic Sodes, unde iſta? Explicabo ego, quid hoc de genere ſenſerim: ac quomodo ille meam frangat, abjiciatque ſententiam, compendio perſequar.

In Diſſertatione mea (b) uſus eram ſimilitudine Nummi Mathiæ Regis ad Nummum Colomanni Regis, quorum uterque nomine Ladislai inſignitus eſt: adeoque ſicut Mathias memoriæ & venerationis cauſa ſuum, ita Colomannus quoque, ſeriundos curarunt. Oppoſueram deinde mihi differentiam, quæ inter utrumque cogitari poteſt; Nam ætate Mathiæ Regis

(a) Dicam ego, quid faciat. Pugnet argumentis & ratione, pugnet judicio & temperantia: & ſi ſibi adverſum ſentientem exerraſſe putat, corrigat modeſte, & frugaliter, reducat ſvaviter & urbane, memor illius, quod Hypocrates Lib. VI. Epidem. ſcripſit. *Nihil temere, nihil inconſiderate,* ego addo: *nihil falſe*; iſta enim mirum quantum exiſtimationem illi obterunt, quia convitiis, calumniis, technis,& fraudibus bellare anus, & plebs infima norunt.

(b) Diſſert. meæ pag. 145. & 146.

Ladislaus ſolenni forma inter Divos relatus erat, ac ideo Mathias ejus memoriæ, & venerationis cauſa nummum cudi facere tuto poterat: non item Colomannus, cujus tempore Apotheoſis Sancti Regis necdum peracta erat. Huic autem objectioni taliter ſatisfeci: Etſi poſt Colomanni ætatem Ladislaus Sanctis ritu publico accenſus ſit, quia nihilominus Colomanno, & univerſæ Hungaricæ Genti Sanctimonia Ladislai, & miracula, quæ patravit, cognita erant; ea propter poterat S. Regi cultum venerationis exhibere. Nam etiam Pergamius honoribus S. Antonii Abbatis, quem Deo acceptabilem Confeſſorem eſſe noverat, ædiculam ædificavit: & Diſcipuli S. Ephremi lacinias ſuſtulerunt, coluerunt que ante, quam hi duo Patres in Sanctorum Syllabum Eccleſiæ judicio referrentur. Et hoc eſt grande illud meum in Theologiam, & rem Nummariam peccatum, cujus cauſa Panhypercriticus Noſter me altiſona ſententia, e Theologorum pariter & Numophylorum contubernio ejicit, exturbat, eliminat. Audiamus ipſummet, poſt paulo ante recitata verba, iſta ſubnectit: *Non Theologum, quod iis temporibus, quibus Ephrem & Antonius vixerunt, Canonizationis ſolennia non obſcure videatur affigere: non Nummophylum, quod miro raptu in Ægyptum, & Syriam ad Eremi incolas, Nummorum ſi non ignaros, certe non cupidos transfertur, ut Nummum Memorialem Ladislai honoribus juſſu Colomanni cuſum fuiſſe evinceret.* Hei mihi! ecce a latere, & tergo, undique extrorſum fluctus & ſaxa ſunt. Neceſſitas igitur, & nuſpiam effugium, quia atrociſſima ſententia in me lata eſt. At enim omnino ſecuros reddo Lectores, immodicam hanc Doctiſſimi Authoris Noſtri Declamationem, omnes ineptias ſuperare. Id certiſſimis argumentis evincam.

Falſe mihi Adverſarius appingit, quod ſolennia Canonizationis ad ætatem Ephremi, & Antonii adfigam.

Tres in hac ejus brevi, ſed oppido virulenta ſententia, falſimoniæ, nolo enim dicere: impoſturæ, occurrunt. Nam *Imo* nuſpiam Canonizationis ſolennia ad ætatem Ephremi, & Antonii affigo; etſi enim affirmem, a Pergamio honoribus S. Antonii ſacram ædiculam erectam eſſe prius, quam is in Sanctorum numerum ſolenni ritu referretur: hinc tamen inferre Canonizationis ſolennia ætati S. Antonii a me non obſcure affigi, certo nugari eſt: imo potius affirmo, tempore ſtructæ ædiculæ, hoc eſt, poſt mortem Antonii, hunc non fuiſſe inter

San-

ctos authoritate Ecclesiæ relatum; adeoque ætati Antonii, idem sit de Ephremo, Canonizationis solennia qua ratione affigo? sane, etsi nostro primum sæculo Antonius inter Divos referretur; mea sententia verissima manet, certum enim manebit, prius ædiculam ejus honoribus erectam fuisse, quam is inter Sanctos ritu solenni reponeretur. Itaque dum id scripsi, nihil aliud indicavi, quam quod Pergamius ex privata in Antonium, cujus sanctos mores noverat, devotione, illius honori sacram ædem exstruxerit, quanquam tum adhuc authoritate publica necdum fuerit uti Sanctus cultus. Hæc, qui sobrie cogitare norunt, facile intelligent; tanto firmius, quod eodem plane loco, unde Adversarius hanc suam male subactam animadversionem sumit, exserte hæc scribam: *Incertum admodum est, quo præcise tempore Sanctorum Confessorum cæperit cultus in Ecclesia. Ad Sæculum IV. plurimi referunt;* quæ sola sufficere possunt, ad elidendam omnem illius criminationem. Itaque absque ambagibus affirmavi, incertum esse, quando cultus potestate publica decretus, de hoc enim hic sermo est, Sanctis Confessoribus deferri cæperit: & id authoritate Benedicti XIV. Papæ tuitus sum. Et nihilominus non erubuit Noster scribere, a me solennia Canonizationis ad ætatem S. Antonii non obscure affigi. Si ego id admodum incertum esse non obscure fateor, non video sane, qua fronte dici possum, id ipsum ad certum, & determinatum tempus affigere. Ita Noster ex se fingit, velut araneus. Cæterum: lubet mihi Adversarium liberalitate rursum securo ictu configere. Largior enim tantisper, ritum solennem, quo Sanctis publicus honos decernebatur, ad ætatem Antonii a me defixum esse: an ob id e numero Theologorum proturbandus eram? minime gentium. Nonne enim liquidis verbis indicavi, solennem hujusmodi ritum Benedicto XIV. ad quem remisi Lectorem, teste, *ad Sæculum IV. plurimi referunt.* Atqui S. Antonius Magnus post medium ejusdem Sæculi IV. hoc est: anno CCCLVI. obiit. Igitur, si plurimi ritum talismodi ad Sæculum IV. referunt; ego si ad ætatem Antonii eundem Ritum affixi, utique ad Sæculum IV. affixi, & plurimis Theologis consensi: Adversarius autem insigniter hallucinatur, & perperam furit. Satine hoc etiam clarum? Hic Rhodus, hic saltus! Ritus porro solennis, quo Confessores inter Sanctos re-

ferebantur prioribus naſcentis Eccleſiæ ſæculis dupliciter peragebatur, videlicet: vel Decreto Epiſcopi pro ſua Parochia: vel communi populi veneratione. Utrumque prævertit Pergamius, & ex privata erga Antonium devotione ejus honoribus ſacram ædem exſtruxit. Proinde veriſſimum eſt, a Pergamio honoribus S. Antonii ſacram ædiculam erectam fuiſſe *prius, quam is in Sanctorum numerum ſolenni ritu referretur:* id eſt: prius, quam illi ſeu per Epiſcopum cultus publicus decerneretur, ſive communi populi conſenſione conſtabiliretur. Hæc, ſi Pantocriticus noſter in Hiſtoria Eccleſiaſtica, quæ Theologiæ pars eſt, paullum profundius verſatus eſſet, non ignoraret, certo ignorare non debebat.

IIdo. Falſimoniam involvit, quod in Ægyptum, & Syriam ad Eremi incolas nummorum, ſi non ignaros, certe non cupidos me transferam. Hoc quo valet? niſi me omnia fallunt, videtur innuere velle, illis Eremi Incolis, Antonio, & Ephremo a me propinatos eſſe nummos, aut ſane ab illis mutuo levatos. Utrumque ineptiſſimum commentum, ſeu luſus levidenſis eſt. Ad liquidum paulo ante deduxi, quorſum ſimilitudine ab Ædicula S. Antonii honoribus erecta, & laciniis S. Ephrem evadere conatus ſim, videlicet, promam id verbis, quibus in Diſſertatione mea uſus eram: *Poterat Pergamius honoribus S. Antonii Abbatis, quem Deo acceptabilem Confeſſorem eſſe noverat, ædiculam ædificare, & quidem prius, quam Antonius in Sanctorum numerum ritu ſolemni referretur: poterant Diſcipuli S. Ephrem lacinias tollere, & veluti ſacras quaſpiam Reliquias colere - - Eccur igitur Colomannus, cui, una & univerſæ Hungarorum genti per Miracula cognitum quam quod maxime fuit: Ladislaum Sanctiſſimum, ac undique Marianum Regem fuiſſe, eccur, inquam Nepos ejus, & in Regno Succeſſor Colomannus eisdem de cauſis, e quibus Pergamius, & S. Ephrem Fratres, ex quibus item Mathias Rex, venerationis ergo Nummum illum Vitzaianum, ac alios majores, & aureos, qui una uſitata Regni Moneta eſſent, S. Ladislai nomine ſignare nequiviſſet? imo, ut ſignari curet, & in Patruum ſuum ſanctitate conſpicuum gratitudo, & indigenarum honos, pietasque expoſcebat.* Poteſtne his aliquid clarius eſſe? & nihilominus nugax noſter audet ſcribere,

bere, quod me ad Eremi incolas, pecuniæ ignaros, aut non cupidos miro raptu transtulerim. Mirum potius ego Critonis noſtri hoc loco raptum miror, utpote, qui idmodi miſerabilibus gerris, bullisque, multum opinionis, quin animadvertat, apud Viros eruditos, & ultra plebem ſapere ſcientes, perdit.

IIItio. Omnino falſum eſſe jam ſuperius probavi, quod nummum illum juſſu Colomanni cuſum, *Memorialem* evincere contenderim. Ex his perſpicuum fit, tum, quæ fides, quæ moderatio, & criſis inſideat Authoris noſtri animo; tum quanta malignitate in me incurrere ſoleat. Veniam autem dabit Lector, quod illum per tam aſpera convitiorum ſenticeta, & urticeta ducam. Semel hac moleſtia defungendum erat.

Ejus graves aberrationes in re nummaria.

Vidimus falſimoniarum, atque calumniarum, quas in me ex occaſione nummi Colomanni Regis Adverſarius procaciter jactat, congeriem: vidimus, quam oppido leviter, & perperam me a gradu Theologorum *(a)* & Nummophylorum depellat. Videamus jam etiam ſpiſſos, quos in hoc ipſo argumento errat errores. Ait: *Nummos Memoriales ævo medio nulli omnino cognitos, & Sæculo primum XV. cudi cæptos eſſe,* πλασματώδης λόγος, ὁ πεπλασμένος, & enormiter hiat; præterquam enim, quod Crito Noſter non optimam medii ævi cognitionem habere ſe prodat, ſibique minime conſtet; inſuper falſiſſimum eſt, *Nummos Memoriales ævo medio nulli omnino cognitos* fuiſſe. Id jam ad lucem deduco. Cellarius, *(b)* ut non vulgaris eruditionis eſt, hæc ad nos transmittit: *Accedit Doctiorum loquendi conſvetudo, qui illa medii ævi vocant, quæ in barbara Sæcula inciderant, aut ab illis abfuerunt propius. Accomodatius ergo facturi videmur, ſi Antiquam*

(a) Hæc talia arbitrari, vix ac ne vix quidem Cl. Pray poteſt; ideo judicium illius deſpicio. Duæ celeberrimæ Univerſitates ſunt locupletiſſimi teſtes, quantumnam in Schola Theologorum progreſſus fuerim? in earum altera rigidiſſima Scientiæ tentamina ſubivi, cum conſequuta Doctorum approbatione: in altera Magiſter Theologiæ ſolenniter creatus eram. Quid ſi ego talia a Critone noſtro exigerem? ne quidem Philoſophicum palliolum nobis producere poſſet: & tamen adeo audacter inſultat.

(b) Cellar. Hiſt. Univ. Præf. edit. Altenb. MDCCLIII. idem eruitur ex Eccardi Scriptoribus medii ævi: imo ſi operis Titulum inſpiciamus, uſque ad exitum Sæculi XV. medium ævum referre videtur.

quam ad Constantinum Magnum: Medii ævi Historiam ad Constantinopolis expugnationem: Novam denique ad nostra tempora deducamus. Illa complectitur universam gentilitatem; Media temporibus Imperii Christianorum Constantinopolitani continetur: nostra Novam regnantis orbis faciem, Rerumquepublicarum reformationem recenset. Scitum autem est, Constantinum M. regnare cæpisse an. CCCVI. atque e vita migrasse CCCXXXVII. notum pariter est, ab Mahomete II. Constantinopolim expugnatam, Constantinum Palæologum, ultimum Græcorum Imperatorem obtruncatum, & Orientale Imperium Turcarum potestati subjectum fuisse anno MCCCCLIII. (a) Perspicuum igitur est apud Eruditos, *medii ævi* nomine omne illud tempus venire, quod inter annum CCCVI. & MCCCCLIII. interjacet; hoc est: a Sæculo IV. usque dimidium Sæculi XV. medium ævum obtinet. Id si Adversario cognitum fuisset, profecto adeo carioſæ Navi famam, nomenque suum non commisisset; si enim ultra dimidium Sæculi XV. medium ævum porrigitur: si item Sæculo XV. quod ille vult, Nummi Memoriales cudi cæperunt; quomodo, quæso, ævo medio nulli omnino cogniti erant? Hoc idem est, ac si diceres: Sæculo XV. Nummi Memoriales cusi sunt, & nihilominus eodem Sæculo XV. nulli omnino erant cogniti. Præstitisset sana discinctam epigraphen illam mihi in aurem non dicere, quam se tam absonis antilogiis implicare, e quibus nullus emergendi modus suppetit.

Et quia immitis Criticus noster me non solum e numero Nummophylorum propudiose ejicit, verum etiam ad eos, qui rem Nummariam Medii ævi a limine salutarunt, illiberaliter relegat, a quibus facile intelligam, Memoriales nummos ævo medio, nulli omnino cognitos fuisse: idcirco ut locum, etsi is noviſſimus sit, inter Nummophylos sortiar, nostroque palmares, quos dense errat errores, velut manu contrectabiles demonstrem, non abs re facturum me reor, si secundum temporum seriem, quantum ad medium ævum attinet, Nummos Memoriales etsi paulo copiosius, exhibeam. Id exequor.

Ja-

(a) Laonius Lib. VIII. Ducas. Cap. XXXIX.

Jacobus de Bie (a) producit nummum aureum majoris moduli, Conſtantii, & Conſtantis Imper. Theſſalonicæ ſignatum, cum hac inſcriptione: *Victoria Dominorum Noſtrorum Auguſtorum.* Cuſus is eſt in memoriam victæ Gentis Francorum; quod Sæculo IV. contigit. Idem (b) profert nummum aureum cum hac epigraphe: *ob victoriam triumphalem.* duo genii ingentem Coronam lauream ſuſtinent, in memoriam non Victoriæ ſolum, verum & triumphi. Vaillant (c) exhibet nummum Conſtantii Junioris, cujus inſcriptio eſt: D. N. Fl. *Conſtantius Aug.* ex parte averſa: *Debellatori Gentium Barbarar.* cuſus fuit in memoriam victoriæ de Thracia, Aſia, Oriente cum Ægypto, Magnentio Tyranno apud Murſam, reportatæ. Cæpit vero imperare Conſtantius CCCXXXVII. Circa nummos memoriales.

Sæculo V. Vaillantius (d) proponit nummum Honorii Imperatoris cum inſcriptione: *D. N. Honorius P. F. Aug.* ex parte averſa: *Triumphator Gent. Barb.* cuſus eſt, ob compoſitam cum Gothis pacem: ob debellatos item Tyrannos, qui Provincias illius Italicas uſurpabant. Mortuus eſt Honorius XV. Auguſti CCCCXXIII.

Sæculo VI. Harduinus edidit Trientem aureum Theodeberti Regis Francorum, in quo exſtat caput Regis cum inſcriptione: *D. N. Theodebertus C.* in poſtica parte viſitur Victoria ſertum tenens cum hac epigraphe: *Victoria ACCC. Dn.* hoc eſt: *Victoria Auguſti Domini Noſtri.* Nummo iſto, Sæculo VI. cuſo, Theodebertus perpetuam memoriam conſervatam voluit Victoriæ, quam in Italia de Oſtrogothis non ſui, ſed Juſtiniani Imp. gratia, nec pro ſe, ſed pro Imperatore feliciter obtinuit, a quo ad bellum iſthoc muneribus & honoribus invitatus, & aureæ monetæ ſignandæ poteſtate donatus erat. Vaillantius habet nummum Juſtiniani cum epigraphe: *D. N. Juſtinianus P. P. Aug.* in parte averſa; *Victoria Aug. G. G. A.* cuſus eſt ob Perſas ex Me-

(a) De Bie recenſente Havercampe Impp. Rom. Num. Aur. Tab. LV. num. II.
(b) Idem ibid. num. X.
(c) Vail. Num. Impp. Rom. Tom. III. pag. 247.
(d) Idem pag. 263.

Media & Syria per Belliſarium repreſſos: ob Romam a Gothorum manu vindicatam, Africam, pulſis Vandalis, Imperio aſſertam: ob interemptum per Narſetem Ducem Totilam Gothorum Regem. Obiit Juſtinianus DLXV. Blancus (a) Chlotarii Regis Franciæ aliquot nummos aureos in lucem emiſit. Inſcriptio averſarum paululum differt. Primus habet: *Victoria Gottica.* Secundus: *Victoria Chlotarii.* Tertius: *Chlotarii Victoria.* Quartus: *Victoriam Regis.* Quintus: *Victoria Chot - -* Sextus & Septimus: *Chlotarius Rex.* omnes autem *Memoriales* ſunt, & demonſtrant victoriam, quam a Rege Viſigothorum Amalarico anno DXXXI. & deinde DXLII. una cum fratre Childeberto reportavit; quod primus nummus exploratum facit. Devicit Chlotarius etiam Thuringos, Burgundiones, & Saxones: ſed hos populos minoris fecit, quam ut in nummis memoriam victoriæ de illis partæ conſecraret. Idem (b) aureum nummiſma Guntchramni Regis profert. In ejus antica eſt, protome Regis: in circuitu legitur: *Chunchanram Rex*: in poſtica cernitur Victoria. Teſtis hic nummus eſt victoriæ a Mummolo Duce, aliiſque de Longobardis relatæ. Obiit autem Guntchrammus anno DXCIII. (c)

Sæculo VII. de Bie (d) exhibet nummum Heraclii cum inſcriptione: *Victoria Auguſtorum.* Crux in baſi collocata eſt. Hoc nummiſma fuit cuſum in memoriam vindicatæ ab hoſte Hieroſolymæ, & Crucis Domini a Perſis recuperatæ. Blancus exhibet tres nummos, quorum alter effigiem Regis refert, & nomen *Dagobertus Rex.* Poſtica Crucem oſtendit, circa quam legitur: *Victuria O - -* Alter, eſt ferme eadem forma ſignatus, ut & tertius. Victoria, in cujus memoriam hi nummi percuſſi ſunt, illa fuit, quam de Vaſconibus reportavit Dagobertus, anno

(a) Blanc. Monet. Franc.
(b) Idem pag. 60.
(c) Fredegarius, & Aimonius Lib. III. Cap. XVIII. Eccardus quoque Rer. Franc. Lib. VII. exhibet, aliquot nummos aureos Childeberdi R. in Theſauro Regis Galliæ extantes, quos inter unus eſt in memoriam victoriæ Burgundicæ percuſſus, quam poſteriorem, cum Chlotario fratre ab Hiſpanis Viſigothis reportavit, anno DXLII. Chron. Victor. Tunun.
(d) De Bie l. c. Tab. LXIII. num. XII.

anno DCXXXVIII. mortuus. Idem publici juris fecit Nummum aureum, quem Bathildis Mater, cum Childericus Massiliam reciperet, quam ante Chlotarius ejus frater tenuerat, in veteris, & novi possessoris memoriam conservandam, feriundum curavit. In eo protome Regia comparet, cum inscriptione: *Childericus Rex*: in adversa extat Crux inter literas M. O. quæ Massiliam indicant: & in circuitu legitur: *Clotarius Rex* Bathildis in Monasterium Calense se recepit anno DCLXIV. & circa annum DCLXXX. e vita migravit. (a) Idem (b) producit nummum, in quo apparet imago Regis sine nomine: in aversa est Crux, & literæ VA. quibus victoria de Radbodo Frisonum seu Rege seu Duce per Pipinum anno DCLXXXIX. relata est. (c)

Sæculo VIII. Claudius Menestrierius (d) Nummum prorsus singularem, qui Lugdini Anno MDCLIV. effossus erat, delineavit, is literis Hebraicis bene multis circumscriptus est, quas Hermannus Hardtius latine reddidit. Extat in eo caput Regis Juvenis, oculis grandibus, & lætis, naso mediocriter aquilino, mento prominentiore, & Carolomannum dubio procul refert. Sperabant nempe Lugdunenses in publico Burgundionum Conventu, anno DCCLXX. celebrato, Privilegium quodpiam se impetraturos; idcirco hunc nummum captandæ benevolentiæ ergo in Carolomanni honorem fieri curarunt. De hoc nullus dubitaverit, si modo cum hoc nummo conferat sigillum hujus Regis, in quo frons, nasus, & os, crines item longiores cum effigie conveniunt. Non erat autem usualis præter multa alia, etiam ideo, quod ingentis magnitudinis sit adeo, ut ejus ambitus efficiat pollices geometricos novemdecim cum dimidio. (e)

(a) Vid. Mabill. & Pagium.

(b) Blanc. Tab I. num XXIV.

(c) Hanc Victoriam Gesta Francorum, & Continuator Fredegarii opinantur post annum DCXCV. partam fuisse. Sed errant. Nam Beda scribit Lib. V. S. Willibrordum in Frisiam venisse, *quam nuper expulso inde Radbbedo Rege caperat* Pipinus. Willibrordus in Frisiam venit DCXCI. igitur ante hunc annum illa victoria parta est.

(d) Claud. Menest. Hist. Civit. Lugdun. Lib. III. pag. 219.

(e) Claud. Franc. Menestrier. loc. cit. delineavit quidem nummum hunc, sed vitiose admodum exposuit. Herm. von der Hardt Orientalium linguarum

in

Sæculo IX. Annales Lojſeliani produnt, Carolum Magnum, cum Grimoaldo II. Duce Beneventano, prudentia Adolardi Corbejenſis Abbatis, & Proregis Italiæ, pacem feciſſe ea conditione, ut tributi nomine XXV. millia ſolidorum aureorum a Beneventanis ſolverentur. Id anno DCCCXII. contigit. Cudi fecit illos Grimoaldus, & in averſa circa Crucem legitur: *Doms Carlus Rex*, quo ipſo Carolum ſupremum ſui Ducatus Dominum publice agnovit, ac in memoriam conciliatæ pacis, tributi Monetam iſthanc Memorialem, atque una curſualem declaravit. De his Grimoaldi nummis Erchempertus (*a*) ſic habet: *In nummis ejus* (Caroli Regis) *nomen aliquamdiu figurari placuit.* Eckarthus (*b*) exhibet nummos. Unum in cujus antica legitur: *Carolus Rex Francorum*, in averſa: *Xpiſtiana Relicio.* In memoriam ejus cuſus erat, quod multos pro Religionis Chriſtianæ honore, & exaltatione labores ſuſceperit. Obiit autem Sæculo IX. Alterum, in cujus centro viſitur: *P. P. Greii*, hoc eſt: Papæ Gregorii, nomen: in alterius partis centro cernitur Monogramma: *Pius*, & circum extat ſcriptum: *Ludovicus MP.* ſive Imperator. Tertium, (*c*) in cujus medio legitur: *Roma*; circum vero: *Ludovicus Imperator*, in averſa parte in medio nomen Paſchalis Papæ. Iſte cuſus eſt, in memoriam pacis, & amicitiæ inter Paſchalem I. & Ludovicum Pium anno DCCCXXIII. compoſitæ. (*d*) Prior vero in memoriam ejus, quod Gregorius IV. cum filii contra Patrem Ludovicum inſurrexiſſent,

---

in Academia Julia Profeſſor inſcriptionem Hebraicam ærei iſtius nummi latine melius reddidit. Effoſſus is erat in domo Villani Canonici, & Præpoſiti Eccleſiæ Collegiatæ S. Juſti, quæ Breda audit, ac paulo infra Fourvieram, ſive Forum vetus ſita eſt, ubi olim Judæorum habitatio, & Synagoga fuit. Ne cui tamen annus in nummo expreſſus ſuſpicionem moveat, an nempe genuinus ſit? Sciendum, Judæos, ut Bartoloccius fuſe demonſtravit, æræ Chriſtianæ annos CCXL. quondam ſubtraxiſſe, ut eam dubiam redderent: proinde, ſi hi anni, illis DXXX. qui in nummo ex punctis, ſingulis hebraicis literis adpoſitis, eruuntur, addantur, prodibit annus æræ Chriſtianæ DCCLXX. quo Lugdunenſes Judæi in Conventu Burgundionum publico ſperarunt Privilegium aliquod ſe ſe a Carolomanno Rege, tunc Lugduni Domino, impetraturos. Quis vero, qui vel tantillum critirii poſſidet, negaverit, nummum iſtum *Memorialem* fuiſſe?

(*a*) Erchemb. Cap. IV.
(*b*) Eccarth. Rer. Franc. Tom. II. num. XXXV. pag. 93.
(*c*) Eccarth. ibid. num. XL. & XLI.
(*d*) V. Thegan. Cap. XXX. Annal. Laurish. h. a.

sent, armaque corripuissent, Conciliatoris partes an. DCCCXXXIII. egregie sustinuerit. (a) Blancus etiam (b) prodit nummum, Romæ cusum, in cujus antica cernitur effigies S. Petri, & circum legitur: *Benedict. P.* in postica parte est, manus ad juramentum erecta, inter Literas *R. O.* id est: Roma; & in circuitu scriptum est: *Ludovicus Imp.* mortuus vero is est anno DCCCLXXV. Vignolius edidit nummum, in quo exhibetur Monogramma: *Romæ*, & circum: *Carolus MP.* in aversa parte exstat Monogramma Stephani Papæ. Hunc in memoriam perfectæ in sedem Apostolicam venerationis Carolus cudi fecit: *Fuit hic Christianissimus Princeps*, verba sunt Rhegynonis, *Deum timens, & mandata ejus ex toto corde custodiens, Ecclesiasticis Sanctionibus devotissime parens.* (c)

Sæculo X. Idem Vignolius alios duos Ludovici III. alias IV. Imperatoris, ex Musæo Scyllæ in lucem emisit. In antica est Monogramma: *Romæ*, & circum: *Ludovicus Imp.* in

(a) V. Annal. Bertin. ad h. a. Thegan. Cap. XLII. Excerpta Epist. Schilteri ap. Mabill. Annal. Bened. Tom. II. Appen. Cap. LVI.

(b) Blanc. Monet. Franc. pag. 113.

(c) Adversarius de nummo Vitzaiano agens pag. 167. in Not. deridet me his leviculis verbis: *Mirum! ni Colomannus etiam Talleros jam cudi fecerit.* Scio sub nomine Talleri monetam majoris moduli longe post tempora Colomanni R. cudi cæptam esse; sed tamen ejusdem molis moneta etiam longe ante ætatem Colomanni cudebatur. Audiamus Woltærum in Spec. Hist. Gen. Tom. I. Cap. XI. loquentem. Is scribit, ætate Caroli M. monetam cusam fuisse ex argento, quæ pene similis erat Gallicis Talleris, cujus singula XX. XXII. vel XXIV. partem unius pondo appendebat: quod monetæ genus *sou d' argent* Gallica lingua dicebatur. Tandem jussu Caroli hæc moneta vigesimam partem unius pondo efficere debebat. Et hæc ejus Constitutio CC. annis perduravit, quo nempe temporis curriculo percutiebatur. Pondo vero argenti continebat XXIV. uncias, seu lothones. Proinde, ut ex pondere apparet, moneta talis, usque ad Sæculum XI. perdurans, modernis Talleris similis fuit. Sed & Sæculo XII. quo Colomannus regnavit, cudebantur nummi, modernis Talleris, & semitalleris amplitudine haud dispares. Adeat Adversarius Seelaenderi de medii ævi monetis librum Hanoveræ MDCCXLIII. impressum, & complures ejusmodi nummos videbit. Certe Ottonis Marchionis Brandeburgici, & Henrici Ducis Saxoniæ, & Comitis Palatini Rheni, qui eodem cum Colomanno sæculo vixerunt, nummi nostros Talleros æquant. Pariter Abbatum Fuldensium: Conradi, Aleholffi, Ruggeri, Henrici, Herimanni, & aliorum eodem Sæculo XII. percussi nummi, Talleris non dissimiles apud dictum Scriptorem non pauci visuntur. Videat jam Cl. Pray, quam inscite me derisérit, neque enim illum cum Grammaticis de nomine tricari velle autumo. Poterat Philosophus manere, si tacuisset: modo miserum Numophylum se probavit.

postica Monogramma: Benedicti P. Hic Ludovicus excessit e vita anno CMXII. Nisi forte nummus iste sit Ludovici Bosonis Regis Burgundiæ filii, quem quidem Scriptores Germani inter Pseudo Cæsares, Itali tamen, & hos secuti Galli, Imperatorum numero inserunt. Hunc Benedictus IV. Papa anno CM. coronavit, & in solennis actionis istius memoriam Ludovicus nummum procudi curavit. Migravit e vita anno CMXVI.

Sæculo XII. Heineccius (a) prodit communi nostro aureo nummum æqualem, cujus inscriptio in anteriore parte hæc est: *Otto Rex*, in posteriori: *Colonia Adolfus Eps.* Nummo isthoc Principes Germaniæ electionem Ottonis IV. Henrici Leonis filii, Comitis Pictavienſis, aut ut aliis placet, Aquitaniæ Ducis memoriæ consecrarunt. Eam ob causam vero, uti reor, Adolphi Episcopi Colonienſis nomen in eo visitur, quia is Ottonem electum Imperatorem corona incinxit. (b)

Sæculo XIII. Idem Heineccius (c) exhibet duos nummos, & alios tres (d) qui mole communibus Biflorenariis pares sunt. Hos erudite, ut solet, conjicit, esse Sæculi XIII. tum ob magnitudinem, & elegantiam, tum ob literarum formam isti Sæculo congruentem. Tres priores (e) Mnemonicos, sive Memoriales ille ipse vocat.

Sæculo XIV. Ad hoc sæculum referendus est nummus Heineccii (f) in cujus inferiori parte circulus Aquilam ostentat: inferiorem circulum eleganti schemate ambiunt mænia turribus quamplurimis distincta, quorum in medio eminet templum, ut verosimile est, SS. Simonis, & Judæ, quo ob reliquiarum copiam maxime ea ætate gloriabatur Goslaria Urbs: additæ sunt his Rosæ, & Stellæ, florentiorem Civitatis statum, cele-

(a) Heinec. Antiqu. Goslar. Lib. II. pag. 198.
(b) Marqu. Freher. Rer. Germ. Tom. I. pag. 364. edit. Argent. MDCCXVII. Meibon. Dissert. Apolog. pro Ottone Rer. Germ. Tom. III. pag. 120.
(c) Heinec. Nummi Goslar. Syll. Tab. I. num. IV. & IX.
(d) Heinec. ibid. num. XVI. XXIX. XXX.
(e) Idem pag. 10.
(f) Idem ibid. Tab. I. num. XXX.

celebritatemque notantes. Nummus iſte majoris moduli, & elegantior, ab Goslarienſibus percuſſus fuerit tum, cum Civitas a tempore ſuæ erectionis Sæculum V. complevit, id eſt: anno MCCCXXIV. Adeoque Memorialis eſt. (a)

Sæculo XV. Ad iſtud pertinet nummus aureus ingentis magnitudinis, Joannis Palæologi Conſtantinopolitani Imperatoris, filii Manuelis, apud Vaillantium (b) cum epigraphe græca exhibitus, eſtque maximi moduli, & extat in Muſæo Hetruriæ Ducis. Ingens hujus nummi moles, ac metalli pretium, non illum fuiſſe uſualem, verum Mnemonicum, certiſſimo probat. Joannes iſte cæpit regnare anno MCCCCXIX. deceſſit anno MCCCCXLV. (c)

Hæc prolixius, & velut continuata ſerie expedienda erant; vehementiſſime enim mihi diſplicet Authoris noſtri Dictatoria, & tantum non Monarchica ſcribendi ratio, qua tum etiam, cum a veritate alieniſſima ſcribillat, miro quodam auſu uti conſuevit. Liquet autem ex iſtis non ſolum generatim medio ævo, verum etiam per ſingula medii ævi ſæcula nummos memoriales cuſos fuiſſe, quod ex iis, qui rem nummariam primis labris deguſtarunt, facile noſter intelligere poterat; imo debebat etiam prius, quam mihi in aures non peritiſſime dicat: *Nummos Memoriales ævo medio nulli omnino cognitos, & ſæculo primum XV. cudi cæptos eſſe.* Mirum! ni ille in ſubterraneo Nicolai Climii Regno nummos Memoriales quæſiverit. Præclare deinceps agetur res cum Nummophylis.

(a) D. Cornides, quo magis a ſuo calumniarum Præcentore recedit, eo ſpiſſiorem errorem errat. Si mea recto judicio, ut Viros doctos decet, librare voluerit; pœnitebit illum nec dubito, eorum, quæ non ſatis ſcite, attamen plus, quam ſatis pompoſe chartæ illevit. Ea ſic habent: *Quod denique ad Numiſmata Mnemonica, hoc eſt, in memoriam alicujus eventus memorabilis, aut in alicujus illuſtris perſonæ honorem cuſa - - attinet, eâ - - Sæculum XVI. haud quaquam excedunt.* Ita ſane, attamen ille excedit omnem fidem, quin & modum.

(b) Vaillant. Tom. III. pag. 276.

(c) Hic ille eſt, qui ad Concilium Florentinum, cum Patriarcha ſuo, aliisque Græcis Patribus anno MCCCCXXXVIII. venit: a Pontifice Eugenio peculiari honore, & inſigni apparatu exceptus. Inſtaurata cum Eccleſia latina unione alterius anni menſe Julio Conſtantinopolim reverſus eſt. Fidem, quam in Concilio profeſſus eſt, conſtanter retinuit, multisque ejus amplectendæ Author extitit.

Item Aureos.

Neque illud dissimulare possum, quod Adversarius eodem loco in me garrit. Scripseram: *Quia non nisi unicus isque argenteus duntaxat, & exigui moduli nummus in manus Cl. Pray pervenit; concludamus, non fuisse plures majores, & aureos sub Colomanno cusos: id equidem neminem facturum existimo.* Ex his meis ille fastidiose subinfert: *Habemus igitur jam aureos nummos sub Colomanno in usu fuisse.* Nuspiam ego istud affirmavi. Verum, quia ille nummum Colomanni, quem in nummophylatio Vitzaiano vidit, non fuisse Memorialem, eo, quod is exigui moduli est, dixerat; idcirco ad subtilestam argumenti hujus vim ostendendam indicare volui, nihil esse posse, quo minus Colomannus alios majores etiam, & aureos cum eadem epigraphe feriundos curare potuerit, tametsi illi ad manus nostras non pervenerint; adeoque supervacuum esse Adversarii argumentum. Et quis cordatus probabit unquam hanc illius Logicam: Prayus, Colomanni exigui solum moduli, eumqe argenteum nummum vidit: ergo Colomannus, nec majorem, nec aureum cudi fecit. Huc duntaxat volui evadere: præscindendo, an Colomannus majores & aureos feriundos curarit? Cæterum; nolim noster sibi persuadeat, me operosius errorem, quem a me erratum esse, magno errore putat, excusare velle. Non est cur excusem, quod peccatum non est: illud solummodo ago, ut ostendam, ab illo sensum verborum meorum, ut fere ubivis, ita & hoc loco inique depravatum esse; utpote qui hactenus nunquam affirmaverim, Aureos nummos, & majores argenteos sub Colomanno Rege in usu fuisse.

Modo nihilominus exerte declaro, prorsus incredibile esse, sub Colomanno præter nummum istum exigui moduli argenteum, alios majores argenteos, ac etiam aureos cusos non fuisse, etsi tales injuria temporum ad nos haud pervenerint. Constat etenim sub id tempus a quamplurimis Europæ Principibus nummos majores & aureos percussos fuisse. Sperlingius (a) de his ita scribit: *Non enim solebant Bracteati ex ære mero signari, sed Sæculo XVI. etiam illud invaluit, cum hactenus*

(a) Sperling. de orig. Bract. pag. 32.

tenus non nisi in auro & argento mixto & impuro cuderentur, quibus Heineccius (*a*) subjicit: *Experientia sane docet, nummos Bracteales, quo antiquiores sunt, eo esse majoris ponderis, & argenti purioris.* Bracteatos autem Sæculo XII. quo Colomannus regnavit, in Germania passim cussos esse, erudite probat Heineccius: imo Tilemannus Frisius (*b*) in Legibus Salicorum, Francorum, Ripuariorum, Alamanorum, Saxonum, & Frisonum Bracteatorum vestigia notat. Olearius vero (*c*) nummum Balduini ex Sæculo VI. Aribonis ex Sæculo VIII. & Boleslai ex Sæculo X. omnes Bracteatos ad nos delatos esse putat. In Svecia & Dania Bracteati nummi multo prius, quam in Germania cudi cæperunt: jam inde ab anno DCCC. repetuntur (*d*) Ut ut id sit, illud omnino exploratum est, hujusmodi nummos Sæculo Colomanni passim in Europa cusos fuisse. Jam vero vidimus paulo ante ex Sperlingio, Sæculo primum XVI. invaluisse, ut Bracteati ex mero ære signentur, cum antea non nisi ex auro, & argento cuderentur. Id etiam ex Bircherodii (*e*) testimonio satis patet: *Quando*, inquit ille, *cæpit hoc Monetæ genus apud singulas Nationes? difficile dixeris. Haud paucis sane Sæculis Danis, & Cimbris illi concavi nummi fuerunt in usu: & sine dubio diu ante Christianismi tempora apud nos cæperunt, utpote & aureæ illæ lamellæ superius memoratæ ad concavos pertinent.* Dania autem ad fidem Christianam opera S. Anscharii Sæculo IX. traducta est.

Igitur ab initio Sæculi IX. usque ad exitum Sæculi XV. in Germania, Svecia, Dania, Bracteati ex auro, & argento cudebantur: apud Ripuarios item, Alemannos seu Svevos, Saxones, & Frisones. Præterea, nummi illi aurei Memoriales, quorum seriem supra exhibui, & e quibus complures una cursuales,

---

(*a*) Heinec. num. Syll. pag. 7.
(*b*) Tileman. Fris. Spect. Monet. pag. 89. & sequent.
(*c*) Olear. Suppl. I. Antiqu. pag. 9. & 14.
(*d*) Hos vide ap. Eliam Brenner. Thesau. numm. Svec. Gothic. Tab. I. II. III. Tho. Broder. Bircherod. Spec. Antiqu. rei Numariæ pag. 50. 56. 63.
(*e*) Bircherod. l. c. producit nummos Bracteatos Suenonis Esthritii, S. Canuti Olai filii Suenonis. Brennerus vero profert nummos Svecicos antiquissimos Biorni anno DCCC. Stenchilli CMXL. & Amundi MXIX. vigentium.

les erant, in Hiſpania, Francia, Italia, Belgio procuſi ſunt. Et Simeon Dulmenſis (a) de Anglicis teſtis eſt. Ex quo manifeſtum evadit, & antea, & Sæculo XII. omnes fere Europæ Principes auream Monetam ſignari feciſſe. Quis itaque erit adeo protervus, ne dicam vecors, ut inficiari pergat, Colomannum Hungariæ Regem, id facere non potuiſſe, aut non voluiſſe, vel non feciſſe, quod Daniæ, Sveciæ, Germaniæ, Hiſpaniæ, Franciæ, Italiæ, Angliæ, Belgii, Poloniæ, Saxoniæ, Friſiæ, Sveviæ, Orientis, & Occidentis Imperatores, Reges, Duces, Principes, Comites fecerunt? Quid? quod ipſe Crito noſter non obſcure fateatur Reges noſtros Sæculo XI. auream monetam cudiſſe. Poſtquam enim (b) ex Anonymi San-Blaſiani fragmento probaſſet, Adelhaidem S. Ladislai uxorem Giſelberto Abbati cum inſigni S. Crucis parte miſiſſe LXX. aureos; hujus vero mortem ad ann. MLXXXVI. adfigat, tum ſubjungit: *quod de LXX. aureis; ad ornandum S. Crucis Lignum ab Adelhaide tranſmiſſis anonymus iſthic memorat: qui an Byzantii, an domeſtici comatis, operæ pretium eſſet, in examen vocare.* Quam hæc belle prioribus cohæreant, quamque noſter ſibi egregie conſtet? luce clarius eſt. Nec obſtat quod Colomanni nummum aureum proferre nequeamus. Profecto, qui miſerandas Hungariæ converſiones vel obiter cognitas habet, id neque mirabitur, neque a nobis, ſi modo alicujus diſcerniculi ſit, exiget. (c) Prorſus idem ſentiendum

(a) Simeon Dulmen. Hiſt. pag. 231.

(b) Hier. Eccl. Par. II. pag. 89. in Not.

(c) D. Cornideſii præſidentem audaciam, quin potius temerariam hallucinationem, hic, etſi nolim, deteſtari debeo. Audet ille, & non ſimplici vice, quod ubivis eadem ad tædium uſque regerendo, pag. 81. ſcribere: *Conſtat inter omnes, nullam Principes Europæos usque ad medium Sæculi XIII. feriundam curaſſe monetam auream.* Ita ſane. Conſtat id omnibus illis, qui rei nummariæ medii ævi notitiam habent prorſus nullam. Rurſum pag. 83. *Bizantii unicum in Europa aureæ monetæ genus, usque ad medium Sæculi XIII. conſtituebant.* At, at evolvat, quæ hac de re ſupra retuli, & aureos in omnibus ferme Europæ Provinciis cuſos, plumbeo verborum ſuorum apparatu non prodigat. Si illi, quorum hactenus memineram, ad obtundendam oculorum aciem, ipſi non ſufficiunt, habeat plures: Cangius, & Mediobarda producunt nummum aureum communi noſtro majorem Theodeberti Regis Francorum. Blancus pag. 78. num. II. Ebramni Chlotarii Regis filii nummum aureum ſub annum DLXI. cuſum profert. Item Chariberti Regis ſex nummos aureos, quorum tres Trientes, & alii ſolidi ſunt. Item Merovei Principis, omnes Sæculi

dum est de moneta argentea majoris moduli. Joannes Magister de Thurocz (a) de Bela I. Rege scripsit: *Fecit fabricari nummos magnæ monetæ ex purissimo Argento.* (b) Cur igitur id ipsum Belæ nepoti perfricta fronte negemus? certe, nulla prudens in obversum ratio occurrit. Insultet jam per me licet, Adversarius: ast æquius de me judicium spero ab iis, qui munda statera librare solent.

Perspicue, ni me nimium amem, ostendi, non me prorsus ita ignorantem rei nummariæ esse, ut Adversarius his Sacris

culi VI. Bouterovius exhibet Sigeberti Regis nummos aureos octo, quorum quatuor Sigeberto I. reliquos quatuor Sigeberto II. Sæculo VII. cæso, tribuit. Horat. Blan. in not. ad Paul. Diac. Hist. Longobard. Agilulfi Regis Longobardorum: item Theoderici Regis nomine signatos, duos nummos aureos adfert: in hoc autem errat, quod illos Theoderico I. tribuat, cum sint Theoderici II. illum enim Officinam Monetariam non habuisse constat. Item Brunechildis Reginæ ex Nummophylacio Regis sumptos. Item Chlotarii Regis aureos nummos tres; sed Chlotario I. tribuit, quos secundi fuisse facile probari posset. Item Clodovæi II. & Childerici II. Hi omnes ad Sæculum VII. pertinent. Eccarth. Rer. Franc. Tom. II. Lib. XXVIII. pag. 330. Ludovici duos aureos nummos in lucem emisit. Idem pag. 445. nummum aureum Lotharii Imperatoris, qui nostros fere duos æquat, appendit enim grana CX. Hi ad Sæculum IX. referuntur. Le Blanc. pag. 147. ex Charta anni MLXVIII. docet, Francos aureos tum jam cusos fuisse. Diplomatis verba sunt: dimisit *septem solidos Parisienses supra dictam domum, pro pretio quatuor Francorum auri.* Jungat jam hos nummos aureos illis, quos superius recensui, & animadvertet ævo medio, hoc est: ab Sæculi IV. initio continenti ordine nummos aureos in omnibus fere Eruropæ partibus cusos fuisse: sed & nimiam audaciam, confidentiamque suam demirabitur. Quis unquam audivit, rem aperte falsissimam tam ingenti verborum pompa, tanquam certissimam legentibus proponere? *Constat inter omnes*, inquit ille, *nullam Principes Europæos usque ad Medium Sæculi XIII. feriundam curasse Monetam auream.* Rursus: *Byzantii, unicum in Europa aureæ Monetæ genus, usque ad medium Sæculi XIII. constituebant.* Mirum! ni ille Italiam, Franciam, Hispaniam, Germaniam extra fines Europæ collocarit: aut has omnes Provincias Byzantii muris inclusas fuisse sibi persvaserit, quia præter Byzantios, nulli alii, aut alibi, quam Byzantii nummi aurei percussi sunt. Ita sibi Bonus ille eripitur.

(a) Mag. Joan. Thurocz, Chron. Par. II. Cap. XLV.

(b) Hinc videat D. Cornides, quam gravi hallucinatione pag. 84. de Moneta argentea scribat: *Ea ad Sæculi XIII. exitum fere non alia obtinuit, quam moduli exigui e tenui lamella signata constans*, cum tamen Bela I. sub medium Sæculi XI. nummos magnæ Monetæ ex purissimo argento cudi fecerit. Relegat attente, quæ scripsi, & plures argenteos nummos majoris moduli reperiet. Unde frustra pag. 85. fascinum, & gloriolam ostentat; videlicet, ab se nummophylatia, & plurima, & instructissima, curiosius perlustrata fuisse. Certe, in plurimis, & instructissimis nummophylatiis nummos argenteos detegere poterat, si ea curiosius investigasset: sed forte solo duntaxat argenti fulgore oculos pascebat, aut ad forulos propius accedendi copia illi defuit.

haud rite initiatus, arbitratus est: restat, ut doceam etiam e subselliis Theologorum me indignissime depulsum esse. Id prius, quam facio, in optima forma palam declaro, me meritissimis Collegis meis, in Theologia Magistris, nihil præjudicii inferre velle, quod cum iniquo Accusatore, ad hos scientiarum, & honorum gradus non promoto, disceptatione contendam: animum duntaxat ad cavendum intendo. Ratio, cur Pantocriticus Noster me e serie Theologorum exturbat, hæc est: quia iis temporibus, quibus Ephrem, & Antonius vixerunt, Canonizationis solennia non obscure videor adfigere. Id quidem, uti docui, falso mihi tribuitur. Verum sit ita; Canonizationis solennia ætati SS. Antonii, & Ephrem hoc est Sæculo IV. modo affirmate affigo. Quid tum postidea? Theologus Doctissimo Judice nostro dici non possum. Lubens e Theologorum numero excludi me patiar, si assertionem meam perspicue non probavero: ast quia tam libertalis sum, una posco, ut si ab adverso omnino imperitam esse Critonis nostri censuram ostendero, illum Eruditi pariter, & æqui Lectores agnoscant inter Theologos locum habere haud posse; quamquam id suapte consectaneum est.

Et in rebus ad Theologiam pertinentibus.

Itaque: S. Antonius Magnus natus est anno primo Decii Imperatoris, mortuus anno XIX. Constantii Imperatoris, (a) vixit ann. CV. (b) S. Ephrem Edessenus Diaconus e vivis excessit sub Valente Imperatore. (c) Igitur utriusque obitum ad Sæculum IV. de quo nobis lis est, dubio procul referre oportet, adeoque inquirendum restat: Utrum Canonizationis aliqua vestigia, hoc Sæculo, vel etiam prioribus exstent?

Prius de Martyribus agendum. Martyres alii *Designati*, alii *Consummati*, sive *Coronati* & alii *Vindicati* dicebantur. Ad rem nostram tertium Martyrum genus pertinet; isti enim sunt, quibus

---

(a) Chronic. Eusebii, quo usus erat Gregorius Turonensis Hist. Fran. Lib. I. Cap. XVIII. Baronius hac de re erronee scripsit, deceptus Chronico Eusebii depravato, quo usus erat.

(b) V. Vincent. Spec. Exempl. Lib. XIV. Cap. XIV.

(c) Hier. in Catal. Illus. Eccl. Script. Cap. CXV. V. S. Ephrem vitam ap. Lipoman. Lib. V. Vit. S. S. Surium Tom. I. ex Metaphraste.

bus Ecclesiastico judicio cultus fuerat delatus. De his intelligenda sunt antiqua monumenta, cultum erga Martyres, eorumque reliquias præseferentia, ut Epistola Smirnensium ad Ecclesias Philomilii, & Ponti de cultu erga S. Polycarpum (a) Acta S. Ignatii Martyris, (b) quibus consentiunt Tertulianus (c) Cyprianus (d) aliique. Quare primis etiam Ecclesiæ Sæculis ad Ecclesiasticam pertinuit disciplinam, ut Martyres non quidem privato, verum publico Ecclesiæ judicio approbati colerentur. Prius autem, quam cultus Martyrum approbaretur, colligebantur, & in examen revocabantur Acta Martyrum. Examini succedebat judicium Ecclesiasticum pro decernendo cultu. Hoc judicium primis Ecclesiæ Sæculis ad unumquemque Episcopum in sua Diæcesi pertinebat. (e) Sed in Africana Ecclesia ad solum Primatem Chartaginensem. Unanimiter sentiunt Eruditi, morem fuisse primis Ecclesiæ temporibus, Acta & nomina Martyrum ab una ad aliam Ecclesiam transmittendi; ut Martyrum cultus Episcoporum consensu ad singulas Ecclesias extenderetur. Ad Romanum vero Pontificem Acta Martyrum mitti solebant, ut iis perpensis, vel cultus pro universa Ecclesia decerneretur, vel inductus approbaretur: quod comprobare videtur S. Gregorius Turonensis. (f) referens, Basilicam ab Episcopo Lingonensi ædificatam fuisse in honorem S. Benigni, & aliam ab alio Episcopo, in honorem S. Patrocli, solum postquam eorum Acta ex Italia allata fuerant. Hæc omnia quid aliud sunt, quam Martyrum primis statim Ecclesiæ Sæculis peragi solita Canonizatio? hoc est: judicium Ecclesiasticum, quo alicui Martyri cultus decernebatur; parum enim interest, Canonizatio hoc, aut illo ritu, ac solennitate instituta fuerit.

(a) Ap. Euseb. Lib. IV. Hist. Cap. XV. edit. Basil. MDLVII. qua utor.
(b) Ap. Ruinart. in Act. Mart. Pag. 19.
(c) Tertullian. Libro de anim. Lib. de Resur. Carn. Cap. XLIII. & in Scorp. Cap. XII.
(d) Cyprian. Epistola. XXXVIII.
(e) Bellar. de SS. Beatis Lib. I. Cap. VIII.
(f) S. Greg. Turon. Lib. I. de glor. Martyr. Cap. LI. & LXIV.

Confeſſores, id eſt, qui poſt heroicarum virtutum exercitium in pace obierunt, a Patribus etiam antiquioribus laudantur, & a Sancto Iſidoro (a) inter Martyres recenſentur. Quo tempore cultus Confeſſoribus a fidelibus deferri cæperit, incertum exiſtimat Bellarminus (b) Sed Innocentius III. (c) aliique plures initium eorum cultus ad Sæculum IV. referunt. Sane, Hilarius, Ephrem, Antonius, aliique Sancti in oriente ex Sozomeno (d) Nyſſeno (e) & aliis: In occidente vero S. Martinus Turonenſis ex vetuſtiſſimis Breviariis apud Cardinalem Bona, (f) Miſſali Mozarabico; & S. Hilarius Pictavienſis ex vetuſtiſſimo Francorum Miſſali religioſum Sæculo IV. cultum obtinuerunt. Imo nonnulli cultum Confeſſorum antiquiorem Sæculo IV. exiſtimant, ut inſinuare videntur Acta SS. Virginum Prudentiæ, & Praxedis, earumque Patris Pudentis, etſi in adverſum nitatur Papebrochius (g) Cultus publicus. S. Joanni Chryſoſtomo in aliquibus orientis Eccleſiis Sæculo IV. decretus eſſe videtur, quem Innocentius I. (h) ſortem cum Apoſtolis in Regno Dei conſecutum fuiſſe pronuntians, ad univerſam Eccleſiam extendiſſe cenſendus eſt. Præterea detrectantibus quibusdam Epiſcopis orientalibus, nomen Chryſoſtomi ſacris diptychis adſcribere, Alexander Patriarcha Antiochenus nomen in Sacras tabulas retulit, cæteriſque omnibus, ut idem facerent, Author fuit: idque præſtitum ſignificat S. Atticus Conſtantinopolitanus Antiſtes. (i)

Nec deſunt, qui affiirment (k) nonnullis SS. Virginibus, & Confeſſoribus ſolennem publicumque Eccleſiaſticum Cultum fu-

---

(a) S. Iſidor. Lib. VII. Origin. Cap. XL.
(b) Bellarm. Lib. de Euchar. VI. vel II. de Miſſ. Cap. II. num. V. Tom. III. Contr. III.
(c) Innocen. III. Lib. III. de Myſt. Miſſ. Cap. X.
(d) Sozom. Lib. III. Cap. XIV. & Lib. VIII. Cap. XIX.
(e) Nyſſen. Tom. II. Pag. 1028. & 1029.
(f) Cardin. Bona. Rer. Lyturg. Lib. II. Cap. XII. num. III.
(g) Papebroch. Tom. IV. Maj. Pag. 299.
(h) Innoc. I. in Epiſt. ad Arcad. ap. Card. Bona ad annum CCCCVII. num. XX.
(i) Atticus Epiſt. ad Petrum, & Ædeſium Diaconos ap. Bolland. Tom. I. Januar ad diem VIII. §. VII. num. XXXIX.
(k) V. Victon. Cap. V. & VI.

fuiſſe exhibitum, tempore Pontificatus S. Sylveſtri Papæ. Hic autem initio Sæculi IV. creatus eſt Pontifex. Author Tractatus de Canonizatione ad Cardinalem Montis Regalis, (a) diſputata in partes quæſtione, ita concludit: *Ergo conſtat ab initio Eccleſiæ etiam Confeſſores, Sanctis fuiſſe adſcriptos.* Benedictus XIV. PP. Oraculum illud Scientiarum, publicum SS. Confeſſorum cultum ad Sæculum IV. refert. (b)

Cultum vero hujuſmodi publicum jure ſuo Epiſcopi in ſuis Diœceſibus, Martyribus *Vindicatis*, & Confeſſoribus *Approbatis* decernebant. Quem, accedente aliorum Epiſcoporum approbatione, ſummique Pontificis expreſſo, vel tacito conſenſu pro univerſa Eccleſia Canonizationis rationem obtinuiſſe Bellarminus, (c) aliique docent. Porro: non ea erat olim in Canonizatione adhibita ſolennitas, quæ hodie obtinuit. Bonifacius III. S. Mauri Abbatis vitam a Fauſto Monacho ſcriptam, ſibique oblatam, authoritate ſua roboravit, & Mauro cultus tributus eſt. (d) Zachariæ Papæ auctoritate, Kiliani Epiſcopi, & Sociorum ejus, a Gosberto Franconiæ Duce injuſte occiſorum, corpora a Bonifacio Archi Epiſcopo Moguntino elevata de tumulo honorifice fuerunt, ac taliter cultus illis decretus, ut habetur in eorum Actis. (e) Offa Merciorum Rex Romam profectus, ab Hadriano I. S. Albani Canonizationem petiit: Pontifex annuit, & Albano cultus religioſus delatus eſt. (f) Joannes VIII. in Gallias profectus, Cabillone S. Agricolæ, aliiſque cultum decrevit, referente Gribaldo Cabillonenſi Epiſcopo illorum corporum inventionem. Eodemque Epiſcopo intercedente, ſeptem Cabillonenſes Epiſcopos & unum Presbyterum, inter Sanctos retulit, ut affirmat Suaſſajus. (g) En! quomodo cultus Sanctis olim decernebatur; videlicet, in particularibus

(a) Par. III. Cap. VII.
(b) Bened. XIV. Diſſer. de Canon. SS. ubi plura videſis.
(c) Bellarm. de SS. Beatif. Lib. I. Cap. VIII.
(d) Ap. Leon. Oſtien. Chron. Caſſin. Lib. I. Cap. III. Script. rer. Ital. Murator.
(e) Mabill. Sæc. II. Par. II. Act. SS. Ord. S. Bened. num. XII. pag. 993.
(f) Math. Paris. in Vita Offæ II. pag. 28.
(g) Suaſſaj. in Martyrol. Gallic. ad XX. Novembris.

Diœceſibus auctoritate Epiſcoporum: in univerſa Eccleſia cum interventu authoritatis Summi Pontificis: corporum elevatione: vitæ conſcriptæ approbatione; ſola conſenſus declaratione: ex occaſione itineris: Canonizatio perficiebatur.

Attamen, non erat licitus cultus Martyrum aut Confeſſorum, abſque judicio Eccleſiaſtico; ideo Archi Diaconus Cæcilianus, apud Optatum Millevitanum (*a*) Lucillam reprehendit, quod ante communionem oſſa vel non Martyris, vel Martyris non *Vindicati* oſcularetur. Id etiam ex Agrippinenſi Concilio apud Ivonem (*b*) diſcimus, ubi hæc habentur: *De Eccleſiis, ſeu Sanctis noviter inventis, ſine auctoritate inventoris, niſi Epiſcopo probante, in ejus territorio minime venerentur.* Apud Guillelmum Malmesburienſem (*c*) S. Anſelmus ſic in ſua Synodo ſtatuit: *Ne quis temeritatis novitate corporibus mortuorum -- ſine Epiſcopali auctoritate reverentiam Sanctitatis exhibeat.* (*d*)

Ex his, niſi me omnia fallunt, evidentiſſime apparet, Canonizationem Martyrum quidem, hoc eſt, Martyribus cultum publicum judicio Eccleſiaſtico decretum ante Sæculum IV. in uſu Eccleſiæ orientalis, & occidentalis fuiſſe. Canonizationem vero Confeſſorum ſi non altius, certo certius etiam ad Sæculum IV. referri oportere: quod doctus nemo, pariter & indoctus negaverit? Quapropter peræque manifeſtum eſt, a me ne modicum quidem in Theologiam peccatum fuiſſe, eo, quod Adverſario viſus fuerim, illis temporibus, quibus Ephrem & Antonius vixerunt, hoc eſt: Sæculo IV. Canonizationis ſolennia affigere: quin

---

(*a*) Optat. Millev. Lib. I advers. Parmen.

(*b*) Ivo Par. III. Decreti Cap. LIV.

(*c*) Guill. Malmesb. de geſtis Pontificum Anglorum Lib. I. pag. 228. inter Script. rerum. Anglicar. Savillii.

(*d*) Hæc paululum prolixius narranda erant, tum ut clarius appareat, quæ fuerit olim Canonizationis natura & modus: tum & imprimis cauſa D. Cornideſii, qui prius, quam ſe purgaſſet flumine, hæc ſacra, quæ omnino ignorat, contrectare audet, atque ſcribere: *Ut aliquis Canonizationis honores obtineat, plerumque requiritur, ut a morte ejus, qui in Sanctorum numerum Summi Pontificis decreto referendus eſt, multo longius tempus præterierit, quam unius Principis regimen, vel unius hominis atas ferat.* Quam id recte, illi arbitrabuntur, qui Hiſtoriam, & Diſciplinam Eccleſiaſticam vel primis labris deguſtarunt.

quin imo hac tali assertione, Theologum me esse probavissem. Eccur igitur prædurus Hypercriticus noster, ob id me e contubernio Theologorum ejecit? Id dubio procul non fuerat facturus, si Authores, qui hanc rem pertractarunt, cognitos habuisset, aut eorum scripta sciviſſet, & voluisset consulere; forte enim animadvertisset, immatura sua in me sententia, tot SS. Patres, Pontifices, eruditissimos Scriptores condemnari, atque a Theologia nefando facinore repelli. Talia sunt nempe Corollaria eorum, qui livido scribillant calamo. Sed bene est: Pænam Talionis posco.

§. XVII.

Inscriptio lapidis Passavienſis in examen revocatur.

Reliquæ deinceps Adversarii machinationes ad Lapidem Sepulchralem Passavienſem referuntur, cujus inscriptionem quantumcunque impugnet, oleum sane & operam perdit; rationum enim momenta, quibus illam exterendam cupit, satis prolixe, ubi locus poscebat (*a*) in medium protuli, & confutavi ita, ut illis meis nunquam satis facturum pronuntiare ausim: nec vacat ea, quæ ille hic rursum supervacanee recoquit, operose refellere, quod propemodum frivola sunt: (*b*) uti illis, qui mea, & Reverendiſſimi, ac Cl. D. Joannis Róka eruditum duplex opus, cum Nostri molitionibus contendere voluerint, nullo negotio patebit. Non igitur abutar otio, sed tamen illius divagationes, quæ & frequentes, & immodicæ hoc loco sunt, detegam, dispungam, atque convellam. (*c*)

Pri-

(*a*) Dissert. meæ de S. Ladis. pag. 151.

(*b*) Diatr. pag. 169.

(*c*) Graviſſimam D. Cornides hallucinationem pestringere hic debeo. Is pag. 217. in novam, abionam, nec unquam hactenus auditam sententiam abit, & legentibus insigni temeritate palpum obtrudit. Postquam videlicet quaspiam ut illi videtur, congruentias mira dicacitate retulisset, subdit: *Ista omnia in neminem aptius, quam in Henrici IV. Imp. Sororem Henricique III. filiam Giselam convenient. Habuisse enim Henricum III. filiam Giselam dictam, eandemque Monialem incertum cujus loci, ex Carolo Stengelio discimus.* Grandis hallucinatio! Jam illud imperitum est, quod ajat incertum esse, cujusnam loci Gisela Henrici III. filia Monialis fuerit? Equidem si res gestas ejus ætatis non ignave legisset, nullo negotio hanc Giselam in Cænobio Gan-

Primo illud me in Lapide Paſſavienſi advertit, quod Crito

Ganderſcheimenſi Ordinis S. Benedicti Monialem fuiſſe ex Trithemii Chronico Hirſaugienſi edit. S. Gallen. anni MDCXC. pag. 173. diſcere poterat, & cum me reſutandum ſibi ſumſerat, etiam debebat. Iſtud ſic habet: *Henricus - - de qua (Agnete) genuit Henricum, qui ejus nominis Quartus Rex poſt eum imperavit, & duas filias, quarum prima fuit nomine Giſila Monialis noſtri Ordinis in Ganderſcheim.* Hujus teſtis eſt etiam Henricus Bodo in Syntagm. Eccl. Ganders. Sed illam Beatricem vocat ap. Leib. Tom. III. Deinde Idem Chronicon ad an. MXXXVI. ſcribit: *Hoc anno Conradus Imp. filio ſuo Regi Henrico Gundbildem, ſive ut alii ſcribunt Cunegundem filiam Cnutbonis Danorum Regis - - copulavit uxorem - - quæ ad Sponſum veniens multo cum eo tempore fuit. Tandem adulterii accuſata - - Monaſterium intravit - - Heinricus autem Rex aliam poſt repudium prioris ſibi datam uxorem, duxit Agnetem, videlicet filiam Wilhelmi Comitis Pictavienſis, de qua genuit Henricum, qui ejus nominis Quartus Rex poſt eum imperavit, & duas filias, quarum prima fuit nomine Giſila Monialis noſtri Ordinis in Ganderſcheim. Secunda vero Adelhaidis vocabulo in Monaſterio S. Servatii noſtri Ordinis Quedelnburg. Abbatiſſa fuit.* Igitur anno MXXXVI. Henricus III. Gundhildem duxit uxorem, quod etiam Annaliſta Hildesheimenſis, & Saxo ad hunc annum affigunt. Hac ſolutus, Agnetem Pictavienſem anno MXLV. ſibi Matrimonio copulavit, ut teſtis eſt Annaliſta Saxo, ap. Eccart: Script. Medii ævi. Ex hac Agnete genuit Henricum IV. anno MLI. ut perhibet Lamb. Schaffn. vel præcedente, ut Herm. Contr. ap. Urſtis, & tum Giſelam: proinde iſta ante annum MLII. naſci non potuit. Sed ſimus liberales. Statuamus cum Hermanno Contracto Agnetem in manus Henrici III. anno MXLIII. conveniſſe, ejuſque iſthoc ad annum MXLV teſtimonium; *Agnes Regina filiam Regi peperit*, ad Giſelam referamus. Itaque nata hæc eſt anno MXLV. demus jam illam anno ætatis XVI. Monialem factam, & habebimus annum MLXI. Scitum autem eſt, & in Diſſertatione mea docui, Velum Prælationis Abbatiſſis dari non fuiſſe ſolitum ante quadrageſimum ætatis annum; proinde iſtæc Giſela, non prius poterat fieri Abbatiſſa quam anno MLXXXV. Jam vero conſtat ex Paſſavienſi Lapide Sepulchrali Helicæ primæ Abbatiſſæ Nidernburgenſi, iſtam anno MXX. obiiſſe: fatetur autem pag. 259. Cornideſius, Giſelam illius Parthenonis *Secundam* Abbatiſſam fuiſſe: unde ſuapte confit, a primæ Abbatiſſæ Helicæ mortis anno MXX. uſque ad annum electæ ſecundæ Abbatiſſæ Giſelæ, hoc eſt: uſque annum MLXXXV. Dignitatem Abbatiſſæ Nidernburgenſis annis LXV. vacaſſe. Quod profecto ut inſanum eſt vel cogitare, ita omnino ineptum eſſe declaramus, ad Giſelam Henrici III. confugere, illique Paſſavienſis Lapidis inſcriptionem tribuere. Attamen Cornideſius id agit, & vix hanc Giſelam Abbatiſſam ſibi confinxit, frivolæ opinioni ſuæ diffidens, alio ſe Vertumnus ille convertit, & inquit: *Fuiſſe Henrico II. præter Giſelam, Sororem quoque aliam, nomine Brigittam, Sanctimonialem - - quam quid vetat ex Moniali Abbatiſſam factam, & Parthenoni Nidernburgenſi præfuiſſe, vero nomine ſerius poſtea, ut fit, per errorem in aliud commutato?* Egregia ſi Superis placet criſis. Multa vero ſunt, quæ id credere vetant; doceri enim deberet, at docebitur nunquam, Brigittam factam fuiſſe Nidernburgi Abbatiſſam, ut & nomen ejus errore in Giſelam commutatum fulſſe; nondum enim Cornideſii nomen ita inclaruit, ut nudis ejus aſſertis confeſtim habere fidem debeamus. Et qualis iſta Logica: Habuit Henricus ſecundus ſororem Brigittam Sanctimonialem, ergo illa fuit Abbatiſſa Nidernburgenſis: ergo ejus nomen errore commutatum eſt in nomen Giſelæ. Cæterum, concedit, potuiſſe fieri, ut in hoc Lapide errore, ſeu

Li-

to noſter in Diſſertatione ſua (*a*) inſcriptionem vetuſtioris Lapidis non rite conſentientem, cum illa, quam in Diatriba promit, exhibeat. Illa hoc ſolum, quod legi poſſit, nobis proponit: *Giſyla Abbatiſſa*, &: *Non Maj.* cæteris exeſis, has literas interceptis ſpatiis divulſas: Ribi - Is - Ici - GR - aci - Erf - exhiber. Hæc vero in iconiſmo æri inciſo, iſta habet: *Gisyla Abbatiſſa. Non. Maj.* Ribi - Is - Hci - Cra - iſi - E - Red - Hujus notabilis diverſitatis cauſam non aſſequor: tanto minus, quod noſter in Diſſertatione ſua exerte affirmet, ab ſe Lapidem Paſſavienſem novum viſum fuiſſe, viderit itaque etiam antiquum, aut ſi huic novus ille ſuperpoſitus erat, ut antiquus videri non potuerit, ſaltem ab iis, niſi forte oſcitanter ſua egerit, de inſcriptione, in veteri Mauſolæo adhuc exſtante, certam notitiam capere poterat, quibus non fuerant ignorata antiqui Lapidis Literarum fragmenta.

Quomodo deinde ſibi ipſi adverſetur, dum de inſcriptione novi Lapidis ſcribit, ex ipſiusmet verbis perſpicuum fit. De hac ait: *certe Gothici Characteres, ut illos vidi, magis affabre ducti ſunt, quam ut Sæculum XV. antrorſum excedant, forte nec exitum quidem ejusdem Sæculi attingant.* Certum igitur eſt, ſi noſtro oculato teſti credimus, inſcriptionem novi Lapidis Giſelani Paſſavienſis Gothicis Characteribus exaratam fuiſſe. At, at idem ille Gothicarum Literarum per tempora, & ætates eximius cognitor, & arbiter, in Diatriba (*b*) videtur ſui oblitus eſſe, & quam prius Gothicæ Scripturæ notitiam confidentiſſime profitebatur, modo, quam illa ſolida fuerit, egregie prodit; primum enim dubitans hæc ſcribit: *Nec Literas Romanas, ſed Germanicas, aut ſi mavis Gothicas Lapis refert:* deinde poſt paucas lineas poſito omni dubio, ſic habet: *Arguebam inſcriptionem*

Litoglyphi, ſeu Epitaphium concinnantis nomini Brigitæ ſubſtituatur nomen Giſelæ; & tamen alibi non veretur me atrocius carpere, quod ſcripſerim, potuiſſe oſcitantia Litoglyphi accidere, ut nomini Stephani præponi, in eodem Lapide litera S omiſſa fuerit; pluſne eſt unam literam errore omittere, quam nomen nomini ſubſtituere? Sic ille ſui egregie memor eſt, idcirco, quod fere verboſis ſit, multimodis impingit.

(*a*) Diſſert. Hiſt. Crit. de S. Ladislao Rege. pag. 151. ſequen.
(*b*) Diatr. pag. 169.

Lapidis Paſſavienſis non videri anno MXCV. quem refert, coævam; ſed, ut Germanici characteres non obſcure indicant, ſerius, ac vix forte ad exitum Sæculi XV. factam eſſe. Hem! quæ Antilogia. Antea characteres illi affabre ducti, Gothici erant, & quia Gothici, indicabant, inſcriptionem Paſſavienſem ad Sæculum XV. referri oportere: nunc iidem chracteres jam in Germanica veſte aſpectabiles ſe præbent; & quia Germanici ſunt, manifeſtant, inſcriptionem illam Sæculo XV. tribui debere. Altera Antilogia eſt, quod Germanicos, & affabre ductos hos characteres ad Sæculum XV. referat. Certe aut Germanici non ſunt, aut non affabre ducti; Nam Mabillonius de ſcriptura Theotiſca ſcribit, quod Sæculo XIV. obſcuro calamo ſit facta, literis craſſioribus; obſcurior vero adhuc Sæculo XV. manus tremula, puncta in i, Ortographia injuſta, quae ſcriptura manſit uſque ad medium Sæculi XVI. quo aliqua literarum elegantia cæpit. Tertia antylogia. In Diſſertatione ſua, cum ſingularem illam Characterum Gothicorum cognitionem oſtentat, loquitur de inſcriptione novi Mauſolæi Giſelani, alias enim manifeſte hallucinaretur, quia Ichnographia veteris Lapidis ſuam inſcriptionem Romanis literis expreſſam fuiſſe, prodit: in Diatriba vero (*a*) ſcribit: *Arguebam inſcriptionem lapidis Paſſavienſis non videri anno MXCV. quem refert, coævam.* Utique non eſt coæva, ſed hæc novi lapidis inſcriptio poſterius ex vetuſto illo Romanis characteribus exarato ſumta fuit. De poſteriori autem illum hic locutum fuiſſe, nullum relinquit dubium ipſiuſmet ſententia, hæc enim ſcribit: *ſed ut Germanici characteres non obſcure indicant, ſerius, ac vix forte ad exitum Sæculi XV. factam eſſe.*

Videor ego mihi hoc ſingulare ſcilicet diſcretionis characterum apud Adverſarium donum præſenſiſſe, ideo (*b*) ſcripſeram: *Nolim ego hic ſeu admirari, ſeu in dubium revocare felicem illam Gothicorum characterum notitiam, qua Magiſtra certam annorum & temporum ſcientiam Prayus nanciſcitur.* Id providenter a me dictum eſſe, Adverſarius, ut liquet, ſibi ipſi contra-

(*a*) Diatr. pag. 169.
(*b*) Diſſer. meæ pag. 16a.

trarius, invicte comprobavit. Attamen, quin rubore suffundatur, audet hisce se efferre verbis: *Quod Gothicorum characterum notitiam mihi tribuat, recte facit, etsi id faciat non sine sarcasmo. Optarem, ut uterque nostrum in legendis vetustis Diplomatibus, aut Libris MS. quin etiam sub prima Typographiæ tempora impressis, experimentum daremus.* Fumus! dedit profecto modo experimentum, quanta Gothicorum characterum notitia polleat: Nolo autem cum Vertumno in certamen descendere. Sed errat bonus ille, quod sibi Gothicorum characterum notitiam tribuam; ego solum jactantiam ejus derisi antea, modo etiam detestor, quia augmentum illam accepisse video: Cedo, quod accurate, correcte, & celeriter vetusta Diplomata, Libros item MS. legere sciat, palmam quoque hoc in genere, cum ita velit, non invitus porrigo. Ast non est hic de eo quæstio: uter nostrum Diplomata exactius legere noverit: sed an ille perfectissimam, quam jactat, Gothicorum characterum notitiam possideat? hebes autem sit, qui ignoret, diversissimum esse, Scripturam Gothicam expedite legere, & characteres ita noscere, ut illis visis confestim, & certo definiamus, cujus illi ætatis sint? Quorsum igitur isthoc fascinum & tenuis gloriola pertinent?

Non me quidem latet, ex characteribus conjici posse, ad quod circiter Sæculum scriptura referri debeat: verum de nostri Lapidis inscriptione, Adversarii conjectura futilis est; ideo enim illam ad Sæculum XV. protrudit, quia characteres *affabre ducti* sunt. Certe, Sæculo X. XI. XII. singularis Scripturam nitor commendabat, adeoque hoc solo nomine de inscriptione nostra affabre ducta rectum certumque judicium ferri pro Sæculo XV. nequit. Adeat Crito noster Tabulas Alphabeticas Baringii (*a*) Chronicon Gotvicense (*b*) Mabillonium (*c*) & alios; ac non obscure animadvertet, se hanc infeliciter adiisse Corinthum. Præter characterum nitorem, alia quoque indicia promenda ab illo fuissent, quæ Sæculo XV. congruant, & tum forte aliquod operæ pretium sperare potuisset: eodem enim

(*a*) Baring. Clav. Diplom. Spec. edit. Hanover. post num. CXCVI.
(*b*) Chron. Gotvic. Lib 1.
(*c*) Mabill. Diplom. Lib 1. Cap. XI.

plane jure poſſem ego affirmare, noſtri Lapidis inſcriptionem, ad Sæculum XI. vel XII. referri oportere, quia videlicet characteres affabre ducti ſunt, quod his Sæculis apprime convenit: ſed hoc argumenti genus ſine cæteris adjunctis nugatorium eſſet. Revera autem hanc novi Paſſavienſis Lapidis inſcriptionem Sæculo XIII. tribuendam eſſe evincit, tum characterum nitor, tum ipſe ductus literarum, accentuum & punctorum; vix aliquid enim iſtorum in omni hac inſcriptione eſt reperire, quod in Baringii Tabulis Alphabeticis (a) non ſit ex amuſſim expreſſum: complura ab obverſo ſunt, quæ in Baringii Sæculi XIV. XV. XVI. Tabulis, aut fruſtra quæſiveris, aut diverſo ductu notata inveneris. Hoc autem momentum quantum ad probandum valeat, non neſciunt, qui in re Diplomatica paululum verſati ſunt.

Adverſarii iniqua calumnia.

Poſt hæc de me, & de Cl. Róka ita loquitur: *Uterque literam S. præmittit Stephano, cujus tamen nec vola, nec veſtigium iſthic viſitur. Rurſumne annus MXCV. legeretur, ductum L. Literæ M. conjunxere, ut annus emergeret MXLV. quod & parum bona fide fit - -* (b) Ego vero ajo, non bona ſatis fide, hoc quidem loco in me bonam fidem deſiderari. Scripſi etenim *Imo* (c) in hæc verba: *Lapidis hujus typum iſthic exhibeo, quem antea Deſericius vulgavit, modo iterum Rochæus mutato anno MXCV. in MXLV. æri incidi fecit. Ildo* ſcripſi: *In Rochæi inſcriptione, & Henricus, & Stephanus Rex, Sancti dicuntur. Sed quia nec Vir ille quidam apud Prayum, neque Hundius Stephanum cognomento Sancti ornant; malim credere, illo cognomine ſolum Henricum in memorato veteri lapide Paſſavienſi affici.* (d) *Illtio* denique plus ſimplici vice ſcripſi, Giſelam S. Stephani uxorem, anno MXCV. obiiſſe. Igitur clare indicavi, me Lapidis Paſſavienſis novi inſcriptionem beneficio Rochæi habuiſſe, &, ut accepi, exhibere: indicavi etiam Giſelæ annum emortualem. Quod quia ſincere, ingenueque me egiſſe, evidentiſſime demonſtrat; nemo

(a) Baring. a Tabula VII. ad XXIV. Confer. Chron. Gotvic. Mabillon. alios.
(b) Diatr. pag. 168.
(c) Diſſert. meæ pag. 151.
(d) Diſſert. meæ pag. 153.

nemo ſane, ſi modo frontem non projecerit, bonam in me fidem hac parte deſideraverit. Satine hoc etiam clarum?

Plures deinceps idmodi præclaræ ilicet criſes ab Adverſario, invita Minerva, promuntur. Dixi: literam S. voci Stephani in lapide haud præponi, etſi apotheoſis Stephani Regis anno MXCV. jam peracta fuerit: quod inde evenerit, vel quia Germani id temporis, de Hungaris ſibi inviſis, aut ſuſpectis parum ſolliciti literam S. addere incurioſe omiſerunt: vel etiam fieri poterat, ut negligentia Litoglyphi litera S. ab iis, qui Epitaphium illud concinnarunt, nomini Stephani præpoſita, cæſtro adhæſerit: quod utique pronum eſt cogitare. Quid ad hæc Noſter? inveterati ſui moris tenaciſſimus, egregie divagatur, ait enim: (a) *Si Germani Stephano titulum Sancti addere incurioſe omiſerunt, non potuit utique Litera S. oſcitantia Litoglyphi cæſtro adhærere; aut ſi adhæſit, Germani nomen Sancti Stephano addere incurioſe non omiſerunt.* Mirabilis Logica! jam videor mihi audire ipſos Philoſophiæ tyrones in effuſos cachinnos abire. Ego *disjunctiva* propoſitione uſus eram, ad quam verificandam ſufficit unam partem disjunctionis veram eſſe, quod Philoſophi non ignorant: Adverſarius callido, & ad fraudem nato conſilio, ex propoſitione *disjunctiva* ingratiis facit *copulativam*, & utramque veram eſſe debere, ſumme violento niſu contendit. Mea propoſitio ſic habet: Omiſſæ literæ S. cauſa poteſt eſſe vel Hungaris, tum parum favens Germanorum animus, vel negligentia Litoglyphi: illius contra ſententia evidenter hæc duo importat: Omiſſæ literæ S. cauſa eſt, & Germanorum illa adfectio, & Litoglyphi oſcitantia. Hoc autem ad depravationum genus manifeſto pertinere illi etiam arbitrabuntur, qui Ariſtotelis Lycæum a limine ſalutarunt: & tamen novus Cato noſter in Critices ſtudio Regnum occupare ubivis molitur: certe ſua effata, pro aureis, & adamantinis haberi cupit, etſi ſæpiſſime χολοβάφικα ſint, & felle lita. (b)

(a) Diatr. pag. 171.

(b) D. Cornides cauſa hujus meæ opinionis pag. 224. pariter exultat, & plena inhumanitate illam, frivolam captiunculam ex trivio per me arreptam eſſe vociferatur, & adeo me jam undique teneri, ut diffidam me elabi poſſe, niſi Litoglyphi

Et multiplices detorsiones, atq; aberrationes.

Cætera omnia, quæ circa Mausolæum Giselæ magno æstu declamat, paris sunt furfuris, ut illa vel memorare me pudeat, pigeatque, oportet tamen ex hoc Hercule Nemæi Leonis exuvias detrahere, ut aspectabilior fiat. Sequar illum sine ordine, rerumque nexu, in vestigio; nolo enim jam toties assertum Giselæ tumulum, hic rursus asserere: sed solum ejus detruncationes, pravasque sententiarum mearum detorsiones legentibus succenturiatim ob oculos ponere. Itaque *Imo* scribit (*a*) non esse verum, Nationi Germanicæ nomen Hungarorum ita suspectum, invisumque fuisse, ut suspicio, si quæ fuit inter viventes, etiam ad mortuum prudenter traduci possit. Hoc ipse quoque credederim: sed ubi ego affirmavi, suam Germanos suspicionem ad mortuum S. Stephanum traduxisse? nuspiam sane: adeoque Crito noster sibi ipsi bellum de nihilo indicit, & cum confictis larvis in certamen descendit. Illud solum affirmavi, quod ea ætate nomen Hungarorum invisum, sin minus, suspectum fuerit; atque inde nihil mirum, si Hungaræ Gentis attentionem non maximam habentes, nec quid apud eam agatur, sollicite investigantes, in Epitaphio Giselano nomini Stephani Literam S. præponere

Circa titulum Sancti Stephano haud tributum.

---

phi oscitantiam malæ causæ meæ prætendam. Vere virulentæ idmodi criminationes ex trivio, imo Augiæ stabulo proferuntur, quas vix ullus alius effutiret. Arguebam ego illud quoque fieri potuisse, ut Litoglyphus literam S. nomini Stephani præponere oscitantia intermiserit. Id illis solum rarum videbitur, qui variantes inscriptiones, & lectiones nunquam inspexere. Examinet vel solam ejus Lapidis inscriptionem a Cl. Pray productam; & comperiet illam, quam in Dissertatione sua profert, in pluribus literis variantem esse ab ea, quam in Diatriba exhibet. Talia plerumque contingunt ex inadvertentia, aut negligentia, & numquid Litoglyphis potest somnus obrepere? Cæterum uterque, Prayus videlicet, & Tutelaris ejus Cornidesius erronee scribit: *Quid si litera S. castro adhæsit?* rescribendum igitur est, *cæstro*, quod, sciant, significare instrumentum, quo ebur, aut lapis cavatur: etsi vero in mea quoque Dissertatione errore typi ita habeatur, id tamen tam oculati Argi erroneum esse observare poterant ex ipso sententiæ sensu, si non ignorassent, quid *cæstrum* sit? Sed & ex Tabella Typi errorum Dissertationi meæ ad calcem adjecta, id cognoscere poterant. Errat præterea D. Cornides, dum non una vice scribit, Henrici Canonizationem in annum MCLII. incidere. Hoc indicat, quod Clientis sui Diatribam solum perfunctorie legerit, e qua tamen certiora discere potuisset.

(*a*) Diatr. pag. 171. ubi bellissimam exclamationem addit: *Quam est hic Crito noster sui moris tenax, memorque. In lapide Vesaprimiensi Bonfinianos sutores, in Passaviensi Litoglyphum accusat.* Verum est, sed idem videns, Diatr. pag. 135. in Nota.

nere *incurioſe* (a) omiſerint, hoc eſt: ſine cura, & advertentia neglexerint. Quis prudens ex his extundere poteſt, ſuſpicionem & odium in mortuum traductum eſſe? Nemo profecto, ſi modo in turbido piſcari nolit. Illud vero, quod noſter ſcribit (b) longe falſiſſimum eſt. *An autem*, inquit, *propterea Germani cum Lapidem Sepulchralem Giſelæ, Conjugi Regis Stephani poſuerunt, huic titulum Sancti - - tribuere noluerint, Hungarus Germanusve ſit, cupio uti præjudiciis vacuus exiſtimet.* Bene eſt! lubens in Hungarum Germanumve, addo etſi is præjudiciis, non inſanis tamen, plenus ſit, Judicem compromitto. Quis ſomniavit, Germanos titulum *Sancti* Stephano Regi *tribuere noluiſſe?* quin imo exerte affirmavi, ab iis titulum *Sancti incurioſe* non eſſe additum, quod utique quandam inadvertentiam, diligentiæque defectum notat, non tamen importat poſitivum voluntatis actum: ille vero affingit mihi, quaſi dixiſſem, Germanos Stephano Regi titulum Sancti *tribuere noluiſſe*: quod poſitiva, & determinata voluntatis actio eſt: Quæ hæc Philoſophia? Igitur Hungarus, Germanusve ſit, judicet, ita enim uterque noſtrum cupit, an Hypercriticus noſter calumniam falſimoniæ non miſceat?

IIdo ſcribit: (c) *Non poterant ea ætate Germani Regibus Hungariæ non fuiſſe addictiſſimi.* Odium, Suſpicio, & quæ his ſimilia, non ſunt natura ſua actiones *tranſeuntes*, ſed permanere, durareque ſolent. Nolim itaque quis exiſtimet, illa mea: *inviſum*, *ſuſpectum* nomen Hungarorum, ad annum MXCV. quo Mauſolæum Giſelanum primum ſtructum fuit, reſtringi. Id noſter quoque videtur innuere, quando ex deductione Coloniarum Germanicarum per Geyſam Ducem: Connubio item Stephani, Petri, Salamonis, & Ladislai Germanas Principes ſibi in thorum adlegentium, ſumpto argumento utitur. Videndum

Et circa ea ætate ſuſpectum Teutonibus Hungarorum nomen.

(a) Vocula *incurioſe* videtur in Noſtri auribus male tinnire, ideo enim illam identidem regerit. Sciat autem illam a Livio, & Tacito uſurpari. Ille Lib. VIII. Cap. XXXVIII. habet: *Caſtra in hoſtico incurioſe poſita.* Iſte IV. Hiſt. Cap. XXXVIII. *Cæſar Cohortes incurioſius agentes.*

(b) Diatr. pag. 172.

(c) Diatr. pag. 171.

dum propterea, utrum hac ætate, seu Sæculo XI. Germani Hungaris *addictissimi* fuerint? huc enim Nostri omne argumentum recidit. Non memorabo autem prisca illa tempora, quibus Hungari, seu mavis Scythæ, sive Hunni Gentes Teutonicas per multiplices vices, atque sæculorum intercapedines barbarum in modum atterebant, unde internecivum odium, & rancor oborta sunt inter utramque nationem, quæ sæculorum tractu utrinque glisebant, perdurabant: ut non obscure ex illorum temporum Historia liquet. Verum Sæculi XI. duntaxat meminero. *(a)*

Anno CMXCVIII. in Literis Fundationis Abbatiæ S. Martini in Monte Pannoniæ his verbis S. Stephanus utitur: *ingruente namque bellorum tempestate, quæ inter Teutonicos & Hungaros seditio maxime excreverat.* MXXVII. Stephanus Legatum a Conrado Imperatore Constantinopolim missum commeatu exclu-

---

(*a*) D. Cornides, ut ostendat tempore positi Lapidis Passavienſis, sive Sæculo XI. Germanos Hungaris faventes fuisse, inani plane opera Scriptores coacervat, attamen omni hoc conatu suo nihil aliud agit, quam ampullas loquitur. Hos in tres classes dispescit. Prima est eorum, *qui circa annum MXCV.* sunt ejus pag. 220. verba, *floruerunt.* Ii sunt: Adami Bremensis Scholiastes, Albertus Stadensis, Sigebertus Gemblacensis, Vincentius Bellovacensis, Albericus Monachus trium fontium, Magnum Chronicon Belgicum, S. Antonius Florentinus Archi Episcopus, Leo Marsicanus, Hugo Flaviniacensis. Hos omnes circa annum MXCV. floruisse audet scribere: cum tamen Albertus Stadensis, Vincentius Bellovacensis, & Albericus Monachus sæculi XIII. Scriptores sint. Chronicon Belgicum vero, & S. Antonius, Sæculi XV. Cæteri quatuor etsi Sæculo XII. obierint, non ob id tamen dici potest, eos circa annum MXCV. floruisse; sed & quia lis inter me, & Cl. Pray oborta, de solis Germanis, & illis Hungariæ vicinioribus est, frustra illos Cornidesius ostentat. Nam Sigebertus Gemblacensis est Belga, natus Gemblaci, Brabantiæ oppido, Lovanio, Bruxellis, & Namurco vicino, prius tamen Metis, quæ Lotharingiæ Urbs est, vitam egit: Leo Marsicanus in Regno Neapolitano natus, & mortuus est: Hugo Flaviniacensis Burgundus est, Adamus denique Bremensis, nec verbulo rei, de qua agimus, meminit, Scholiastes autem ejus, quo tempore vixerit, docendum erat. Igitur ut falsum est, IX. hos Scriptores circa annum MXCV. floruisse, ita falsum quoque est IX. hos Scriptores Germanos fuisse. Unde magis mirandum est, quod insuper non satis polita fronte in me incurrat, hisce verbis. *Si Germanos aliosque Scriptores, qui circa annum MXCV. floruerunt, magis tractasset assidue Rmus Vir - -* Videre potest modo, quomodo illos tractarim, & certus sit, quod ea, quæ retuli, ex ipsis horum Authorum Editoribus discere potuisset, debuissetque, si ad eos bona, & ingenua fide provocasset. Ad secundam Classem Authores, quos pag. 222. putat ab anno MXCV. haud longe remotos, rejicit sequentes: Chronicon Reicherspergense, Gode-

cluſit. (a) MXXX. Conradus in Hungariam ſigna intulit, & ad Arrabonem uſque omnia ferro, ignique fœdum in modum populatus eſt: (b) MXXXIX. Petrus Rex in Noricorum Ditiones incurrit, quas poſtquam cædibus, & rapinis percurriſſet, immanem Captivorum numerum ſecum ducens, in Hungariam revertit. (c) MXL. Brecislao Bohemiæ Duci adverſus Henricum Imp. a Petro Rege ſuppetiæ miſſæ ſunt, quarum præſertim virtute Germanos in inſidias pertractos, partim cecidit, partim in fugam convertit Brecislaus. (d) MXLII. Henricus in Hungariam irrupit, & per Septentrionalem Danubii plagam ad Granum uſque amnem vaſtitatem circumtulit. (e) MXLIII. Aba, ſeu Samuel Rex Auſtriam fere uſque Mellicium igni, ferroque vaſtavit, partem exercitus Samuelis Adalbertus Marchio ad internecionem cecidit. (f) Rurſum Aba Carinthiam armis infeſtis petiit, actaque immenſa præda, dum ſui domum repetunt, a

Godefridum Vitterbienſem, Anonymos apud Menckenium, & Caniſium, Annaliſtam Saxonem, Conradum Urſpergenſem, & Ottonem Friſingenſem. At rurſum hallucinatur, & aquam ſcindit. Chronicon Reicherſpergenſe eſt ſub ipſum exitum Sæculi XII. ſcriptum, pariter Godefridus Vitterbienſis, Annaliſta Saxo finit in anno MCXXXIX. Otto Friſingenſis in anno MCLVI. Anonymus apud Menckenium, & Urſpergenſis ſunt Sæculi XIII. Anonymus apud Caniſium ſcribit vitam S. Henrici Imp. quam eodem loco Baſnagius multo poſt annum MCXLV. ſcriptam fuiſſe egregie teſtatur: adeoque etiam apud hos Scriptores Cornideſius perfugium fruſtra quærit; niſi forte illi medium, aut integrum quoque Sæculum tanti ſit, quanti una dies. Ad tertiam refert: Ricobaldum, Martinum Fuldenſem, Anonymum Leodienſem, Andream Dandulum, Chronicon S. Ægidii, & Vernerum Rolevinck. At primus, ſecundus, tertius, quartus, quintus ſunt Sæculi XIV. Chronicon S. Ægidii Sæculi XV. & Rolevinck Sæculi XVI. Hinc videre licet, quam notabili temeritate, pariter & vaniſſima oſtentatione nobis imponat Cornideſius, dum exquiſita diligentia ſyllabum Authorum obtrudit, quorum teſtimoniis nedum cauſa ſua non ſtabilitur, quin potius perimitur. Nobis de eo controverſia eſt: an ſub exitum Sæculi XI. Germanis nomen Hungarorum inviſum, ſuſpectumque fuerit? ille vero ad omnes nationes digreſſionem facit, & uſque ad Sæculum XVI. divagatur, ſecumque ipſo acerrime depugnat. Sed hircum, ſuppoſito cribro, mulget. Mirum, quod Calendaria, quæ quot annis in vulgus exeunt, non promſerit, nam & iſta, ut fieri debet, Stephanum *Sanctum* nominant.

(a) Wippo in rebus Conradi Salici. ad h. a.
(b) Idem ibid. ad h. a.
(c) Herman. Contr. ad h. a.
(d) Idem ibid. ad h. a.
(e) Herman. Contr. ad h. a.
(f) Herm. Contr. ad an. MXLII. Alold. ad h. a.

Bojoariis ſpoliorum jacturam faciunt. (a) MXLIV. Henricus cum Hungaris ad fluvium Arrabonem conflixit. (b) MXLVII. Henricus in Hungaros expeditionem parabat. (c) MXLIX. Henricus bellum Hungaris intulit. (d) Eodem anno Hungari in Auſtriam procurrerunt, prædasque innumeras abegerunt. MLI. In Germania maximi ad petendam Hnngariam apparatus fiebant: ineunte Autumno Eberhardus Ratisbonenſis Epiſcopus cum Wilfone Septentrionalem Danubii partem infeſtis copiis petiit: Henricus vero per Carentaniam, & Styriam exercitum Hungariæ infudit. (e) MLIII. Andreas Rex cum Conrado Bavaro Carentaniæ partem vaſtavit, & ſub jugum miſit. (f) MLX. Hungari ab Andrea deſciſcentes, cum Polonis Germanos magna clade affecerunt. MLXII. Bela in Auſtriam irrupit, & populationibus ſæviit. MLXXIV. Henricus in Hungariam cum exercitu profectionem adornabat. (g) MXCVI. Colomannus Gondechaum cum XV. Germanorum millibus opprimere moliebatur. (h)

Ain' vero mi bone! ea ætate, hoc eſt, Seculo XI. Germani Regibus Hungariæ, & Hungaræ genti non poterant non fuiſſe *addictiſſimi*? Ita ſane; ſi cædes, populationes, vaſtationes, rapinas, bellum, ferrum, ignem, & ſi quid aliud malorum eſt, inter amoris, amicitiæ, benevolentiæ, faventis, addictiſſimique animi indicia præpoſtero ordine repoſueris. Quod ſicut omnino abſurdum eſſe, nemo non videt, ita nullum Adverſario perfugii locum præbere poteſt. Inficetum autem eſt, quod Noſter eodem loco arguit: *Geyſa Dux*, inquit, *& hujus filius Rex Stephanus, quot Colonias ex Germania deduxerunt*? Quid tum poſtea? ergo Germani Hungaris addictiſſimi erant. Nemo dixit Sæculi XI. curſu nullum fuiſſe tempus, quo Hungari cum Germanis non belligeraſſent, poterant proinde pacis tempore Co-

loniæ

(a) Lambert. Schaffn. ad an. MXLI.
(b) Herm. Contr. ad h. an.
(c) Herm. Contr. ad h. a.
(d) Herm. Contr. ſed ad annum MLI. Aloid. ad an. MXLVIII. & MXLIX.
(e) Herman. Contr. ad an. MLII.
(f) Herm. Contr. ad h. a.
(g) Lambert. Schaffnaburg. ad h. a.
(h) Bernard. Theſaurarius apud Murator. Script. Rer. Ital. Tom. VII.

loniæ ex Germania in Hungariam deduci. Cæterum Geysa, & Stephanus deduxerunt Colonias non eam ob causam, quod certi fuerint de Germanorum Hungaræ nationi addictissimis animis, verum ut Ditionibus suis consulerent; Germani enim utpote tum jam magis Civiles, ad colendos agros, artes perficiendas, negotiaque tractanda Hungaris, solis pene armis adsuetis, magis idonei habebantur: idcirco non ob addictissimum Germanorum in Hungaros animum, verum ob Regni utilitatem, necessitate quadam, Geisa, & Stephanus Colonias ex Germania deduxerunt, ut ab his bonas artes Hungari sensim condiscerent, Regnumque floresceret. Certe: si huic Adversarii argumento quidpiam nervorum inest, consectarium esse debet, Barbaris Gentibus non esse Christianorum nomen invisum, exosumque, aut vero Christianos Barbaris addictissimos esse. Quis enim tam peregrinus est, ut nesciat Barbaros summopere eniti, ut Christianos in captivitatem abducant; abductos comiter tractant, & ad exercendas operas, quas ipsi aut ignorant, aut non recte callent, disponunt: quod ab illis, qui e Barbarorum captivitate redempti redierunt, sæpius intelleximus. Nolim tamen Crito noster more suo, hanc, qua usus sum, similitudinem in perversum, nescio quem? sensum detorqueat. Nihil aliud illa indicari cupio, quam quod frivolum sit hoc ejus argumentum: Geisa deduxit Germanicas Colonias in Hungariam, igitur Germani Hungaris addictissimi erant: quemadmodum frivolum esset dicere: Barbari Christianos in suas Ditiones lubenter recipiunt, ergo Christianis addictissimi sunt. Utrobique enim id aliis ex causis repeti oportere palam est. Cæterum, dum noster ob hæc me vehementius impugnat, imprudens, & velut aliud agens, apprime mihi consentit; scribit enim: *Major causa Hungaris erat -- ut Germanis infensi essent.* Itane? Major causa? At, quæ demum illa causa est? profecto, nemo aliam assignaverit, quam quia Hungaros variis modis lacessebant, bellis impetebant, cædibus, & rapinis omnia miscebant, Hungariam, ubi licebat, vastabant, populabantur. An autem hostiles hujusmodi actiones sunt addictissimi signa animi? Id equidem nec Bagas sibi persuaserit. Quia igitur ejus temporis Hungari majorem, quod noster vult, causam habuerunt, ut Germanis propter istiusmodi hostilis animi actiones infensi essent; certissimum evadit, Ger-

manos ea tempestate non fuisse Hungaris addictissimos: imo infensissimos fuisse, quod solum affirmavi.

Rursum circa titulum Sancti Stephano ñ datum.

III. Scribit Lapidem Sepulchralem Giselæ studio Sacrarum Virginum Cænobii Nidernburgensis deberi. *(a)* Hoc itidem existimo: sed an etiam Epitaphium Latinum Moniales concinnarunt? Audiamus nostrum; *quas*, inquit, *si noster Author putet ea de causa Stephano, post Canonizationem titulum Sancti in Giselæ Epitaphio non tribuisse, quod Hungarorum nomen per id tempus Germanis invisum, suspectumque esset, duplicis eas Criminis reas facit.* Hæc terriculamenta adeo me perterrefaciunt, ut, etsi nolim, in apertum cachinnum erumpere debeam. Quis dixit, scripsit, affirmavit, sacras illas Virgines titulum *Sancti* Stephano *non tribuisse*, ideo quia invisum illis erat Hungarorum nomen? Id equidem, ut jam monui, falso, adeoque injuria mihi appingitur: hoc solum ajo: nomen Sancti Stephano addere Germani *incuriose omiserunt*, id est, non adhibita cura neglexerunt: *non tribuere* vero idem importat hic, quod dedignari, aut non velle tribuere. Quam calumniam seu sacris Virginibus, seu Epitaphii Authori, absit, ut irrogemus: atque adeo duplex, cujus noster me perperam insimulat, prævaricatio suapte in auras abit, & in Adversario nimis impotentem animum arguit. Unde, etsi supervacaneum sit, duplex illud crimen referre, referam tamen, ne quid illi præteriisse videri possim. Alterum est, quia ex mea narratione sequitur, Stephano Sancti titulum *invidiæ* studio negatum a Sanctimonialibus fuisse eo, quod in Epitaphio Stephanum *Hungariæ* Regem nominaverint, quid ergo intererat, ut *Sancti* etiam nomen adjicerent, *(b)* quando non Sanctorum, sed Hungarorum nomen Germanis suspectum fuit. Quis non terreatur his noctium occursaculis? Ut tamen isthæc Philosophi nostri argumentatio quidpiam valeat, prius necessario statuere oportet, Sanctimoniales *positiva voluntate*, noluisse Stephano Sancti titulum tribuere; alias enim, tota quanta hæc Logica ne hili est. Quis enim vel per phantasma affirmavit, Sanctimoniales Stephano Sancti prænomen *positiva voluntate*, seu dedi-

---

(a) Diatr. pag. 172.
(b) Diatr. pag. 173.

dedita opera, adeoque malitia dare non voluiſſe? Alterum ex mea narratione deductum crimen eſt: quod Sanctimoniales ſua authoritate Henricum prius inter Sanctos collocarint, quam id Pontifex ſuo conſenſu ratum habuiſſet; non erat autem Monialium, ut illum monumento publico Sanctum eſſe declararent. Et quid hoc ad me? Advocatum Sanctimonialium Nidernburgenſium non ago, ſeu illæ factum ſuum excuſent, ſeu probent, & tueantur, mea nihil intereſt; neque enim quæritur, quid fieri debuerit, decueritve, ſed quid factum ſit? attamen cum illæ adverſus noſtrum Argutatorem ſe tueri nequeant, jubeo eas bono eſſe animo; non vereantur hæc vitrea formidamina; nihil enim peccaverunt, quantumvis Henricus in Mauſolæo Giſelano, ante peractam Romæ apotheoſim Sancti titulo decoretur; id enim tuto facere poterant. Exemplis rem ad liquidum deducam.

S. Norbertus anno MCXXXIV. obiit, (a) de quo Surius ſcribit, ſe neſcire, an Norbertus Vir Sanctiſſimæ vitæ adhuc ſit inter Sanctos relatus. Joannes le Paige (b) ſcribit, illum anno MCCXIV. ab Innocentio III. ſolenni ritu inter Sanctos adſcriptum fuiſſe. Sed merito dubitant Bollandiani. (c) Miræus (d) illum a Gregorio XIII. fuiſſe Canonizatum affirmat, cui adſtipulantur Hagiographi Belgæ (e) qui ipſum Pontificium Diploma recitant. In hoc virtutes, & miracula Noberti recenſet Pontifex, ejusque nomen *in pluribus Martyrologiis* deſcriptum, & adnotatum teſtatur. Malim tamen hoc Diplomate ſolum in numerum Beatorum Norbertum fuiſſe relatum; ſoli enim ordini Præmonſtatenſi indulget Pontifex ſub ritu duplici in ejuſdem honorem Officii celebrationem, quod ad ſolam Beatificationem refertur. Utcunque autem id ſit, certum eſt, Norberto, priusquam inter Beatos adſcriberetur, a Præmonſtratenſibus, quorum Fundator fuit, cultum ubivis exhibitum fuiſſe: certum quoque eſt ex ipſa Bulla Pontificia Norberti Archi-

(a) Sigeb. Cron. ad h. a. Baron. in Not. ad Martyrol. Rom. ad diem VI. Junii.
(b) Le Paige Lib. II. Bibliot. Præmonſtr. Par. II. Cap. XLIII.
(c) Bolland. ad diem VI. Junii Comment. præv. ad Vit. S. Norberti §. I.
(d) Miræus Chron. Præmonſtr. ad an. MDLXXXII.
(e) Bolland. loc. cit. Num. II.

chi-Epiſcopi Magdeburgenſis nomen *in pluribus Martyrologiis* deſcriptum fuiſſe. Quod utique Theologiæ, & Juris Eccleſiaſtici non ignari, ſciunt plus eſſe, quam in Lapide Sepulchrali Nidernburgenſi Henrici nomini titulum *Sancti* ante canonizationem præponere: & nihilominus nec Gregorius XIII. nec ullus alius ante illum, Pontificum Romanorum improbaverunt cultum Norberto exhibitum, nominisque illius in Martyrologia deſcriptionem: imo Gregorius id ipſum in Bulla pro motivo Beatificationis aſſumit. Ubi ergo latet enorme illud Sanctimonialium crimen?

S. Joannes de Matha, & Felix de Valois ex hac vita deceſſerunt, iſte anno MCCXII. ille uno tardius. Poſt quatuor & amplius Sæcula conſtructus Romæ proceſſus fuit, ſuper eorum cultu immemorabili. Cardinalis Urbis Vicarius die XXXI. Julii anno MDCLXV. ſententiam protulit, conſtare de cultu per tempus immemorabile in honorem S. Joannis, & Felicis, atque adeo anno MDCLXX. annuente Summo Pontifice, eorum nomina fuerunt deſcripta in Martyrologio Romano. Antiquitas vero cultus illis ante omnem Beatificationem probata fuit ex vetuſtiſſimo Breviario Eccleſiæ Meldenſis cum Hymno proprio dictorum Sanctorum: uti & ex antiquiſſimo Breviario in Belgio reperto pro Regnis Angliæ, Scotiæ, & Hyberniæ cum Lectionibus propriis eorundem. *(a)* Igitur antequam eorum Beatificatio perficeretur, in particularibus Eccleſiis, etiam Breviarii recitatione, SS. Joanni, & Felici cultus præſtitus erat, nemine reprobante.

S. Anaſtaſius Papa IV. ædificatum a Gelaſio Sacellum Sancti Nicolai in Patriarchio antiquo Lateranenſi picturis exornavit. *(b)* Cætera inter viſuntur ſtantes, & veſtibus Pontificalibus induti, mitraque, ac diademate orbiculato, ſeu laureola circa caput inſigniti Romani Pontifices, Urbanus II. Paſchalis II. & Ge-

---

(a) Vid. Franciſc. de S. Auguſt. Macedonem in Vita Joannis Matha, & Felicis Valois.

(b) Bolland. ad XXV. Maji.

Gelaſius II. Attamen conſtat, (a) iſtos Pontifices, nec formaliter, nec æquipollenter fuiſſe canonizatos. Liberius Joannis, vel, ſi mavis, Haythonis Armeniæ Regis filius, aſſumpto Fratrum Minorum habitu tempore Gregorii X. obiit. Ejus corpus non diu poſt mortem propter ſanctitatis exiſtimationem in Eccleſiam Cathedralem Anconitanam translatum erat. Liberius iſte nunquam inter Beatos, aut, ab Apoſtolica Sede, inter Sanctos ritu ſolenni relatus eſt. Nihilominus, quia de ejus virtutibus, & miraculis nullum unquam dubium obmotum eſt; cultum obtinet in Civitate Anconitana ab immemorabili tempore, cum Officio, & Miſſa; quin ulla unquam acceſſerit ſuper ipſo cultu Epiſcoporum ſententia. Et quis erit adeo protervus, ut Eccleſiæ Anconitanæ Clerum propter id criminis poſtulet? quod neque Romani Pontifices fecerunt: hinc Bollandiani pariter ne modicæ quidem prævaricationis eos accuſant. (b) Ecur igitur Parthenonem Nidernburgenſem eo, quod in Epitaphio Giſelano Henrico, antequam inter Sanctos ritu ſolenni referretur, nomen *Sancti*, ducente privata pietate, & ejus virtutum, ac miraculorum cognitione adjecerit, criminis ream, pertinaciter declaremus?

Antonius Fatatus Epiſcopus Anconitanus anno MCCCC-LXXXIV. mortuus, nunquam fuit in Syllabum Beatorum relatus, aut a Sede Apoſtolica canonizatus, nec unquam de ejus cauſa ad canonizationem introducenda cogitatum fuit, attamen ejus corpus ad publicam venerationem expoſitum fuit, & in hodiernum manet in poſſeſſione ſui cultus. Talis eſt etiam Gabriel Ferretti anno MCCCCLVI. mortuus Ordinis minorum obſervantium S. Franciſci. (c) Similiter in Metropolitana Eccleſia Bononienſi ſepultum eſt corpus Ludovici Morbioli, cujus Imago publicæ venerationi ibidem expoſita eſt, & votivis tabellis circumdatur, ac ante eam candelæ cultus gratia accenduntur, quamvis cæteroquin in ejus honorem nec officium recitetur,

(a) Benedict. XIV. teſtis eſt in Diſſert.
(b) Bolland. ad diem XXVII. Maji. Tom. VI.
(c) V. Wading. ad h. a. Tom. XII.

tur, nec Missa celebretur: & iste cultus, quin ulla de eo moveretur controversia, usque hodie perdurat, cum tamen nec beatificatus, nec canonizatus sit. Helena ab Oleo Virgo Bononiensis mortua anno MDXX. ab eo tempore usque in præsens, scientibus, & neutiquam repugnantibus ordinariis publicus eidem cultus exhibitus est. Nam non modo *Beata* passim appellata est, ejusque imago cum radiis, & splendoribus depicta; verum etiam die ejusdem Festo, Capsa, in qua reconditum est ipsius corpus, aperitur, atque ad populi venerationem exponitur, ac die ejusdem anniversario festum cum peculiari apparatu, & prævia in signum celebritatis habendæ, æris campani pulsatione peragitur. Pariter Nicolaus Albergatus, cujus corpus, quin ullus unquam præcessisset processus, publice in quibusdam Ecclesiis, & Diœcesibus colitur. Ejus egregia opera S. Antonius exponit. (a) Imago illius depicta apparet, corruscantibus, & splendentibus radiis ornata, nedum in Carthusia Bononiæ, & Florentiæ; erat enim prius Monachus Chartusianus, deinde Cardinalis, sed etiam in toto ordine, multisque aliis Ecclesiis. (b)

Innumera præsto essent alia hujusmodi exempla, quibus cultus Sanctorum, qui nunquam beatificati, minus canonizati fuerunt, evidenter probaretur, nisi hæc pauca ad defensionem Sanctimonialium Passavienſium superabundanter sufficerent. Jam vero poterat ante omnem omnino Beatificationem nomen Norberti in pluribus Martyrologiis describi: poterat de Joanne Matha, & Felice Valois in Ecclesia Meldensi, & Regnis Angliæ, Scotiæ, Hyberniæ Officium recitari: poterat Anastasius Urbani II. Paschalis II. Gelasii II. imagines in Templo cum circulo circa caput, sanctitatis indice pingi curare: poterat Liberii, & Ferretti Corpus ad publicam venerationem exponi: poterat Morbioli imago, cultus causa in Ecclesia Bononiensi suspendi, votivis tabellis circumdari, accensis luminaribus honorari: poterat Helena Virgo privatim, & palam *Beata* appellari, ejusque imago

---

(a) S. Anton. in Chron. Par. III. tit. XXII. Cap. VII. §. III.
(b) Vid. Syngraphan Simeonis Santagatha ap. Bolland. Tom. II. ad diem IX Maji.

go cum radiis, & ſplendoribus pingi, corpus ad populi venerationem proponi, atque ad agendam ejus celebritatem populus pulſu æris campani convocari: poterat Albergati corpus publico cultu honorari, ejusque imago corruſcantibus radiis decorari. Poterant hæc omnia ex privata duntaxat pietate, ante omnem Beatificationem, & Canonizationem, ante omnem Proceſſum, & juridicam recognitionem, ante omne Eccleſiaſticum judicium, deciſionem, ac ſententiam fieri; & ita fieri, ut propterea a nullo Pontificum Romanorum, aut Epiſcoporum facta hujusmodi notata, reprehenſa, reprobata, condemnatave fuerint? Cur igitur Sanctimoniales Nidernburgenſes atrocis criminis reas poſtulemus, quod in Epitaphio Giſelæ ex privato pietatis inſtinctu nomini Henrici titulum *Sancti* præpoſuerint? Quibus dubio procul præclara facinora, eximiæ virtutes, & inſignia pientiſſimi Imperatoris miracula nota erant.

Unde manu contrectari poteſt, quam miſerum ſit Adverſarii noſtri argumentum, dum ſic ſcribit: *Si enim, quod ſpecioſe obtenditur, Henricus a ſuis privata devotione colebatur ut Sanctus, non erat profecto Sanctimonialium, ut illum monumento publico, ad poſteros duraturo, Sanctum eſſe declararent.* Hem! quæ hydra. Non obtenditur ſpecioſe, ſed certiſſimum eſt, quod Henricum ſui ut *Sanctum* ſub annum MXCV. privata devotione coluerint; non enim tum adhuc peracta erat ejus apotheoſis, adeoque nec poterat publica devotione *ut Sanctus* coli: addo: *ut Sanctus*; nam ut relata exempla docent, poterat quidem ante canonizationem, etiam publice coli, at non ut *Sanctus*; ad id enim omnino neceſſe eſt, ut judicium Eccleſiaſticum interveniat, id eſt: ut ſic colendus canonizetur, ſaltem canonizatione æquipollenti: (a) quas phraſes Theologiæ, Juris Canonici, & Diſciplinæ

(a) Privata devotione, pie in Domino mortuis poſſe cultum, ut Sanctis exhiberi, exploratum ſit ex Decreto Urbani VIII. ubi de Canonizatione agens, inter interrogatorias fidei Promotoris poſitiones legitur iſta: *Interrogetur quoque an ſciat - - quod talis acceſſus fieret, quia reputaretur pro Sancto, & intercedere poſſet pro ipſo.* Ad hanc quæſtionem, tempore inſtituti pro Canonizatione Henrici judiciarii proceſſus, examinati teſtes, dubio procul reſponderint, affirmative, nam & Lapidem Sepulchralem in Eccleſia Nidernburgenſi noſtrismet oculis vidimus, ubi Henricus Imperator

Ecclesiasticæ periti probe intelligunt. Præterea cultus mortuo, etsi in loco publico exhibeatur, semper privatus manet, quotiescunque is non est de genere cultus, qui ex Ecclesiæ institutione Beatificatis, aut Canonizatis exhibetur. (a) Quia vero Lapidis sepulchralis erectio non est de talis cultus genere; ideo non obtenditur specioſe cultum illum, ex privata devotione profectum esse, sed verissimum est: hinc etiam liquet, non satis theologice ob hanc ipsam causam Lapidem illum ab Adversario *Monumentum publicum* vocari. Monumenta publica, quibus Sancti declarantur, sunt: authoritate Ecclesiæ erectæ ædes: Altaria: celebratio Missæ: recitatio Officii: Brevia canonizationis, & similia: non vero Lapis sepulchralis privata pietate a privatis positus. Addidi: *Authoritate Ecclesiæ*, nam ista quoque omnia, nisi accedat judicium Ecclesiasticum, ad cultum privatum spectant, ut ex iis, quæ supra pertractavi, perspicuum est. (b)

Ridiculum proinde est dicere, Henricum a Sanctimonialibus Passavienſibus monumento publico Sanctum esse declaratum. Præpostera sane hæc argumentatio est: Moniales in Giselæ Lapide sepulchrali Henricum *Sanctum* compellarunt; ergo Sanctum monumento publico declararunt. At, at declarantur ne Sancti Lapidibus sepulchralibus? nescio sane ex qua Arabica Theologia idmodi momenta Noster sumpserit. Sola auc-

---

rator Sancti titulo decoratur. Longe quidem post peractam Henrici Apotheosim, vixit Urbanus VIII. validum nihilominus est, ex ejus Decreto sumptum argumentum, ad demonstrandum videlicet, quod licite possit aliquis ante canonizationem privata pietate, uti *Sanctus coli*: sed nec dubito, etiam Sæculo XII. examinandis testibus ejusmodi quæstionem propositam fuisse, quia ad canonizationem omnino necessarium est, de fama Sanctitatis testimonium.

(a) Ita docent Scacch. de notis & signis Sanctitatis Sect. X. Cap. I. Hurtado de vero Martyrio Resolut. XLIII. §. XI.

(b) Penia S. Didaci Biographus Lib. II. Cap. VII. narrat, cum Henricus VI. Castellæ Rex, & hujus filia graviter ægrotassent, Didaci precibus & meritis valetudinem recuperarunt. Rex Beneficii memor, paulo post obitum S. Didaci Sacellum ejus nomine exstruxit, ejusque corpus intra arcam pie composuit. Sixtus V. Pontifex factum hoc commendavit in Bulla Canonizationis. Ita Pergamium honoribus S. Antonii Magni brevi post mortem Sacram ædiculam exstruxisse alibi docui: attamen nemo sanus dicere ausit, Didacum ab Henrico, Antonium a Pergamio Sanctos declaratos esse. Hæc talia tamen post Decretum Urbani VIII jam prorsus vetita sunt,

ctoritate Ecclesiastica in Ecclesia Catholica Sancti possunt, solent, ac debent declarari. Verum, Moniales Henricum in Lapide Sanctum appellant; quid tum postea? ergo Sanctum declarant, & quidem monumento publico. Nonne paulo ante vidimus, S. Anastasium IV. Papam in Sacello S. Nicolai imagines Urbani II. Paschalis II. Gelasii II. cum circulo circa caput pingi curasse, quod solis Sanctis tribui solet; declaravitne illos Sanctos? nihil minus; nec tunc, nec postea, nec unquam: & tamen Anastasius Romanus Pontifex fuit. Quid jam hoc Critico nostro faciam? Theologumne, an Jurisconsultum? Neutrum sane, etsi percupiam, hoc quidem loco possum. Non Theologum; quod Lapidem sepulchralem, *Monumentum publicum*, quo Sancti declarantur, esse existimet: Non Jurisconsultum; quod Sanctos sine examine, sine Juris processu, sine juridica recognitione, sine judicii Ecclesiastici interventu declarari posse non obscure arbitretur. *(a)*

Item circa Henricum ante canonizationem Sancti titulo decoratum.

IV. Scribit: *(b)* Si Henricus prius, quàm Syllabo Sanctorum Romæ adscriberetur, ab Germanis, uti *Sanctus*, in veneratione habitus fuit; qui factum est, ut in Missa *pro Virginibus Conjugibus*, quæ Henrici meminit, oratio pro eo fiat his verbis: *Propitiare quæsumus Domine animæ famuli tui Henrici, & præsta, ut - - perpetua cum Sanctis perfrui mereatur lætitia.* Rursum: *Hanc oblationem quæsumus Domine, ut ei ad salutem proveniat.* Igitur ante, quam Henricus solenni ritu ab Ecclesia inter sanctos cooptaretur, usque ad annum MCXLV. rogatus a Germanis Deus est, ut animæ famuli sui Henrici propitietur, & ut ei oblatio ad salutem proveniat. Sic noster vetera vaticinatur. Incredibile nempe illi videtur, ut potuerit Henricus a Germanis privata devotione, uti *Sanctus coli*, & tamen in Missa pro ejus anima precationes ad Deum funderentur. Itaque tota illius peroratio huc reducitur. Quia in Missa pro Henrici

(a) Cum novus Lapis post Canonizationem Henrici positus sit, poterat fieri ut vetus inscriptio non habuerit præpositam Literam S. nomini Henrici, quæ in nova adjecta fuerit, tum enim jam Henrici cultus publicus fuit in Ecclesia, nec id multum obest transumptionis integritati. Id tamen, non moror.

(b) Diatr. pag. 173.

anima Germani Deum deprecabantur, non potuit is privata devotione uti *Sanctus* coli. Aſt, quam vehementer id in Theologia titubet, emuſcemus limpidius.

Sciendum igitur, privata devotione aliquem uti *Sanctum* colere, hoc ſignificare: quando alicujus probitatem vitæ ante actæ, egregias virtutes, & miracula cognita habens, perſuadeo mihi, hunc in æterna gaudia receptum eſſe, adeoque illum velut in cœlo cum Chriſto regnantem Dei amicum veneror: & iſte cultus, *Privatus* dicitur. Cultus contra *Publicus* duplex eſt: Alter, quando aliqua fidelium congregatio, Civitas, Diœceſis perſuaſa de hujus, aut illius vitæ ſanctitate, mortuo palam ad ſtatuas in Templis, & in Choro veneratio exhibetur, ſcientibus, & diſſimulantibus Epiſcopis Localibus, quin tamen præceſſerit Eccleſiaſticum judicium; & iſte cultus improprie ſolum, ſeu Grammaticaliter *Publicus* vocatur: in quantum nempe publice, palam, & in locis, ubi Fideles pietatis cauſa congregari ſolent, peragitur: Alter cultus *Publicus* proprie talis eſt, quando ad Beatificationem, & Canonizationem requiſitæ formalitates præmittuntur, & tum demum judicio Epiſcopi pro ſua ſolum Diœceſi, aut Pontificis, pro tota Eccleſia, alicui mortuo cultus decernitur, (a) ſeu: de Beatificatione, aut Canonizatione judicium Eccleſiaſticum fertur. Rurſum, Canonizatio duplex eſt: alia *Formalis*, quæ per pronuntiationem ſententiæ fit, alia *æquipollens*, quando videlicet Summus Pontifex aliquem Dei ſervum in antiqua cultus privati, vel primi Ordinis publici poſſeſſione exiſtentem, & de cujus heroicis virtutibus, aut miraculis conſtans eſt Hiſtoricorum fide dignorum communis aſſertio, & continuata prodigiorum fama non deficit, jubet per Officii recitationem, ac Miſſæ celebrationem determinato aliquo die coli, nulla accedente formali ſententia definitiva, nullis præmiſſis judicialibus proceſſibus, nullisque conſuetis ceremoniis adhibitis. Igitur recitatio Officii, vel celebratio Miſſæ in honorem alicujus defuncti, ad cultum Publicum primi, & ſecundi Ordinis pertinet: adeoque

(a) Loquor ubivis de uſu Eccleſiæ tam ante, quam poſt tempora Alexandri III. vel prope eadem introductio.

que ſi Germani de Henrico Imperatore Miſſam celebraſſent ante, quam ejus canonizatio peracta fuit; certiſſimum eſt, Henrico venerationis cultum publicum primi ordinis exhibituros fuiſſe. At vero, quia Germani de Henrico nedum Miſſam non celebrarunt, quin potius in Miſſa, quæ pro Virginibus coniugibus eſt, pro ipſius anima Deum deprecabantur; rurſus certiſſimum eſt, ab illis non fuiſſe Henrico ut *Beato*, aut *Sancto* cultum publicum exhibitum: non enim exhibetur cultus Publicus, cum pro anima ſuffragia fiunt, ut habet Axioma Theologicum.

Hæc nihilominus non impediunt, quo minus Henricus a Germanis cultu privato coleretur *uti Sanctus*; iſte enim cultus ad privatam Fidelium devotionem pertinet, quæ ſemper licita fuit. Ex hoc autem cultu privato quemadmodum nequit rationabiliter inferri, talem defunctum certo certius in æterna gaudia jam admiſſum eſſe; ſed habita ratione ejus ante actæ vitæ, probitatis, virtutum, & miraculorum, omnino prudens ſpes eſſe poteſt, illum inter Sanctos cooptatum eſſe; ita certum non eſt, talem pie mortuum non detineri in igne Purgatorii; nihil enim inquinatum intrat in Regnum Cœlorum: Sicque, cum dimiſſa culpa mortali, remaneat in hominibus aliquando reatus pœnæ temporalis, remaneant etiam peccata venialia, in quæ juſti quoque cadunt: propterea ante judicium Eccleſiaſticum non poſſumus eſſe certi, an hic, vel ille defunctus ad tempus determinatum in Purgatorio non detineatur: quam certitudinem tum demum conſequimur, cum talis mortuus Eccleſiæ judicio inter Sanctos refertur; tunc enim primum credere nos oportet, illum non in Purgatorio detineri, ſed in cœleſti Gloria reſidere. Unde, ſi Germani poſt Canonizationis ſolennia pro Henrici anima oblationes, & ſuffragia feciſſent, utique gravis criminis reos ſe una effeciſſent, de quo Catholici non dubitant.

Jam vero quis erit tam imperitus Theologus, ut ex his non videat, rectiſſime fieri potuiſſe, ut Germani in publicis Eccleſiæ precibus, hoc eſt; in Miſſa, pro anima Henrici, ſi forte adhuc eorum ſuffragiis indigeret, parte ex una Deum orent, parte autem ex altera notitiam ejus vitæ, & miraculorum habentes, firma ſpe teneantur, illum in cœlis eſſe, adeoque uti

Sanctum privata pietate colant? Illud fit ex ritu Ecclesiæ publico, istud ex privato solum instinctu. Poterant ergo Germani in Missa Deum rogare, ut Famuli sui Henrici animæ, nondum enim tum erant certi illam in Purgatorio haud detineri, propitietur. Poterant etiam Germanæ Moniales Passavienses Henricum privata devotione ex cognitis miraculis, ut fidelem Dei amicum, & Sanctum, qualem illum esse credebant, cultu prosequi, & in Epitaphio Giselæ, ejus nomini titulum Sancti præponere: quæ duo nullam sane contradictionem involvunt. Certe, Sanctimoniales Nidernburgenses nihil poterat prohibere, quo minus Henricum cultu privato venerentur; si enim illi, dum vixit, licuit, imo & laudabile fuit cultum privatum impendere, seque ejus precibus commendare; Sanctus quippe Athanasius (a) inquit: *Si ingressus fuerit Vir justus in domum tuam, cum timore, & tremore occurres ipsi, & procides humi ad pedes ejus adorans:* potiori profecto ratione privato cultu Henricum post ejus obitum venerari poterant Sanctimoniales, uti Sanctum, non quidem Canonizatum, sed tanquam Dei amicum, quem regnare credebant in Cœlis cum cæteris Sanctis, pieque existimabant, suum illum esse apud Deum interceſſorem. Tuto etiam in Missa poterant Germani pro anima illius Deum deprecari; neque enim certi erant, sed solum pie credebant, illum in Cœlis regnare, cum tamen reipsa in Purgatorio detineri potuerit: quam certitudinem nonnisi ex peculiari revelatione, aut Ecclesiæ Decreto habere poterant.

Operæ pretium erit, his paucula quædam exempla addere. Urbanus V. in literis Apostolicis ad Archi-Episcopum Ravennatensem ejusque suffraganeos expeditis abrogari præcepit cultum, qui a Patribus Dominicanis, cuidam Fratri Jacobo: a Patribus vero Augustinianis cuidam Fratri Franciſchino publice impendebatur. In Brevi suo his utitur verbis: *Molesta significatio ad nostrum pervenit auditum, quod -- Prædicatores quendam Jacobum -- Eremitæ vero -- quendam Franciſchinum -- Beatos publice in plateis, & eorum Ecclesiis, in prædicationibus, & ali-*

(a) S. Athan. Lib. de Virginit. Oper. Tom. II. Num. XXII.

alias adſtruere moliuntur - - Altaria quoque ſub prædictorum Jacobi, & Franciſchini vocabulis in ſuis Eccleſiis præſumpſerunt erigere, ac ſi forent, ut Sancti per Sedem Apoſtolicam approbati - - Datum apud Montem Flaskonem Calend. Septemb. Anno VI. Idem Pontifex in Literis Apoſtolicis ad Epiſcopos Britanniæ, cultum amoveri juſſit, qui in illis Regionibus Carolo de Bleſio, alias de Blois exhibebatur. In Brevi ita loquitur: *Quidam Religioſi - - quendam Carolum de Bleſio, tanquam pro juſtitia mortuum Martyrem & Sanctum in Eccleſiis, in prædicationibus, & alias adſtruere moliuntur - - & alias eum venerari non verentur, ac ſi foret, ut Sanctus per Sedem Apoſtolicam approbatus.* (a) Hunc quidem Carolum de Blois Ducem Britanniæ Andreas du Cheſne (b) putat fuiſſe in Sanctorum Album relatum; ſed id ex ipſo Brevi Urbani erroneum eſſe apparet. Ex his exemplis duo potiſſimum, quæ ad rem noſtram faciunt, elucent: alterum; quod non raro factum ſit, ut Fideles iis, quos pie in Domino obiiſſe credebant, cultum ejusmodi exhibuerint, qui ſolis judicio Eccleſiaſtico Beatis, aut Sanctis præſtari ſolet. Alterum, quod tali cultui poſſit falſum ſubeſſe, hoc eſt: quod tametſi Fidelium aliqua congregatio, quempiam uti Sanctum, aut Beatum privata devotione veneretur, non inde tamen ſequitur, illum in Purgatorio non detineri, aut etiam ad pœnas Inferni non eſſe damnatum. (c) Ex iſtis duobus porro conſectaneum eſt, poſſe aliquem ante judicium Eccleſiaſticum,

(a) Urbanus V. non ideo reprehendit P. P. Prædicatores & Auguſtinianos, Britannos item, quod ſuos Jacobum, Franciſchinum, & Carolum, uti Beatos, & Sanctos, coluerint; ſed quia cultum hunc, publicum facere voluerunt, quando in eorum venerationem in Templis Altaria erexerunt, in Prædicationibus uti Sanctos denuntiabant, feſtivitates illis conſtituerunt, adeoque a cultu privato ad publicum tranſierunt; quod utique ad judicium Eccleſiaſticum pertinet, & privatis Congregationibus fidelium facere non licet; neque unquam licuit.

(b) Andr. du Cheſne Hiſt. Domus de Caſtillon. pag. 239.

(c) De Bonifacio Papa VIII. legimus, quod mandaverit, ut Hermanni cujusdam corpus apud Ferrarienſes pro Sancto culti, erueretur, & combureretur, habita in ejus hæreſim diligentiſſima inquiſitione: ut referunt Platina in ejus vita Scacchus de Not. & Sign. Sanctit. Sect. X. Cap. IV. pag. 797. Cardin. Laurea. in III. Lib. Sentent. Tom. IV. Diſp. XX. de Mirac. Artic. XXV. §. V. Num. 1140. Ex cultu itaque privato non recte ducitur argumentum, illum, cui exhibetur, certo in Cœlis eſſe. Cur ergo in publicis Eccleſiæ precibus non fiant pro eo ſuffragia?

cum, ut Beatum, aut Sanctum privata devotione coli, dici, scribi: ac una etiam, quia ante judicium Ecclesiæ incertum est, num reipsa in Coelo jam sit, pro anima ejus preces ad Deum fundi, ut si forte adhuc in Purgatorio detinetur, inde Divina misericordia ocyus liberetur.

Quam ob rem Cardinalis Bellarminus (a) statuit, quod etsi nequeant in ejus, qui canonizatus non est, honorem Templa, & Altaria erigi, ac Sacrificia celebrari; licitum tamen esse non canonizatum, credere, & vocare Sanctum, dummodo non prædicetur, tanquam ab Ecclesia in Sanctorum Cathalogum inscriptus: licitum esse, eum invocare, etiam aliis audientibus: ejus Reliquias servare pariter & colere, etiam aliis videntibus, dummodo scandalum absit. Sic Sanctus Bernardus vocavit Malachiam *Sanctum* statim a morte: Sic S. Catharina Senensis in suis Epistolis *Sanctam* perpetuo vocat Agnetem Politianam recenter mortuam. (b) Et Sanctimoniales Nidernburgenses non audeant Henricum in Lapide Sepulchrali *Sanctum* compellare? aut si audent, non possint Sacerdotes pro anima Henrici, nondum canonizati, pias ad Deum preces mittere? Eleganter ad rem nostram Ceparius. (c) *Non ausim ego*, inquit, *Nostrorum Majorum pietatem, devotionem & venerationem improbare, quam sincero corde, & ex vero devotionis affectu aureis illis temporibus præteritorum Sæculorum erga eos, qui cum opinione Sanctitatis obierant, ostenderunt. Vigebat enim multum Christiana simplicitas, & sine dolo, & malitia, sine fuco, & fallacia ad eos colendos, & adorandos accedebant, prout Spiritus Sanctus sua eos inspiratione movebat:*

(a) Card. Bellarm. Controvers. Tom. II. Lib. I. de SS. Beatific. Cap. X.

(b) Hæc, suadeo legat D. Cornides, & in vado se hærere intelliget, dum pag. 219. scribit, levem esse meam conjecturam, quod videlicet Henricus privata pietate a suis uti Sanctus coli potuerit. Ineptius est, quod confestim subjungit hisce verbis: *Quis sibi persuadeat in monumentis publicis Sancti appellationem unquam attributam esse, quin Pontificis Maximi Decreto inter Divos relatus nondum sit?* Id equidem omnis, qui in rebus Ecclesiasticis hospes, & peregrinus non est, facile sibi persuaserit. Legat, quæ scribo, & discet, quæ sint hoc in genere Monumenta publica, quidve de appellatione Sancti existimare oporteat. Certe si Scriptores Ecclesiasticos melius tractasset, non ita exorbitaret.

(c) Cepar. Direct. Canoniz. Lib. II. Cap. VII.

bat: & ideo a Summis Pontificibus in variis Bullis canonizationum obſequia canonizandis præſtita, merito commendantur, & approbantur. Liquet igitur, Henricum a Sanctimonialibus Paſſavienſibus, aliisque Germanis uti *Sanctum* rectiſſime coli potuiſſe, quia videlicet ejus heroicæ virtutes, vitæ Sanctitas, & miracula Germanis, præ reliquis nota erant. Liquet etiam a Germanis ante, quam Henricus ſolenni ritu ab Eccleſia inter Sanctos adſcriberetur, Deum rectiſſime rogatum fuiſſe, ut animæ famuli ſui propitietur, & ut ei oblatio ad ſalutem proficiat; ſi videlicet adhuc forte indiget fidelium orationibus.

Hæc paullum copioſius, & Theologorum more pertractare oportuit; tum ut Pantocriticus noſter advertat, quam præcoces ſententias in rebus Theologicis, quæ Hiſtoricis rebus magis delicatæ ſunt, pronuntiare ſoleat: tum ut veri, & æqui diligentes Lectores diſpiciant, quomodo ille ex ſuamet ſententia judicandus, condemnandusque ſit, qui (*a*) poſt criminis poſtulatas Sanctimoniales Paſſavienſes, item poſt narratas preces, a Germanis pro Henrico fuſas, duram fabam in caput ſuum procudit, quando me pro ſua humanitate his laceſſit, & alloquitur verbis: *Si hoc Reverendiſſime Doctor Theologiæ! ſit, aliquem uti Sanctum privata devotione colere, tum me quidem quatuor annos diſciplinis Theologicis non ignaviſſimam operam impendiſſe, tantum non pœnitet.* Imo vero hoc quidem loco merito pœniteat. (*b*) Poſſem hic multa,

 ſed

(*a*) Diatr pag. 174.

(*b*) Luculentiſſimum hujus teſtimonium ipſe ille nobis præbuit in Propemtico, quod Cl. Jacobo Marjoſa Neapolitano, Italiam repetenti, dicavit, & typis Colocenſibus hoc anno MDCCLXXXI. vulgavit. In hoc, quid Marjoſa de Archi-Epiſcopo dicturus ſit Romæ, iſto exprimit verſu: HIC (Archi-Epiſcopus) DICES SEXTO (Pio P. M.) SOLO CONCEDIT HONORE. At, id Theologi abominantur. Nam Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. in quo Græci, & Latini interfuerunt Can. V. *Romana*, inquit, *Eccleſia diſponente Domino, ſuper omnes alias ordinariæ poteſtatis obtinet principatum, utpote Mater univerſorum Chriſti fidelium, & Magiſtra.* Concilium Florentinum pariter ſtatuit: „ Definimus Sanctam Apoſtolicam Sedem, „ & Romanum Pontificem in univerſum orbem tenere Primatum, & ipſum Pontifi„ cem Romanum, Succeſſorem eſſe B. Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chri„ ſti Vicarium, totiusque Eccleſiæ Caput, & omnium Chriſtianorum Patrem, ac „ Doctorem exiſtere, & ipſi in B. Petro paſcendi, regendi, & gubernandi univer„ ſalem Eccleſiam a Domino JESU Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe. "

En!

ſed quid matataxas has ſteriles refellam. (a)

Et circa Giſelam, dum putat, illam non potuiſſe ætatis annum centeſimum ſuperare.

V. Ex pari Cucuma contra me deſpumat, dum (b) adverſus Lapidem Paſſavienſem ſcribit, cujus inſcriptioni ſi ſua veritas conſtet, oportuit Giſelam centenaria majorem obiiſſe. Id tamen de Matrona complurium liberorum Matre, quæ præterea a Petro Rege, ut Bavarici Scriptores affirmant, ærumnis vexata erat, & Paſſavii in ſumma auſteritate vitam traduxit, noſtro non videtur probabile. In Diſſertatione mea ſcripſeram ego, non eſſe, cur *incredibile* videri debeat, Giſelam ad centum, & ultra annos vitam adduxiſſe. Id Adverſario diſplicuit, & ex Theologia miro ſaltu ad Grammaticam ruit, de vocibus jam certare percupiens; ait enim ſupervacanee a me illud: *incredibile* dici. At, niſi in clara luce nihil videam, id, quod factum fuiſſe probabile non eſt, factum fuiſſe credibile non eſt, igitur factum fuiſſe incredibile eſt. Audiamus ipſummet; in Diſſertatione ſua (c) ſic habet: Id *quem in modum perſuaderi poſſit, non video.* Si nullus perſuadendi ſibi modus tam ſevero Critico ſuppetit, ſi item illud non eſſe poſſibile videtur; ſane etiam credibile non eſt; adeoque ſupervacanee de nomine certare ſatagit. Quanquam illum, mira metamorphoſi, iſta ſcripſiſſe, confeſtim pœnituit, nam poſt pauca iſthæc ſubnectit: *Omnia præjudicium adverſus Giſelam ſtabiliunt, quo minus credibile ſit eam ſupra centeſimum annum vixiſſe.* (d) Igitur incredibile eſt, eam ſupra centeſimum vixiſſe: proinde recte ſcripſi, me non aſſequi, cur *incredibile* videri debeat, Giſelam uſque ad annum ætatis CVI. vitam adduxiſſe. Ita Crito noſter ſolet. (e)

Tria

En! ſic loquuntur Theologi, & Sancta Dei Eccleſia, hoc eſt, quod Archi-Epiſcopi non SOLO HONORE, ſed & Primatu, Magiſterio, Poteſtate, Jurisdictione Romanis Pontificibus concedant, Lutherus quidem Lib. de Poteſt. Papæ. Illyricus Lib. contra Primatum Papæ. Synodus Smalcald. in Libro ejusdem argumenti. Calvinus Lib. IV. Inſtit. Cap. VI. & VII. Centuriatores Magdeburg. in ſingulis centuriis ad fin. Cap. VII. negant, Romanos Pontifices D. Petro ſuccedere in univerſæ Eccleſiæ Primatu, & Poteſtate. Sed hos Theologos Catholici damnant.

(a) Vid. Benedict. XIV. Diſſert. de SS. Canoniz. & Beatific. unde iſta ſumſi, & plura ſumi poſſunt. (b) Diatr. pag. 175.

(c) Diſſert. de S. Ladisl. pag. 208. (d) Diatr. pag. 176.

(e) D. Cornides multa hanc in rem congerit, ſed ea ita abſona ſunt, ut ejus codici merito adimant omnem gratiam, quibus refellendis aliud tempus conſtituo.

Me-

Tria autem ſunt, quæ illi id incredibile faciunt. Primum liberorum procreatio: Secundum ærumnæ a Petro Rege illatæ: Tertium vita in Cœnobio traducta. Verum iſta tanti non eſſe, ut nobis perſuadere poſſint, incredibile eſſe Giſelam ad annum CVI. vitam adduxiſſe, jam alibi docui: modo idipſum compendio regerere, non erit abs re. Scitum eſt, multarum prolium Genitrices reperiri, quarum liberi, illis etiamdum viventibus, ſeptuageſimum, & octuageſimum vitæ annum ſuperarunt, præſertim in Montanis. Hoc igitur titulo non eſt incredibile Giſelam ultra centeſimum annum vixiſſe. Scitum quoque eſt, vitam Monaſticam, quæ jejuniis, orationibus, carnis mortificationi vacat, adeoque hac de cauſa auſtera eſt, nedum dies vitæ hominis comperendinare, quin potius ad longius adducendam ætatem conducere, ut perſpicuum fit, e tot Cœnobiorum, atque Eremi incolarum exemplis, qui etſi ſanctiſſime, adeoque auſtere vixerint, vitam tamen ad altiſſimam adduxerunt ætatem. Itaque neque iſto titulo incredibile eſt, Giſelam ultra centeſimum annum vitam adduxiſſe. Scitum denique eſt, Giſelam Matronam fuiſſe pientiſſimam, & vitæ probitate conſpicuam, proinde quam

Medicum ſe facit, & Summorum Principum, Aulæ Familiarem; ita enim minutatim uſque ad calceos mulierum recenſet ea, quæ ad prorogandam vitam conducunt; ita item mores, & uſus Aularum adcurate deſcribit, ut revera neſcire debeamus, in ſcientiane rerum Aulicarum, an in Medica minus profecerit; utrobique certe invitam Minervam nactus erat. Et dum illa immodica dicacitate pertractat, Giſelam pientiſſimam Reginam plane indigne habet, dum enim Montium Incolarum morem cum Principum Fœminarum vivendi ratione confert, audacter ſcribit: Illos *non voluptas, & luxuria perdit, non ambitio, non invidentia torquet:* & confeſtim pag. 235. ſubnectit: *Diverſa omni parte eſt ratio Principum Fœminarum.* E quibus niſi me omnia fallunt, prorſus legitime infertur: Ergo Principes Fœminas voluptas, & luxuria perdit, ambitio, & invidentia torquet: & quia ejus narratio ad Giſelam dirigitur, reſtringiturque; hanc luxuriæ, & voluptati deditam, ambitioſam, atque invidentem, plus quam temerario auſu facit. Mihi vero ut ſtomachum hæc tanta in optimam Reginam licentia juſtiſſime movet; ita plvrimum gaudeo, quod dum Giſelam perperam laceſſit, cauſæque ſuæ ſmucidam laciniam prætendit, imprudens, & invitus Monachos miris efferat laudibus, quos alias deſpicatui habet, & velut inania terræ pondera pronuntiare non penſi ducit. Deinde Principum Fœminarum Aulas, vitam, & mores ita depingit, tanqnam ſi in Gynecæo Giſelæ enutritus fuiſſet, aut pediſequum egiſſet, cum tamen ignoret, an illius temporis Principum Fœminarum educatio modernæ ſimilis fuerit? an devexo jam in meridiem, ſole ſurgere conſueverint? & reliqua, quæ ætati illi, tanquam ſi præſens fuiſſet, confidentiſſime tribuit: ex quibus tandem præclare, me hercle! concludit, Giſelam centeſimum vitæ annum nequaquam exceſſiſſe. Ampullatæ nugarum empulæ.

ærumnæ a Petro additæ in tumulum haud præcipitarunt; optime illa enim didicerat, adverſitates æquanimiter tolerare; adeoque credibile non eſt, ærumnas a Petro Rege illatas, ejus animum ita perturbaſſe, ut ſeu impatientia, ſive ira, & furore, aut etiam immodico mœrore, abinde hauſtis, mortem ſibi acceleraverit: quanquam nec diuturnæ fuerint illæ ærumnæ, quas non multo poſt, tranſitu ad Paſſavienſem Parthenonem ſtudioſe declinavit, furorique Petri mente hilari, atque quieta, quod ad vitæ probitatem in primis pertinet, ſe ſe ſubduxit. Proinde nullo titulo incredibile eſt, Giſelam ultra centeſimum annum vitam adduxiſſe. Hæc in Diſſertatione mea memoravi: quid autem Noſter? ſtat illi pro ratione voluntas, & obſirmate clamat: *Incredibile eſt.*

Ad ea tamen, quæ de Monaſticæ vitæ auſtera ratione ſcripſi, more Sophiſtis uſitato reſpondet in hæc verba: *Hoc lubens indulgeo, opto tamen uti Noſter in ſe periculum longævæ vitæ in hunc modum faciat.* (a) Quorſum iſta? profecto Ædipus pariter & Davus ignorat. Poſſem vero ego hic multa notare, ſed quia cum Cl. Pray alii quoque in ſcena locandi forent; id ſolum ajo: *In medio mari quærit bonus ille undas.* Deinde ad exempla ſanctorum Monachorum, qui in magna auſteritate vitam exercentes annum centeſimum ſuperarunt, quærit ex me: *an idcirco etiam Giſela annos CVI. vixit?* (b) Non id tamen quærendum fuiſſet; verum: an idcirco credibile, probabileve ſit, etiam Giſelam annos CVI. vixiſſe? ſeu non eſſe incredibile, quod ad hanc ætatem pertigerit. Controverſia enim inter nos oborta, in eo ſolum eſt: an vita Monaſtica, jejuniis, oratione, & idmodi piis operibus exercita, impediat, quominus Cœnobii, aut Eremi Incolæ vitam ad centum, & ultra annos adducant? quia vero id compluribus exemplis docemur, non eſt cur affirmemus, non eſſe credibile, Giſelam eam ob cauſam, quod in Cœnobio vitam auſteram egerit, ad annum centeſimum ætatem protuliſſe. Ita Noſter raro in ſemita.

De-

(a) Inepta hæc, nec ſal, nec nitrum redolens dictio, A. R. Katona adeo complacuit, ut illam in Librum ſuum ad verbum exſcribere non ſit verecundatus.

(b) Diatr. pag. 177.

Denique e difficultatibus, quibus premi ſe ſenſit, pulcherrime, ſi Diis placet, ſe extricat, dum declamationem ſuam hac frivola ſententia coronat: *Ne ego deinceps Sanctimoniali, quæ jejuniis, oratione, mortificatione carnis, & id genus cæteris, Antonium, Paulum, & Giſelam æmulata fuerit, nec exceſſerit centum ætatis annos, merito opprobrium faciam.* Momica dictio! qua Cl. Pray ſibi ipſi, nec dubito, apud Lectores, qui ultra plebeculam arbitrari norunt, non modicum opprobrium facit. Quod ſi generatim affirmaremus omnes Monaſteriorum incolas, pie, auſtereque viventes, ætatem ultra centeſimum annum adduxiſſe, & ideo ſolum adduxiſſe, quia auſtere vixerunt; tum, amputatis tamen ludicris illis facetiis, vera eſſet ad ſingulas particulares perſonas illatio: modo vero, quia exemplis ab Antonio, Paulo, cæteris, ſumptis, illud duntaxat egimus, ut Noſtro, qui ſibi perſuadere nequit, probabile, adeoque credibile eſſe, Giſelam eam ob cauſam, quia in Cœnobio piis operibus vacabat, centum vitæ annos exceſſiſſe; idcirco futilem ejus argumentationem ab ipſis Philoſophorum elementis longiſſime receſſiſſe, jure, meritoque pronunciamus, Philoſophiæ ſtudioſis deridendam, explodendamque relinquimus, atque ad illos relegamus, qui - ſed deſino.

VI. Scribit, atque porro ex literis Pauli Judicis Curiæ, in quibus mentio fit Coronæ Giſelanæ ab Andrea II. ad uſus Sacri belli ex Eccleſia Veſzprimienſi acceptæ, conjectat, hanc Coronam, ex loco Sepulturæ Giſelæ acceptam fuiſſe, adeoque Giſelam, Veſzprimii tumulo illatam. Conjecturam iſtam, nulla alioquin Veterum authoritate ſubnixam, prorſus elumbem eſſe, alibi non obſcure docui: exiſtimavi nempe Coronam illam, ab Giſela Eccleſiæ Veſzprimienſi donum datam eſſe, cui verba Pauli Judicis Curiæ Regiæ æque congruunt; ea vero ſunt: *Unam pretioſiſſimam accepit Coronam beatæ memoriæ Kiſlæ.* Certe: ſeu dicamus illam ex Sarcophago Giſelæ, ſive ex ſtatua Sacræ alicujus Iconis, a Giſela ornatæ, acceptam ab Andrea Rege fuiſſe, ſententia Pauli ſemper vera eſt: ac ideo hoc titulo minime evincitur, Coronam illam ex Giſelæ exuviis ſumptam fuiſſe. Imo, quia oſtendi Giſelam Paſſavii quieſcere, clarum evadit, quid de hac noſtri conjectura plane ſingulari, an-

Circa Veſzprimienſem quoque Coronam.

tiquis ignorata, arbitrandum sit? Verum, quia Adversarius (a) inficiabatur, Coronam hanc Ecclesiæ Veszprimiensi a Gisela donum datam esse, eam ob causam, quod hujusmodi donum sine exemplo sit, & nulli usui futurum erat; idcirco cætera inter scripseram: *Existimo quod ea de causa id sine exemplo putet Cl. Pray, quia Corona illa magni pretii fuerat - - Ast nunquam ne vidit Templorum, præsertim, in quibus Thaumaturgæ Icones asservantur thesaurum? Proficiscatur, qui id videre vult, Lauretum, ad Cellas Marianas.* Quo his evadere conatus sim, quisque, si modo verba luxare, sententiisque vim inferre nolit, nullo negotio perspiciet: videlicet, affirmo falsum esse, non haberi exempla, quibus doceri possit, Ecclesiis Coronas aureas, ac pretiosas dono datas, & illis in primis Ecclesiis, in quibus Thaumaturgæ Imagines asservantur, quales sunt inter alias ædes Lauretana, & Cellensis. At Argutator noster, ut semper sui similis est, sententiam meam violenter detorquet, restringit, & in sua sensa ingratiis trahit; postquam enim illam recitasset, (b) subinfert: *Igitur Gisela Coronam Templo Veszprimiensi dedit ob Thaumaturgam aliquam Iconem.* Id equidem, e meis verbis tum eliciet, cum aquam ex silice; quin imo post pauca (c) non ambigue innui, in Ecclesia Veszprimiensi Thaumaturgam Iconem a me haud quæri, ita enim scripsi: *Unde non vane reor, fuisse Statuam quampiam alicujus Sancti, fortasse DEI Genitricis honoribus in Ecclesia Veszprimiensi erectam, quam Gisela e peculiari cultu memorata Corona ornavit.* En! dilucide ajo: Statua *alicujus* Sancti, fortasse Dei *Genitricis*, non igitur affirmo, Veszprimii fuisse Thaumaturgam: sed & in mea sententiam illud: *præsertim* manifeste indicat, mihi sermonem fuisse de Iconibus Thaumaturgis, & non Thaumaturgis. Igitur qua authoritate Crito noster verba mea ad solas Thaumaturgas restringat, non video: eo magis, quod in omnibus fere Majoribus Ecclesiis Icones, quæ Thaumaturgæ non sunt, Coronis aureis, argenteis, monilibus ornatas conspiciamus. Proinde,

(a) Dissert. de S. Ladisl. pag. 110.
(b) Diatr. pag. 178.
(c) Dissert. de S. Ladisl. pag. 158.

inde, ut noſtri argutia inanis eſt, ita ſupervacua quoque eſt ejus iſthæc interrogatio: Quænam ſit illa in Eccleſia Veſzprimienſi Thaumaturga Icon, quam Giſela Corona ornavit? (a)

De

(a) D. Cornides pag. 248. tantum non diem mihi præſtituit, tanquam ſi Andream II. Regem atrocis criminis reum facerem. Audiamus ipſiusmet Battologiam, ſic autem habet: *Si aurea Corona illa non fuit alia, quam qua Virginem Dei Matrem munere aliquo proſequuta Regina Giſela, Statuam fortaſſe ejus decoraviſſet, nefas omnino futurum fuiſſet Coronam ſimulachro detrahere. Hoc enim quid obſecro, fuiſſet aliud, quam Templa depeculari, ſigna Sanctiſſima violare, rebusque religione conſecratis impias ac ſacrilegas admovere manus.* Papæ! habemus jam domi novum Theologiæ Magiſtrum. At dum liberaliter hujusmodi inanimenta jactat, perſpicue prodit, ad ſublimiorem hanc ſcientiam nunquam ſibi patuiſſe aditum. Nec id mirum, non enim ejus ſeu religio, ſeu conditio illum his ſacris initiare poterat: ſed quod tam temere de rebus, quas ignorat, Decretoriam ſententiam ferre præſumat, omnes docti indignabuntur. Quis hac de re ſit Theologorum ſenſus, ego illum pauculis docere non gravabor, & ſi docibilis eſt, in viam reducam. Noverit itaque unanimem eſſe Doctorum mentem licere, in publicam ac notoriam Eccleſiæ neceſſitatem, utilitatemve: in Regnorum & Chriſtianorum conſervationem: in Fidei Chriſtianæ hoſtium exſtirpationem: imo in privatorum quoque captivorum a poteſtate Paganorum redemptionem, res ſacras, non illas modo, quæ pietate fidelium ad ornandas Eccleſias collatæ ſunt; verum eas quoque, in quibus Divina myſteria peraguntur, adeoque quæ peculiari titulo ad Dei cultum ordinantur, conflare vendere, expendere. Vin' teſtes? Cum Decius Imp. theſauros Eccleſiæ, quos non paucos eſſe, ut eleganter deſcribit Prudentius Hymno I. arbitrabatur, a S. Laurentio exquireret; hic greges pauperum in quos Eccleſiæ facultates expenderat, illi oſtendit, *quæ tanto integrius erant ſalvæ, quanto ſanctius probabantur expenſæ*, ut ait S. Leo. Serm. de S. Laur. S. Ambros. Lib. I. Offic. Cap. XVIII. ſic habet: *Nos aliquando in invidiam incidimus, quod confregerimus vaſa myſtica, ut captivos redimeremus - - Aurum Eccleſia habet, non ut ſervet, ſed ut ſubveniat in neceſſitatibus.* Idem feciſſe S. Auguſtinum, graviſſimus teſtis eſt ejus Diſcipulus Poſſidonius. Vit. Aug. Cap. XLII. *Nam & de vaſis Dominicis propter captivos, & quam plurimos indigentes frangi quædam & conflari jubebat, & indigentibus diſpenſari.* S. Greg. Mag. Lib. VI. Epiſt. XIII. ſcribens ad Fortunatum Epiſcopum Fanenſem ait: *Sicut reprehenſibile, & ultione dignum eſt, quemquam ſacrata vaſa, præterquam in his quæ Lex, & ſacri Canones præcipiunt, venumdare, ita nulla eſt objurgatione vel vindicta plectendum, ſi pietatis cauſa pro captivorum redemptione fuerint diſtracta.* Licet igitur, quin expedit etiam, theſauros Eccleſiæ, vaſa ſacra, prætioſam Templorum ſupellectilem ad ſublevandam pauperum neceſſitatem, ad redimendum captivos expendere: & non liceat Coronam auream ex Icone tollere ad ſublevandam exercitus Chriſtiani adverſus Paganos pugnaturi neceſſitatem? & non liceat Andreæ Regi ad redimendam, recuperandamque terram Sanctam XII. auri marcas ex Eccleſia Veſzprimienſi accipere? cumprimis ſi id cum eorum, quos Deus Eccleſiam ſuam regere poſuit, conſilio fiat. Theologiam non noſcit, qui iſta neſcit. Verum, quia hæc ſublimiora ſunt, adeat D. Cornides Iſtvánfii Hiſt. Lib. VIII. ubi iſthæc legat: *Decretum fuit in Comitiis, Regique permiſſum, ut donaria, resque aureæ, & argenteæ Templorum, quæ a piis mortalibus ad uſus divinorum Myſteriorum antiquitus data eſſent, ſi ita Reipublicæ neceſſitas poſtularet, Rexque, & Senatus cenſuiſſet,*

pro

Dehinc alterum ſuum errorem tuetur; ſed ejuſmodi mentis, quorum in Diſſertatione mea nervos ad vivum jam reſecui. Affirmat nempe Coronam a Giſela Templo donum datam eſſe, a vero prorſus abhorrere, eo, quod illius in re ſacra uſus non eſſet: *Templis enim*, inquit, *per eam ætatem non alia dona dabantur, quam quæ ſervientium in Eccleſia uſibus neceſſaria, & opportuna erant, cujusmodi erant, Caſulæ, Dalmaticæ, Tunicæ - - Miſſalia, Pſalteria, Gradualia, Regulæ, Baptiſteria, Homiliarum volumina.* (a) Hæc ille, errores veteres novis cumulando, nec ſatis bona fide, nec peritiſſime. Utrumque perſpicue demonſtro. Sumpſit ille iſta tacito nomine ex Peterffio (b) uti & ea, quæ eodem loco ex Diplomate Emerici Regis promit. Utinam autem ſincere exſcripſiſſet, quod ſine dubio, & quam maxime idmodi ſeveri ſupercilii Criticum decet, ita le-

---

pro certa parte in ſtipendia Militaria, at varias belli neceſſitates verterentur. Hæc intelligentibus ſatis clara ſunt. D. Cornides autem noverit, ſe non amplius rebus ſe ſe altioribus implicare; Theologi enim excuſſo, exploratoque conſilio ſententias promunt, nec ineptiunt unquam, niſi cum inſigniter deſipuerunt.

(a) In Diplomate S. Stephani non eſt: *Homiliarum Volumina*, ſed: *Omeliarum Volumine uno*, quod utique ita exſcribendum Noſtro fuit, nec *curſivis* literis, tanquam ipſius S. Regis verbum obtrudendum: id cum ſincera recenſione pugnat.

(b) Peterfi SS. Concil. pag. 9. Mirum, quod Noſter ſuppreſſerit ejus nomen, ex quo iſta hauſit: forte jam non meminit, mihi talia abs ſe vitio data eſſe, etſi ipſi illi non raro uſitata ſint. Ut ejus ſincera agendi ratio notior fiat, duas Epiſtolas, quarum Amicus autographum mihi transmiſit, hic promere juvat.

Georgius Prayus Gabrieli Kolinovitſio S. D.

Quod te Vir - - interpellem, qui tibi nec de nomine, nec, ut opinor, de vultu notus ſim, P. Jaſzlinſzkio adſcribes, qui mihi multa de tua - - narraret, illud adjecit etiam, te partem Attilæ ab Cl. Deſericio in lucem haud ita dudum editam accepiſſe. Hanc ſi ea tantiſper carere potes, uti mihi transmittas, ubi commodum fuerit, etiam atque etiam abs te peto. Pene ſimili in argumento verſor, quin Hunnorum Annales ex Orientis, Occidentisque rerum Scriptoribus, Græcanicis, Latinis, Francicis, Ruſſicis, aliisque compilatos jam ad finem adduxi: annorum ſeriem exactiſſime ſecutus, vix quinque, aut ſex annorum lacuna ſupereſt. Puto me res multas protraxiſſe, quæ paucis tritæ ſunt. Certe ex Chinicis libris author Gallus recentiſſimus Hunnos Sinis coævos facit, probatque ſolide, ex hoc, quæ neceſſaria erunt ad meos Annales, perinde exequar. Diſſertationibus prævils, &, ſi uſus fuerit Mappis Geographicis omnia illuſtraturus, ne legentes ſive locorum, ſive populorum ignorantia, ut fit, adhæreant. Vale Vir - - & laboribus meis, quos ſponte, nulloque præmio adductus ſuſcepi, fave, vale iterum. Tyrnaviæ VI. Calend. Quint. CIↃIↃCCLIX.

Ga-

legentibus dedita opera imponere velle, omnino turpe est. Audiamus igitur Péterfium, qui sic habet: *Magnam S. Regis curam, & providentiam in ornanda Domo Dei, docent ea, quæ Ecclesiæ S. Benedicti de Radice Montis ferrei (a) dono obtulerat anno MXV.* post hæc, ipsiusmet S. Stephani verba recitat in hunc modum: *Altaria his decoravimus ornamentis. Videlicet XIX. Casulis, Dalmaticis XIV. Tunicis XVIII. - - Missalibus VI. Psalteriis IV. Gradualibus V. Regulis II. Baptisteriis II.* - - Hinc appareret, dona illa, quæ Noster ex Péterfio adduxit, ac quæ servienti-

---

Gabriel Kolinovits Rel. Viro Innocentio Desericio e Scholis Piis S. D.

Solve tandem diuturnum, Deserici carissime, penna, qua sola licet, silentium, tua ut norim amicus, qui mea carptim significo. Dum III. Idus Mar. Peucino, apud quem quadriduum a Præsule Climone mea repetiturus abscedo Pisonio, & ad tuos e via pro exigenda nocte deflecto in Civitatem S. Georgii, Dissertationem adversus Prayum Apologeticam prima injecta mentione obtulit Glycerius. E contra III. Id. Apr. Spinopolim ingressus, ut Responsoriam Pray Epistolam pervestigarem, hora X. Collegium subeo Academicum: ibi juniorum quipiam, ubi frigescentem videre, calido inducunt Musæo, proque senii prærogativa & fatigii recentis necessitate considentem unum numero circumstant fors non infra tricesimum. Sermones de literis, nominari autem a me perhonorifice Franciscum Xaverium Ribicsium, cujus liberalitati Deguinesium suum se debere pag. 299. Annalium profitetur Prayus, audiens quidam, ac repente in vicinum digressus cubile, profert, effert cupitam Epistolam, subsumptus jucunde a Collegis, quod Patrui sui laudes illa pensare, Paulus Ribicsius, nempe Francisci Nepos e Germano, studuerit. Hanc dum eodem adhuc, quo Spinopoli redii die XVIII. Cal. Maj. apud lares evolvo per otium, pag. 16. impingo in Paragraphum: *Tum quæ ex tuis Commentariis refutanda mihi sumpsi, quos ante finem anni MDCCLX. ne videram quidem.* Queis Epistolam Pray Spinopoli VI. Non. Quint. jam anno CIↃIↃCCLIX. ad me datam, & isthic tuis calamo duntaxat præfixam Annalibus, cujus copiam XIX. Cal. Vilbr. anni ejusdem a me habuisse, recte opponas, observaturus una petitum a me Attilam tuum, mihi te mittente III. Id. Jun. redditum, non refutandi, quod inquit: *sed implendæ quinquennis sexennisque lacunæ gratia* XVI Cal. Sept. abiisse hinc in manus Prayanas, nihil dubius, quin altera minimum luce pertigerit etiam prout omnia ista intra memoratum LIX. annum, non vero fine LX. evenisse meæ convincunt Epistolæ, ut cum a desiderii pariter qualitate, tum temporis designatione bonus Prayus jure tibi vapulet meritissimo - - Vale. E solitudine mea Senquiczii VII. Calen. Maj. CIↃIↃCCLXIII.

(a) Hæc Abbatia Péch Varadinensis est, quæ passim nominabatur de Várad ad Radicem Montis Ferrei. Unde Noster in Dissert. de S. Ladisl. pag. 59. miro artificio, omissis vocibus *Péch, & ad radicem Montis Ferrei* eniti conatus erat, ut persuaderet in Urbe Varadinensi, hanc Abbatiam conditam fuisse, adeoque Varadinum jam ante tempora S. Ladislai extitisse. Sed artem tempestive detexi, & audaciæ pœnas Noster apud Viros doctos jam luit, tametsi in Hier. Eccl. Par. II. id ipsum constabilire satagat, ne videlicet legentibus illudere voluisse videatur. Vid. Dissert. meæ de S. Ladisl. pag. 85.

um in Eccleſiæ uſibus neceſſaria, & opportuna erant, ab Sancto Stephano Eccleſiæ Montis ferrei dono data fuiſſe, adeoque ad hanc ſolam reſtricta. Audet tamen Crito noſter ex his iisdem S. Stephani verbis, hoc eſt: ex particulari ad generale contra omnem ſanam Philoſophiam argumentum ducere. *Templis enim*, ait, *per eandem ætatem non alia dona dabantur, quam quæ ſervientium in Eccleſia uſibus neceſſaria, & opportuna erant, cujusmooi erant: Caſulæ - - ut ex Diplomate S. Stephani Regis de anno MXV. liquet.* Ita ſane! liquet utique illa dona data eſſe Eccleſiæ Montis ferrei, ſed minime, ex eo quidem Diplomate liquet, nulla alia dona data eſſe per eam ætatem aliis Eccleſiis, ſeu a S. Stephano, ſeu ab aliis Hungariæ Regibus, Reginisve. Certe, maximopere ridiculum eſt, iſthoc Adverſarii argumentum: S. Stephanus Eccleſiæ Péch Varadinenſi Coronam non donavit auream, ergo neque Giſela Eccleſiæ Veſzprimienſi idmodi donum dedit: ergo ea ætate non fuit mos, ut Coronæ aureæ Eccleſiæ dono darentur. Hæc equidem nemini fuiſſet difficile perſpicere, ſi modo Noſter indicaſſet, dona illa ſolam Eccleſiam Montis ferrei, cui data ſunt, reſpexiſſe: at noluit ſui proditor eſſe, maluitque technas adhibere, ſperans fore, ut tutius illudat. Inde etiam eſt, quod donis his numeros a S. Rege in Diplomate expreſſos, apponere induſtrioſe omiſerit: quos tamen, ſi ſincere agere volebat, adjicere debuiſſet: & adjeciſſet utique, niſi veritus fuiſſet, ne dolus non prodatur; quis enim tam excors futurus erat, ut non primo obtutu diſpexiſſet, Diploma S. Stephani ad particularem Eccleſiam pertinere; a particulari vero ad generale ducere argumentum, eſt ineptire.

Gravis Adverſarii hallucinatio ob non intellectum Diploma S. Stephani.

Errat deinde palmarem errorem, dum dona illa recenſens, ad vocem: *Regulæ*, hanc notam omnino perperam addit: *Regulæ ad Collegium Canonicorum, qui in principio, ut præclare Noſter R. R. D. Author obſervat, communiter vixere, ſine dubio pertinebant.* Quid? ſine dubio pertinebant? Fateor a Panhypercritico doctiora jure deſideramus meritiſſimo. Exiſtimat ille hoc loco nomine *Regulæ* venire quasdam Leges, Conſtitutiones, ſeu Canones, ad quorum normam Collegia Canonicorum mores, & vitam exigere tenebantur. Sed quam id inſcite, Lectorum judicium lubens, volensque appello. Non volo autem jam memo-

morare, quod isthoc S. Stephani Diploma ad Monachos S. Benedicti ad Radicem Montis ferrei fundatos attineat, adeoque prorsus incongrue, nolo enim dicere ineptissime, ad Canonicos quod ajunt, *Sæculares* transferatur; quis enim tam hebetis est ingenii, ut existimet Regulas Monachis Benedictinis dono datas, ad Collegia Canonicorum Sæcularium, hos enim noster intelligit, pertinuisse, & sine dubio? mirum! ni sibi ille persvaserit, Monachos Péch Varadinenses ordinis S. Benedicti, fuisse Canonicos Sæculares: quo quid potest esse absurdius? Missis tamen his illius refutari indignis nugis; sciat nomine *Regulæ* hoc quidem loco non aliud indicari, quam *Necrologium*, hoc est Codicem, in quem Defunctorum & Benefactorum nomina referebantur, ut pro iis die obitus preces ad Deum funderentur: hinc hujusmodi Codices in omnibus fere Monasteriis, maxime Benedictini ordinis asservabantur, e quibus cottidie in Capitulo Monachis quidpiam prælegebatur. Hinc Cardinalis Bona (a) testis est, in Monasteriis viguisse hunc morem, & in plerisque adhuc manere, ut mitterent invicem sibi Fratrum, Amicorum, Benefactorum Defunctorum nomina, ut in libro, quem *Necrologium* vocabant, describerentur, & quotidie post lectionem Martyrologii ex ipso Codice eorum nomina, qui ipsa die obierant, legerentur, atque pro illis Psalmus *De profundis* cum oratione competenti decantaretur.

Ut vero pateat, Regulam pro Necrologio sumi, juvat unum alterumve testimonium adferre. Capitulare Aquisgranense anno DCCCXVII. Capite LXIX. hæc habet: *Ut ad Capitulum primitus Martyrologium legatur, & dicatur Versus, deinde Regula.* Hinc *Annotatio nominum in Regula*, in charta anni MCLXXVII. apud Buzelinum (b) *Et sic pro omnibus fit unum Officium cum generali Missa, & cæteris, quæ fieri solent pro nostris, excepta præbenda & Brevium transmissione, ac Regulæ annotatione.* Martyrologium Corbeiense: *Deinde tricenarius cum Septenario, & ab uno quoque Sacerdote Missa pro eo dicitur, &*

(a) Card. Bona. Lib. II. Rer Lythurg. Cap. XIV. Num. II.
(b) Buzel. Lib. II. Gallo, Fl. Cap. XXIII. Canon. S. Quintiani Scrip. Sæc. X.

ab aliis XXX. Pſalmi. In Regula ponitur. In Hiſtoria de Fratribus conſcriptis apud Goldaſtum (*a*) de Anniverſario iſta leguntur: *Hoc quoque in noſtra Regula placuit nobis exſcribi, ut nunquam vel oblivio, vel negligentia valeat prætermitti.* Regula itaque ea ætate paſſim pro Necrologio accepta fuit. Quam iſto ſenſu ab S. Stephano quoque in laudato Diplomate accipi, dubitare nos ipſe vocum nexus, & conſtructio haud ſinit; nam S. Rex cætera inter recenſet libros, ab ſe Monachis Péch Varadinenſibus ad radicem Montis ferrei datos, qui ut Noſter ultro agnoſcit, ſervientium in Eccleſia uſibus neceſſarii, & opportuni erant. Monachalis vero Regularum Codex, ad præſtandum Eccleſiæ, ſeu Templo ſervitium, pro nullo uſu futurus erat, pertinet enim ad regulandam in Cœnobio Monachorum vitam, moresque regendos: non igitur, hujusmodi Regulæ, ſeu Conſtitutionum Monaſticarum meminit in ſuo Diplomate S. Rex, ſed ejus, quæ Necrologium nobis indicat.

Ad hæc S. Stephanus *Regulas* inter cæteros Codices, Miſſalia, Pſalteria, Gradualia, Baptiſteria, Gloſſaria, Homiliarum volumina collocat: igitur Regularum nomine iſthic Codex venit; non vero Monaſticarum Legum Codex, ut non obſcure docui, proinde Necrologium. Id quod clariſſime confirmat, quia S. Rex iſta duo: *Regulas, & Baptiſteria* conjungit: itaque quemadmodum Baptiſteria hic, Codices, in quibus Baptiſmi ritus, & ordo deſcriptus erat; ita Regulas, Necrologia, in quæ mortuorum nomina referri debebant, ſignificare nemo ſanus inficias iverit. Certe priſcis temporibus Baptiſterium idem erat, quod liber, in quo ritus Baptiſmi, & Orationes, vel Ordo ad Baptiſandum, deſcripta erant. Quod manifeſte probant Capitula Caroli Magni, ubi (*b*) ita lego: *Ut audiant Epiſcopi Baptiſteria Presbyterorum, ut ſecundum Romanum morem baptiſent.* Capitula Guilleberti Epiſcopi: *Unusquisque Baptiſterium ſuum habeat, ut recte baptizare poſſit.* (*c*) S. Bonifacius Moguntinus Epiſcopus: *Unus-*

(*a*) Goldaſt. Rerum Aleman. Tom. II.
(*b*) Capitul. Caroli M. de diverſis rebus an. DCCLXXXIX. Cap. VII.
(*c*) Guilleb. Epiſt. Capitul. Cap. III.

Unusquisque Episcopus in sua Parochia diligenter discutiat suos Presbyteros, & faciat, ut illorum signacula, & Baptisteria bene faciant, & edoceant Presbyteros, quid in illo Baptisterio, unum quodque verbum, vel sententia per se significat. (a) Burchardus: *Discat - Psalterium Lectionarium cum Evangeliis, Sacramentorum librum, Baptisterium, & computum cum Ciclo.* (b) Unde appareret, Baptisterii nomine veniſſe olim librum, in quo ritus conferendi baptismi descriptus erat: & talem librum, seu Baptisterium Ecclesiæ Péch Varadinensi donavit S. Stephanus: e quibus una patet, Monachos hujus Cœnobii Animarum quoque curam, tanquam Parochos exercuisse, atque ideo Necrologio etiam, in quod Defunctorum, & Baptizatorum nomina describerent, opus habuisse; cui necessitati succurrit S. Rex, dum illis *Regulas duas* dono dedit. Certissimum itaque evadit, in isthoc S. Stephani Diplomate nomen Regulæ pro Necrologio accipi; neque enim opus habebant Monachi Benedictini ab S. Stephano Monachalis sui Instituti Regulas accipere, quas alioquin a suo Fundatore Divo Benedicto traditas, & a Romanis Pontificibus adprobatas, secum procul omni dubitatione attulerint. Proinde præsidium ab hoc Diplomate per Critonem nostrum, nec satis bona fide, nec peritissime quæri, uti arbitror, Historico-Critica demonstratione demonstravi, quod pollicitus eram.

Nolim tamen ex his meis illi, qui omnia in transversum agere solent, sibi persuadeant, a me in dubium vocari, num olim Canonici sub Canone, seu canonica Regula communiter vixerint? id certius est, quam ut vel modicam dubitationem admittat. Sed quia Adversarius hunc suum locum, veluti svavis nugator, pluribus rebus, quæ non modo extra omnem omnino argumenti nostri rationem sunt, verum etiam ipsum Canonicorum Ordinem audacissimo contemptu lacessunt, refersit; oportet & illius exquisitum supercilium perlimare, & quis in iis sit Eruditorum sensus, succincte declarare. Primitus triplex tan-

(a) S. Bonifac. Episc. Mogunt. Capitul. Cap. XVI.
(b) Burchard. Lib. XIX. Cap. VIII.

tum fuit in Ecclesia Fidelium Ordo, Lajcorum nempe, Clericorum, quos & Canonicos vocabant, ac Monachorum. De hoc Dudo (a) sic scribit: *Christianæ Religionis summa trimodo constat ordine distincta, munifico Lajcorum, Canonicorumque atque Monachorum labore exercita, & quamquam tres ordines sint ad excolendum cultum veræ Fidei, bicallis via est ambivii itineris, certa spe veræ credulitatis, quarum una πρακτικῆς nomine laxius vehit; & Canonica dici meruit, sub cujus ditione Lajcalis Ordo moratur, & vivit: altera vero nomine θεωρητικῆς limitibus hinc inde coactis artata non vehit per plana, sed secessu confixa, secretoque perenni læta, molitur semper ad ardua.* Clerici, qui Ecclesiæ deserviebant, Canonici adpellati sunt, quod essent ἐν τῷ κανόνι, & ἐκ τῆς κανόνος, ut loquuntur Concilia, Antiochenum, (b) Calcedonense, (c) & Synodus Trullana, (d) vel quod essent *sub Canone Ecclesiastico constituti*, ut Concilium Forojulienſe. (e) Isti Canonici Sæculares perinde ac Regulares in eodem claustro manebant, in eodem dormitorio cubabant, in eodem triclinio manducabant, & *Episcopus eorum regebat vitam sicut Abba Monachorum*, ut est in Capitulis Caroli M. (f) quem usum etiam serius obtinuisse certum est: ante pariter, caret dubio: quod ex S. Gregorio Turonensi patet, (g) scribit enim Baudinum Episcopum Turonensem instituisse Mensam Canonicorum in eadem Ecclesia Turonensi. Idem patet ex Diplomate Chilperici Regis Francorum anni DLXXX. pro Ecclesia Tornacensi (h) ubi statuitur, ut *ipse teloneus & justitia de teloneo omni tempore ad Mensam Canonicorum ejusdem Ecclesiæ proficiat.* Nullum itaque supereſt dubium, Canonicos olim in communi vixisse, adeoque nostrum in re vera illa memorasse, quæ Lyppo, & Tonsori nota sunt.

Sed

(a) Dudo Lib. III. de Act. Nor.
(b) Concil. Antioch. Can. II. VI. XI.
(c) Concil. Chalced. Can. II.
(d) Synod. Trull. Can. VI.
(e) Concil. Forojul. Anni DCCXCI. Can. VI.
(f) Capitul. Caroli M. Lib. I. Cap. LXXIII.
(g) S. Gregor. Turon. Lib. X. sub finem.
(h) Miræus Diplom. Belgic. Tom. II. pag. 1310. Col. II. edit. Bruxel. MDCCXXIII.

Sed aliud ulcus in pectore Adversarii hærere & hoc, & quæ sequuntur, liquido produnt; sumpto enim ex Regulis argumento, ingratiis ait: *Hinc in Regum nostrorum literis Canonici dicebantur Fratres?* Næ Crito noster plus quam Lynceus est, si istud perspicit per tot tectoria. Sed quorsum illud: *Canonici dicebantur Fratres?* quis de eo dubitavit unquam? sane nec Pyrrho. Utique Fratres dicebantur in universo orbe terrarum, etiam ante Diplomata Regum nostrorum, hodie quoque & in Hungaria & ubivis Fratres & Confratres se se vocant; Id omnibus, si modo in Historia & Disciplina Ecclesiastica Hospites, aut in Jure Canonico, & Capitularium consuetudinum notitia obæsæ naris peregrini non sint, exploratum est. Fratres dicuntur, & ut ipsi Canonici hoc tali titulo affici gaudent, ita nec dubito, Noster hujusmodi Frater fieri pleno anhelitu optat, nec vereri potest, ut isthoc nomen illi apud cordatos contemptum pareret, quem modo, cum Canonicos cum insigni Sarcasmo, quid enim id ad rem præsentem conducit, Fratres compellat, allinere tot nobilissimis Collegiis non erubescit. Certe, omnis ejus satis diffusa narratio nihil aliud in scuto fert, ita enim ad illius argumentum attinet, uti pugnus ad oculum. Adeat, svadeo, Ceremoniale Romanum, & comperiet, quam nimium perperam ista scribillaverit, animadvertet præterea, quam gloriosum sit apud Canonicos nomen *Fratris*. Author Ceremonialis (a) scribit: Imperatorem sumpta Romæ Corona, ad Lateranum cum suis progredi, ibique *recipi in Canonicum, & Fratrem Ecclesiæ Lateranensis*. Idem tradit Petrus de Andlo, additque Marquardus Freherus, (b) eandem dignitatem obtinere in Ecclesiis Aquisgranensi, Colonienſi, & Bambergensi: Joannes Noppius (c) describit juramentum, quod Imperator tanquam Canonicus, & Frater ejusdem Ecclesiæ facere solet. Id enim Juris interdum sibi reservarunt Principes in iis Ecclesiis, quas aut a fundamento erexerunt, aut amplis dotaverant reditibus, ut in tesseram, & notam quandam Patronatus Canonicorum Catha-

Et Canonicorum officium.

logis

(a) Cerem. Roman. Lib. I. Sectio. V.
(b) Marqu. Freher Lib. II. Cap. VI.
(c) Nopp. in Chron. Aquisgr. Lib. I. Cap. XII. pag. 70.

logis adscriberentur. (a) Et audet Crito noster, Canonicos per ludibrium *Fratres* dictitare: ille Μελανοῦχος.

Cur non audeat? qui majora his garrire non timet; nam in vestigio isthæc supperaddit (b) *Istorum* (Canonicorum) *munus erat, ut Scoonebeck ait: qu' ils font profession de catechiser les Enfans, & d' assister les pauvres infirme en leurs necessites* (c) hoc est: *quorum officium fuit; parvulos catechisare, & pauperibus infirmis in necessitate assistere.* Hui! quam hoc imperitum est, quod noster nunquam evincet apud Areopagitas Grammaticos, nec apud Amphyctiones Dialecticos. Scoonebeck dicit? Quid his lacunis opus est, si fontes illimes adsint? Cur non Capitularia Regum? cur non Codices rerum Ecclesiasticarum, Imperialium, & Hungaricarum? cur non Historia, & Disciplina Ecclesiastica nova, & antiqua consuluntur? Ex his petenda & cognoscenda est obligatio Canonicorum. Nihil quidem a Presbytero laudabilius fieri posse existimo, quam si parvulos in rebus, quæ ad Deum ducunt, rite instituat, si item infirmos, & imprimis egenos consoletur, adjuvet, & ad consequendam felicem æternitatem recte præparet. Sed Canonicos Hnngariæ id ex munere suo agere debuisse, tam falsum est, quam quod falsissimum. Canonicatus & Hungariæ, & totius Mundi, esse Beneficia simplicia Majora, hoc est, quibus cura animarum non sit adnexa, nemo ignorat, qui Juris Canonici, & Ecclesiæ Ordinis Hierarchici notitiam habet prorsus nullam: pariter, rudi plebeculæ etiam est perspicuum, quod parvulos catechizare, Verbum Dei annuntiare, infirmis assistere, moribundis Sacramenta ministrare, ex natura sua ad curam animarum, seu Beneficium Curatum pertineat. Igitur, quia Canonicatus est Beneficium simplex, seu non curatum, monstra & chymeras producit noster cum suo Scoonebeckio, dum affirmat, Canonicorum professionem esse, parvulos catechizare, infirmis assistere, sive quod idem est, Canonicatum esse Beneficium

(a) V. Sanjulian. Antiqu. Cabillon. Joan. Placent. Catal. Episc. Traject. Coquill. Hist. Nivern. pag. 158 Major. Antiqu. Aurelian. Par. II. pag. 71.
(b) Scooneb. Articulo: Les Chanoines de Hongrie.
(c) Diatr. pag 179.

um natura ſua curatum, & non curatum. Quam præſtitiſſet, Critoni noſtro hæc non contrectare: Sed ita fieri amat, ut, qui per avia, & devia, per aſpera, & plana cæco impetu, quia vindicta ferventes, divagantur, multimodis impingant.

Verum: fortaſſe Noſter cum Scoonebeckio ſibi perſvaſerunt, jam tempore Attilæ, aut Almi Ducis Collegia Canonicorum in noſtra Hungaria conſtituta fuiſſe; illa enim ætate triplex tantum, ut ſupra docui, fuit in Eccleſia Fidelium ordo, Lajcorum nempe, Clericorum, qui & Canonici dicebantur, ac Monachorum. Et quia Clericorum ordo ex munere ſuo curam exercebat animarum, hi autem etiam Canonici nominabantur, utique de ea ætate dici poteſt, Canonicorum Officium fuiſſe, pauperes catechizare, infirmis aſſiſtere. At vero, illo tempore nondum habuit Hungaria Canonicorum Collegia, quæ primum tunc ſunt erecta, cum jam ordo Fidelium in Eccleſia multiplicatus fuerat; ea propter manſit quidem animarum cura penes Epiſcopos, Parochos, aliosque ad id deſtinatos Clericos: ſed Canonici ab ea obligatione ſoluti, ad alia munia deputati erant: quod, non dico jam Viros eruditos, ſed neque popellum latet, & tamen noſtrum cum Scoonebeckio latuit. Hinc etſi ante Colomanni Regis tempora, quantum quidem ſcio, Canonici Presbyterorum nomine venerint, attamen diverſos illos fuiſſe a Presbyteris, curam animarum exercentibus, ſatis patet ex Conſtitutionibus Eccleſiaſticis ſub Andrea I. Rege, & Neæmia Archi-Epiſcopo Strigonienſi circa annum MXLVII. editis, ubi hæc habentur: *Ut Pontifices, & Collegia Sacerdotum priſtino more obſervarentur.* (a) Colomanni Regis ætate vero jam ubivis uſitato Canonicorum nomine compellabantur, ut videre eſt apud Péterfium inter Capitula Nationalis Synodi Strigonii ſub Colomanno Rege, & Laurentio Archi-Epiſcopo celebratæ. Hæc copioſius eſſe pertractanda rebar, tum, ut tandem Crito noſter videat, quam obtuſo, plumbeoque gladio in arenam deſcendere ſoleat, tum, quia odi ejusmodi vitilitigationes, quæ nulla ſui parte ad propoſiti argumenti rationes pertinent,

(a) Péterſ. S. Concil. Hung. pag. 13.

& nihilominus dolis, technis, fucis, odio, vindicta, contemptu, lædoriis, ſutelis, imperitia, ninquida abſurdorum colluvie farciuntur, atque immodice turgent. Ad hæc, ni æneus ſim, dolere mihi debet, quod Adverſarius non jam in me ſolum, ſed mei cauſa in univerſum Canonicorum Chorum extra omnem rhomboidem miro quodam deſpicatu inſiliat. Et quid illi cum iſto axe? Iſti Hercules non egent tali Joalo. Itaque res alias, & ſuas agat.

Redeo in viam, unde me Noſter extra orbitam progreſſus abſtraxit nolentem. Negat porro Coronam auream Veſzprimienſi Eccleſiæ a Giſela dono oblatam eſſe, quia videlicet Chartuitius ſcribit, cruces, vaſa, paramenta ſacra ab illa Eccleſiis data eſſe, Coronæ vero non meminit. At profecto Chartuitius nuſpiam texit Catalogum ſupellectilis ab Giſela Eccleſiis donum datæ: ſatis habuit ad commendandum egregium ejus in res ſacras ſtudium, aliqua dona commemoraſſe, e quibus ad plura alia cogitanda Lectores ducantur. Id ex ipſius Chartuitii verbis non obſcure liquet; nam poſt relatam per Noſtrum ejus ſententiam, continenti ſerie, quod tamen Noſter libenter reticuit, iſta ſubnectit: *præcipue tamen Eccleſia Veſzprimienſis quam - - in auro, argento, multigenisque veſtibus ornavit.* En! generatim loquitur: *in auro, argento*, hoc eſt: multa Giſela ex auro & argento confecta Veſzprimienſi Eccleſiæ donavit: non poteratne inter iſta Corona aurea eſſe? utique. Non igitur bonam mercatus eſt ſibi offam a Chartuitio; ſi enim pernegaverit inter illa aurea dona etiam coronam numerari, ego vehementer affirmabo: attamen neuter noſtrum ex Chartuitio quidem ſuum attinget ſcopum. Proinde, ſatius foret ejusmodi palea levioribus telis non decertare, quæ nedum conjecturam non faciunt, quin ne tenuem opinationem quidem. Cum itaque ex Domeſticorum Scriptorum fide haud conſtet, Giſelam illius modi ſolum dona Eccleſiis dediſſe, quæ in peragendis ſacris adhibebantur: cum item in literis Pauli Judicis Curiæ tantum dicatur: *Corona bonæ memoriæ Kislæ*, quæ verba, ſeu Corona illa de exuviis, quod Noſter vult, Giſelæ ſumpta fuerit, ſeu Eccleſiæ Veſzprimienſi ab Giſela ad ornandam quampiam Iconem, quod ego reor, donum data, æqualiter vera manent; idcirco,

non

non bene conjectura capitur, hanc Coronam fuisse Giselæ, dum humaretur, consepultam: atque ideo nullum plane argumentum præbere, Giselam Hungariæ Reginam Vesprimii conditam. Itaque hoc etiam titulo Lapidem Vesprimiensem inter Cenotaphia reponendum esse: & quod suapte hinc efficitur, Giselam Passavii tumulo illatam, veritati magis consentire, patet.

Nec quidquam probant ab Adversario operose congesta (a) Regum nostrorum Reginarumque exempla, qui Corona redimiti, aliisque Regiæ potestatis insignibus ornati humo mandabantur. Talis erat Carolus Rex Ludovici I. Pater (b) cum Corona aurea sepultus in Ecclesia Albensi: talis ex inventa in Varadinensi Sepulchro, Corona, sceptro, pomo, ac velo Muliebri præsumitur fuisse Maria Sigismundi Conjux, cum constet illam isthic sepultam esse: talis ex reperto anno MDCXXXVIII. in Arce Varadinensi Sarcophago regio, in quo Corona aurea adamantibus interstincta, cum sceptro, aliisque regiis ornamentis inventa est, creditur esse S. Ladislaus Rex. Quid aliud ex his exemplis doceri potest, quam, ut summum, obtinuisse in Hungaria morem, ut Reges, & Reginæ, cum ornatu Regio, cujus præcipuum decus, & character Corona est, sepelirentur. Ob quod equidem neminem bello adgrediar, etsi possem; scimus enim aliorum quoque priscorum Hungariæ Regum sepulturæ loca, quin ad nos pervenerit, illos cum Corona aurea conditos fuisse: quod satis aperto indicio est, non obtinuisse inde a primis temporibus in Hungaria usum, ut generatim omnes Reges, Reginæque cum corona aurea humo mandarentur. Sed quamvis omnes ita tumulo illati fuissent; inde tamen non aliud sequi potest, quam etiam Giselam Reginam cum aurea Corona sepultam esse; si tamen a suis, quorum Regina erat, terræ credita est. Ex hoc nihilominus nondum apparet, illam in Ecclesia Vesprimiensi conditam esse: minus vero Coronam ex

(a) Diatr. pag. 183.

(b) Non ignoravi ego ista exempla, sed tanquam ad rem nostram nihil facientia præterivi. Neque literæ Ludovici I. mihi incognitæ erant: cur autem illas recitassem, quando inter Adversarii momenta, nullum locum facere possunt: adeoque non recte mihi objicit, quod eas referre dissimularim.

hac Ecclesia ab Andrea acceptam, fuisse Giselæ consepultam: imo e tot claris indiciis probantibus Giselam in Cœnobio Nidernburgensi quiescere, patet Coronam Vesprimiensem non aliter ad Giselam referri posse, quam quod singulare ejus donum sit. An autem Nidernburgi cum aurea Corona humo mandata sit? nihil habeo dicere: existimo tamen, cum illa statum Reginalem in Monachalem demutaverit, fieri id nec oportuisse, nec factum fuisse. Cæterum, ut adducta exempla quidpiam valeant, probandum Adversario erat, quod sicut Carolum, Mariam, & S. Ladislaum cum aurea Corona sepultos fuisse, inventæ in eorum sarcophagis ejusmodi Coronæ evincunt, ita Corona Vesprimiensis ab Andrea in Sarcophago Giselæ reperta. doceat Reginam pientissimam Vesprimii sepultam jacere. Atqui id, ut nullus alius, ita nec Paulus Judex Curiæ Regiæ in suis literis memorat, quod tamen velut Ecclesiæ Vesprimiensi honorificum commemorare dignum erat. Igitur Pauli literæ potius constabiliunt. auream illam Coronam ab Gisela huic Ecclesiæ dono datam fuisse. Proinde grandi pompa adducta Reginarum, Regumque Hungariæ, cum regiis insignibus conditorum exempla, inter argumenta, quæ futilia dicuntur, jure reponenda sunt optimo.

Quod porro noster Author ait, ad hunc locum injuria transfertur. Cum nempe de inscriptione Lapidis Vesprimiensis agerem, (a) quid fieri potuisse suspicabar, his expressi verbis: *Quid si Passavio B. Giselæ Reliquiæ Vesprimium translatæ, ac in loculum, in quo Adelhais condita dicitur, compositæ sunt?* Ille vero a Reliquiis ad Coronam ingratiis, nec rite torquet, ac subjicit: *quoniam interrogantis more dictum est, hoc uno refellitur: Quid si non sunt translatæ?* (b) At id sane jejuna hujusmodi interrogatione nec critice, nec historice refellitur. Cur enim suspicarer Giselæ Lipsanorum partem Passavio Vesprimium translatam esse, præter illam interrogationem, causam quoque eodem loco continuo reddidi, quam tamen ille prudens, volensque præterit, ut tutius insultet, ac illudat. Cau-

sam

(a) Disser. de S. Ladis. pag. 159.
(b) Diatr. pag. 186.

ſam vero hanc adjeci, quia videlicet Bonfinius ſcribit: In Eccleſiam Veſzprimienſem *Antiſtes quidam Gislæ, & Olhait Reginarum oſſa congeſſit.* Quod profecto, quin ulla vis verbis inferatur, hunc videtur facere ſenſum: Adelhais uxor S. Ladislai Veſprimii ſepulta dicitur, huc deinde Paſſavio quæpiam oſſa delata ſunt ex reliquiis Giſelæ, quæ cum oſſibus Adelhaidis Antiſtes quidam in unum loculum compoſuit, & ut perpetua ſit utriusque Reginæ apud poſteros memoria, lapidem cum inſcriptione erexit: quam deinde poſt temporum intervalla Petrus Rhegynus Epiſcopus Veſzprimienſis magis excultam novo lapidi, quem poſuit, incidi curavit. Non igitur ſuſpicio mea in ſola inani interrogatione ſubſtitit, adeoque nec ſola inani interrogatione refellitur. Certe ex illis Bonfinii verbis, Paſſavio Veſzprimium Giſelæ Reliquias cultus cauſa translatas fuiſſe, utcunque confi.ur, atque adeo videtur ille id nobis teſtari. Quod quemadmodum forte ad ſuſpicandum cauſam non plane nullam præbet, ita non optima fide ad Coronam auream transportatur. *(a)*

(a) Objecerat Cl. Pray in Diſſert. ſua, non eſſe credibile, ut Ladislaus Giſelam Apotheoſi Mariti ſui non intereſſe vellet, ſi tum illa adhuc vixit: ut &, ne Scriptores domeſtici, dum de elevatione S. Stephani loquuntur, ullam Giſelæ viventis mentionem facerent. Ad prius reſpondi: ſine omni teſte adſtrui, quod Ladislaus Giſelam pro Apotheoſi Stephani non vocarit, adeoque mihi etiam ſine omni teſte licitum erit ſuſpicari, eam ad illa ſolennia vocatam fuiſſe; verum Giſela cum quod plene valefecerit mundo, tum quod nimium jam devexa ætate eſſet, venire modeſte detrectarit. Ad alterum repoſui: verum eſſe, Scriptores domeſticos de elevatione S. Stephani agentes, Giſelæ viventis mentionem haud facere: at verum quoque eſt, illos neque mortuæ meminiſſe, cum tamen ſeu hoc, ſeu illud commemorare dignissimum fuiſſet. Cæterum, ſilentium hujusmodi parum ad rem præſentem facit; multa enim Scriptores noſtri ſilentio prætereunt, quæ ab exteris mutuare debemus, ſed non propterea falſa ſunt, quod eorum illi neutiquam meminerint. Hæc erant mea. Dan. Cornides, neſcio, quo æſtro percitus, horrifico impetu ex me percontatur: *Cur exteros illos Scriptores, e quibus Annalium noſtrorum lacuna expleri in hac parte poſſet, non profert? Quia nempe nemo Scriptorum exterorum verbum de Giſela illic præſente ejecit.* Tantum intereſt, ut quod legimus, intelligamus etiam. *Hinc exit varium Coco Minutal.* Martial. Lib. XI. Epigram. XXXII.

§. XVIII.

Giſela S. Stephani Uxor fuit Paſſavii Abbatiſſa.

Tametſi Adverſarius ſvaviſſime ſibi blandiatur, (a) ex genuina Hundii Inſcriptione rite ab ſe demonſtratum eſſe (b) Giſelam Hungariæ Reginam, & Conjugem S. Stephani non fuiſſe Abbatiſſam Cœnobii Nidernburgenſis, attamen hæc ejus, quam tanto apparatu ſe ſe confeciſſe putat, Demonſtratio, ne quidem leviſſimæ umbram ſuſpicionis habere poteſt. Prior ſic habet: *Giſela S. Henrici Imperatoris Soror, uxor Stephani Regis Hungariæ, Abbatiſſa ſecunda hujus loci hic ſepulta anno MXCV. Non. Maj. obiit.* (c) Altera iſtius eſt tenoris: *Anno MXX. in die S. Theclæ Virginis obiit Heilka amita S. Hein. Imp. prima Abbatiſſa hujus Monaſterii hic ſepulta.* Utramque Adverſarius ſinceram, ac pergenuinam, quod ne ſibi e memoria elabi ſinat cupio, agnoſcit. Hanc reipſa Nidernburgi extitiſſe, atque ab Hundio ex Porticu Eccleſiæ acceptam Viri gravitas, fidesque dubitare non admittit. Cum vero Giſela exerte nominetur *Secunda Abbatiſſa* Paſſavienſis Cœnobii, prima autem jam anno MXX. obierit; arguebat Noſter, aut Abbatiam ultra XX. annos vacaſſe, aut Giſelam vivo Marito Stephano fuiſſe Abbatiſſam Parthenonis Nidernburgenſis, quorum cum neutrum credibile ſit, concludit, Giſelam, cujus Epitaphium Hundius exhibet, non fuiſſe illam uxorem S. Stephani, etſi Soror fuerit S. Henrici. Argutatur quidem ſatis ſophiſtice, ſed me talibus pedicis non capiet. Ut vis argumenti hujus magis eluceſcat, juvat ea, quæ alibi ſcripſi, iſthic repetere.

Si Hundii Inſcriptio, quam Crito noſter veram eſſe affirmat, uſque ad literarum apicem ſine omni nævo ſit, duo imprimis, quæ ad rem noſtram faciunt, illa docemur: alterum, quod Giſela anno MXCV. mortua, & in Eccleſia Sanctimonialium Nidernburgenſium ſepulta, uxor fuerit S. Stephani Regis: alterum,

(a) Diatr. pag. 187.

(b) Idmodi demonſtrationes, hac ætate ad Anticyras relegari ſolent.

(c) Vigulius Hundius a Sulzemos Metrop. Salisburg. Tom. II. pag. 403. edit. Ratisb. MDCCXIX. recenſente Chriſtophoro Gewoldo.

rum, quod hæc eadem Giſela ſecunda Abbatiſſa laudati Cœnobii fuerit. Hæc duo vero combinare prorſus arduum eſt, ut præclare Noſter obſervat, quia ſi Giſela Uxor Stephani, ſecunda Abbatiſſa Monaſterii Nidernburgenſis fuiſſe dicatur, neceſſe eſt illam hac prærogativa ornatam fuiſſe anno MXX. aut paulo poſt, iſto enim anno Helica, prima ejusdem Monaſterii Abbatiſſa obiit, quod lapis ſepulchralis apud eundem Hundium extra dubium ponit. Igitur, quia Giſela poſt mortem primum Stephani Paſſavium migraſſe creditur, idcirco non ante emortualem S. Stephani annum MXXXVIII. illuc commigrare poterat, nemo enim ſibi perſvaſerit, illam vivente Marito id feciſſe: incredibile præterea ſit, eam illico, ut eo venerat, Abbatiſſam electam fuiſſe; conſectaneum eſt, Præfecturam Monaſterii annis ut minus XX. vacare debuiſſe. Id quia nullam veri ſimilitudinem habet, Adverſarius exiſtimat Giſelam, quæ Nidernburgi ſepulta eſt, non eſſe illam, quæ uxor S. Stephani fuerat, ſed aliam ab Regina Hungariæ omnino diverſam. Hæc argumentatio legitima quidem eſt, ſed corollarium oppido vacillat.

Hinc adverſus iſtud ſcripſeram: Si Giſelam Paſſavienſem putat noſter non uxorem Stephani, verum aliam, quæcunque demum illa ſit, fuiſſe, non minor illi difficultas, ac ſit ea, quam nobis proponit, prius exſorbenda eſt. Inſcriptionem enim Lapidis Paſſavienſis, ab Hundio relatam, pro explorata habet: ratam habet pariter aliam, ab eodem Hundio ex Lapide Sepulchrali Helicæ Abbatiſſæ promptam inſcriptionem. Ex quo omnino conſit, quod cum Giſela, quæcunque illa fuerit, ſecunda Abbatiſſa Parthenonis Nidernburgenſis dicatur, neceſſe eſt eam jam anno MXX. aut non multo poſt Abbatiſſæ dignitate decoratam fuiſſe; eodem enim anno Helica prima ejus Cœnobii Antiſtita naturæ conceſſit Igitur, quia hanc Giſelam Epitaphium ab Hundio exhibitum, anno MXCV. e vivis exceſſiſſe exerte, & vere teſtatur; certiſſimum evadit, iſthanc Giſelam ab anno MXX. uſque MXCV. ſeu continua annorum ſerie, ſeu interpolata annis omnino LXXV. Monaſterii Nidernburgenſis Præfecturam geſſiſſe. Quod plane incredibile eſſe Adverſarius haud inficiabitur, utpote qui ardentius propugnavit.

(a)

(a) Giſelam S. Stephani Uxorem non eſſe potuiſſe Paſſavienſem Antiſtitam, eam etiam ob cauſam, quia illam, dum obiit, oportuiſſet fuiſſe ut minimum CVI. annorum, quod non eſſe credibile putat. At, quando Giſelam Paſſavienſem Antiſtitam, ab uxore S. Stephani diverſam fingit, ſe ipſum in has ipſas pedicas induit. Certe debuit illa eſſe, dum e vita annó MXCV. migravit, ut minimum annorum CXV. Scitum enim eſt, Velum Prælationis Abbatiſſis non fuiſſe ſolitum ante ætatis annum quadrageſimum dari. (b) Igitur, XL. ſaltem annorum fuit Giſela noſtra cum Præfecturæ Nidernburgenſi admota erat: huic vero ex fide Lapidis Sepulchralis, ab Hundio relati, annis LXXV. præfuit, electa enim erat anno MXX. & mortua anno MXCV. proinde dum Mortalitatem exuit, annorum CXV eſſe debuit. Quia vero noſter nequit ſibi perſvadere, Giſelam S. Stephani uxorem vitam ad annum CVI. adducere potuiſſe; neſcio, cur, dum Giſelam Paſſavienſem diverſam ab uxore S. Stephani facit, tam facile credat, hanc ex ingenio confictam Giſelam potuiſſe ad ætatis annum CXV. pertingere. Unde clarum eſt, Critoni noſtro eandem, quam nobis objicit difficultatem, imo majorem ante nos exedendam eſſe.

Cæterum, quia ubivis Inſcriptionem lapidis Paſſavienſis ab Hundio prolatam non adulteratam, ſed veram eſſe palam affirmat, & id quidem rectiſſime; eapropter perſpicuum eſt, quod miſerandum in modum propriis armis ſuummet petat jugulum. Ex hac enim Inſcriptione dilucide apparet, Giſelam Abbatiſſam, quæ in Monaſterio Nidernburgenſi condita eſt, non aliam fuiſſe a Giſela Hungariæ Regina uxore S. Stephani, in illa ſiquidem Inſcriptione, ut toties vidimus, hæ inſunt voces: *Giſela S. Henrici Imperatoris Soror, Uxor Stephani Regis Hungariæ.* Igitur, niſi Hundium mendacem faciamus, illa ipſa Giſela, quæ Henrici Soror, & Stephani Uxor erat, in Monaſterio Nidernburgenſi humo mandata eſt. Vim argumenti hujus præſentiens Adverſarius, in omnes ſe vertit, gyratque partes; ſed in naſſa tenetur, nec, niſi in meam conceſſerit ſententiam, unquam elabetur.

Vi-

(a) Diſſert. ſuæ de S. Ladislao pag. 112.
(b) Vid. de hoc plura in Diſſert. mea de S. Ladislao pag. 160.

Videamus tamen ejus ultimum, illudque omnino frivolum, ac temerarium effugium. *Neceſſe eſt*, inquit, *(a) illud: Soror S. Henrici Imperatoris, uxor Stephani Regis Ungariæ, ex Inſcriptione Paſſavienſi exterere.* Hoc equidem plus quam Dictatorium eſt; ergone in tam ſublime excrevit jam authoritas Noſtri, ut etiam publicis, ut illi placet, monumentis vim inferre, Epitaphia, Inſcriptiones detruncare, pro arbitrio ſuo immutare, ſusque deque frangere, atque lacerare ſibi licitum eſſe arbitretur? Peſſime conſulitur Reipublicæ literariæ, ſi idmodi auſus privo homini impune dimittantur. Et qua demum de cauſa *neceſſe eſt illud exterere*? utique ideo, quia voces illæ Cl. Prayum ad extremas uſque anguſtias, ipſum anhelitum intercludentes, redigunt. Ita ille ſolens peccat: & nihilominus Dictatoriam poteſtatem apud ſe perpetuam eſſe ſibi perſvadet: inde neminem ſuis opinationibus contraria ſentire ſinit: & ſi quis audeat, hunc ſane non rationum momentis, ſed acerbiſſimis impugnat convitiis, ad metalla damnat, ignarum, hebetem, delyrum, impium quoque, & ſacrilegum pronuntiat. Hæc nempe fortiſſima ejus argumenta ſunt. *(b)*

(a) Diſſert. luæ pag. 111.

(b) Giſelam Monialem factam ſuiſſe, etiam inde credibile fieri affirmavi, quod illa & marito, & prole orbata, ac alioquin pientiſſimæ vitæ Matrona, vota ſua ad æterna transtulerit; nihil enim quod magnopere concupiſceret, relictum in humanis habuit. Id ſi cum Inſcriptione Lapidis Paſſavienſis, probatorum item Authorum de Giſela Paſſavii mortua, teſtimoniis conferatur, profecto non poſtremam conjecturam facit. Verum D. Cornides, qui omnia mea arrodere propoſuit, pro egregia ſcilicet perſpicacia ſua pag. 283. ſcribit, verbis illis nihil aliud probari, quam poſſibile eſſe, ut Giſela Marito, proleque orbata, jamque humana omnia faſtidiens Sanctimonialis facta fuerit. Scitiſſime! attamen quaſi rem acu tetigiſſet, ovanti ſimilis exclamat, ſe quoque *eodem jure inferre poſſe, Giſelam nunquam ſe recepiſſe in Cœnobium, eo quod fieri potuerit, ut Matrona pientiſſima, Mariti, liberorumque orbitatem, impendentesque fortaſſis alias arumnas, placide patienterque ferre mallet, quam in Cœnobio vitam a cura domeſticarum, ac publicarum rerum vacuam ſine ullo labore, & contentione traducere.* Hæc illius ſunt; ſed prior illationis pars, nugamentum eſt; poſterior manifeſte indicat, cæcum de colore judicium ferre mordaciſſimum. Creditne Cœnobiorum Incolas curis domeſticis vacuos vivere; creditne Monachos, & Monachas ſine ullo labore, & contentione, otio, & deſidia diſluere? Utique ita ſentiunt, nec tamen qui melioris frugis ſunt, Theologi illi, qui a Religione, Diſciplinaque Eccleſiæ Catholicæ alieniſſimo ſunt animo, quique nihil magis oderunt quam eos, qui opera carnis non ſectentur. Sic videlicet impie putant, Cœnobitas ſine labore, & contentione vitam ducere, quaſi non eſſet ſummus labor, optima con-

Et quidem secundo. Interim, quia de veritate Inſcriptionis Paſſavienſis ab Hundio vulgatæ prudens dubium eſſe nequit, certiſſimum manet, objectas difficultates prorſus inextricabiles eſſe, ſi nempe Inſcriptiones Hundianas genuinas, ut ſunt habere velimus; rectiſſime enim Adverſarius argumentatur, etſi ſe ipſum in laqueum, e quo nunquam egrediatur, conjecerit. In una, ita ille, inſcriptionum Hundianarum habetur: *Gyſula Abbatiſſa ſecunda obiit anno MXCV.* in altera: *Helika prima Abbatiſſa obiit anno MXX.* Igitur Giſela in Præfectura Cœnobii ſucceſſit Helicæ, & profecto non prius, quam poſt mortem Mariti S. Stephani Regis. Quod ſi ita? neceſſe eſt conſequi, Præfecturam Monaſterii Nidernburgenſis annis viginti ab obitu Helicæ vacaſſe: quod omnino incredibile eſt, nec Regula Cœnobii admiſſura erat. Eapropter, ne ſeu Hundii fidem in dubium revocemus, ſive ignorantes erremus, exiſtimaveram omnino dicendum eſſe, inſcriptionem ab Hundio relatam, reipſa inibi exſtitiſſe, & veram, atque genuinam eſſe, ſed in quam oſcitantia Tyothetarum, ſeu Lytogliphorum mendum irrepſit, & loco Abbatiſſa *ſecundo*, poſitum eſt Abbatiſſa *ſecunda*, quod facillime contingere potuiſſe, innumeris docemur exemplis. Hinc rebar, a morte Helicæ non diu vacaſſe Præfecturam Parthenonis, verum illico aliam electam fuiſſe, ſubinde vero cum poſt obitum S. Stephani Giſela illuc commigraſſet, religioſæque vitæ, pientiſſima alioquin Matrona, præclara edidiſſet ſpecimina, Parthenoni præfectam fuiſſe. Deinde vero, ſeu quia tempus Abbatiſſis præfinitum effluxiſſet, ſeu quia effœta jam Mulier, & fortaſſe etiam morbis agitata, non amplius eo munere fungi volebat, in aliam Monialem Præfectura translata fuerit. Interim, quia Sanctiſſimæ vitæ Matrona erat, & laudabiliter Parthenoni præfuerat, Sacrarum Virginum precibus exorata, rurſum Antiſtitæ munus reſumpſerit, atque ad obitum uſque tenue-

---

contentio, Deo inter juges orationes, jejunia, corporis affictationes ſervire, taliterque ſalutem animæ operari? Produnt iſta Vatinianum Cornideſii in Catholicam Religionem odium, utpote qui antea Virginitatem, Cælibatum, Monachos fraude impugnavit, modo Sanctimonialium vitam arte vulpina damnat. Multa hic poſſem, ſed cauſa illius tempus perdere nolo.

nuerit. (a) Inde factum fuerit, ut in Epitaphio Paſſavienſi, quod illi poſitum fuit, adderetur: *Abbatiſſa Secundo:* inadvertentia vero ſeu Scribarum, ſeu Typographorum, ſive etiam Litoglyphorum litera O mutaretur in A, & ſcriberetur *Abbatiſſa Secunda:* Etſi vero id conjecturam ſolum efficiat, prudentem eſſe vix negaverit, qui ſciat ex regulis Criticæ, quando rei evidentia haberi non poteſt, conjecturam ex rerum adjunctis prudenter capi poſſe, quin ſæpe ſæpius debere etiam. Quæ mea conjectura, ſi Adverſario non probatur, certum illum eſſe jubeo, quod e memoratis difficultatibus nunquam ſe extricaturus ſit: hoc eſt, ſi Hundius Inſcriptionem Lapidis Paſſavienſis integre, ac genuine retulit, ut retuliſſe Scriptoris gravitas dubitare nos non ſinit, ne eum alias mendacem faciamus: ſi item in voce: *Secunda* nullus cubat error, irrefragabile eſt, aut Parthenonis Nidernburgenſis Præfecturam annis XX. vocare debuiſſe, aut certe vivente S. Stephano Giſelam Paſſavium tranſiſſe, quorum unum & alterum omnino incredibile eſt.

Argumenti hujus pondere preſſus Adverſarius, in ſua Diatriba illud quidem tacitus præterit, & totum ſe vocula: *Secunda* occupat: ſatagit videlicet non eſſe in Epitaphio *Abbatiſſa Secundo* reſcribendum, cujus cauſam (b) hanc reddit: quia Hundius Inſcriptionem illam ex Porticu Eccleſiæ Nidernburgenſis accepiſſe ſe affirmat; vere autem illam iſthic extitiſſe, Viri gravitas, fidesque facit, nec negari poteſt, quin illum mendacii arguamus. At at, quid obeſt Hundii gravitati, fideique, ſi dicamus errore Litoglyphi, aut Typothetæ factum eſſe, ut loco *ſecundo* ponatur *ſecunda*? nihil ſane. Cæterum ex hac Noſtri ſententia reſtauro argumentum. Hundius Scriptor gravis, fideque dignus hæc habet: *Sepulta eſt ibi in Porticu prædicta Heilka cum hac inſcriptione - - ibidem anno MXCV. Non. Maji obiit Giſula Henrici Imperatoris Soror, Uxor Stephani Regis Hun-*

(a) Mire feſtivus eſt pag. 139. Noſter in ſugillanda hac explanatione mea, ait enim tam minutim rem hanc a me narrari, tanquam ſi ſecundæ electioni interfuiſſem. Innumeris vicibus talia ego illi oggerere poſſem, ſi quid inde ingenii, aut leporis emicaret.

(b) Diſſer. ſuæ de S. Ladislao pag. 187. in not & pag. 184.

gariæ, Abbatiſſa ſecunda hujus loci hic ſepulta, addito dextro latere, quæ tam Viro, quam filio orbata Pataviam in hoc Monaſterium venit, in quo primum habitum Monaſticum aſſumpſit, paulo poſt Abbatiſſa deſignata, Monaſterium præclare illuſtravit, & auxit. Hæc Hundius ex Porticu Templi Nidernburgenſis ſumpſit. Itaque nullus hic errori, ſed mendacio, ſi nempe inſcriptionem non integre exſcripſiſſet, locus eſſet: quod Scriptoribus absque evidenti cauſa impingi citra inſcitiæ, aut levitatis ſuſpicionem non poteſt, nec debet, adeoque neceſſe eſt, fateamur, Hundii inſcriptionem veram, germanamque eſſe.

At Hundius *I.* ſcribit Giſelam S. Henrici Sororem. *II.* Uxorem Stephani Regis Hungariæ. *III.* Giſelam iſtam, poſtquam Viro, & filio orbata fuiſſet, Paſſavium veniſſe. *IV.* Paſſavii Monialem, & paulo poſt Abbatiſſam factam fuiſſe. Hæc vero omnia nullam aliam Giſelam, quam Protoreginam Hungariæ reſpicere poſſe, manu contrectabile eſt. Igitur ex fide Hundii, hæc eadem Giſela Paſſavii in Parthenone Nidernburgenſi ſepulta eſt. Unde omnino neceſſum eſt conſequi, in vocula: *ſecunda* errorem hærere, & reſcribendum eſſe: *Abbatiſſa ſecundo.* Quod ſi enim Noſter tueri pergat, in voce: *Secunda* errorem haud latere; Hundium Scriptorem gravem, & fide dignum mendacem facit. Cum enim Giſelam uxorem S. Stephani Nidernburgenſis Monaſterii *ſecundam* Abbatiſſam fuiſſe, incredibile eſſe jam demonſtratum ſit; & nihilominus ex Hundii inſcriptione manifeſtiſſimum ſit, hanc Giſelam uxorem S. Stephani anno MXCV. Paſſavii mortuam, ſepultamque eſſe: ſane etiam incredibile erit, iſtam eandem Giſelam, fuiſſe illius loci ſecundam Abbatiſſam: quia vero Hundius ex Porticu Eccleſiæ hanc inſcriptionem accepit, & illam *ſecundam* Abbatiſſam fuiſſe refert; dubio procul ex Adverſarii ſententia non erravit, ſed mentitus eſt; quod illi citra temeritatis notam impingi non decet, nec licet, nec debet. Satine hoc clarum? *(a)*

Nec

(a) D. Cornides ex occaſione narrationis de Giſelæ Epitaphiis incredibile eſt, quam magnifice ſibi ipſi applaudat, exiſtimat enim omnem controverſiam, quæ inter Eruditos de ætate Chartuitii Scriptoris fervebat, ab ſe omnino diremptam eſſe no-

Nec scio, cur Adversarius ore hiante miretur, errorem

nova quadam inventione: unde majorem sibi ab orbe literato polliceri videtur gloriam, quam fuerit Archymedis ex investigatione proportionis Cylindrum inter & Sphæram. Sed jucundum erit hominem præcocem, sui amatorem, triumphos sibi in glacie apparantem, suismet verborum phrasibus depingere. *Pro re nata*, inquit pag. 254. *suggeram & ipse nunc argumentum aliquod evidens, quo Chartuitium ad Colomannum Hungariæ, non autem Haliciæ Regem referendum esse ita præstabo, ut res omnis ad liquidum perducta, controversiaque dirempta esse videri possit, nempe Martinus Gallus Historiæ Polonicæ Scriptor omnium antiquissimus Chronicon suum contexuit vivente, regnanteque apud Polonos Boleslao III. quod ex Dedicatione præfixa clarissime intelligitur. Jam vero Boleslaus III. - - Patri suo Wladislao I. successit anno MCII.* Hinc infert ætatem Martini Galli incidere inter annum MCII. & MCXXXVIII. quo Boleslaus obiit, adeoque in tempus Colomanni Hungariæ Regis: & quia hic Scriptor meminit vitæ scriptæ B. Stephani Regis, patet istam non posse esse recentiorem ætate Colomanni Hungariæ Regis. Igitur Chartuitius sub isto Rege vixit. Hæc sunt Cornidesii *evidentia* argumenta, rectius evidens oscitantia. Non me quidem latet, Monachum Gallum scripsisse Historiam Polonorum, de quo Martinus Cromerus, de Orig. & rebus gest. Polon. edit. Basil. MDLXVIII. pag. 46. hæc habet: *Gallus quidam, qui - - Boleslai III. & superiorum Regum Poloniæ res gestas tribus libris complexus est:* iste tamen Scriptor Gallus ad Sæculum XIII. pertinet; ut non obscure eruitur ex verbis Cromeri, qui in Proæmio ad Sigismundum II. Regem Poloniæ sic scribit: *Occurrit mihi imprimis Historia nostræ gentis, quæ tractata quidem est ante nos a Vincentio Cadlubco Episcopo Cracovienſi, & Gallo quodam Monacho ante trecentos annos.* Jam si supputationem annorum incamus, certissimum evadit, Gallum hunc ad Colomanni Hungariæ Regis tempora, hoc est, ad exitum Sæculi XI. aut initium XII. referri non posse; idem enim Cromerus in laudata editione, quæ ab ipsomet recognita, tertia est, ut ejus prolocutio operi Cracoviæ Mense Julio MDLXVI. præfixa docet. Ex hac patet primam editionem scriptam fuisse anno MDLII. vel certe sequente, ita enim scribit: *Opus - - resumpsi in manus eodem studio, quo fui aggressus initio, ante tertium decimum, vel quartum decimum annum.* Igitur si ab annis MDLII. anni CCC. quando nempe scripsit Gallus, supputentur, manet Æræ Christianæ annus MCCLII. quia vero constat, Colomannum Haliciæ Regem anno MCCXXV. obiisse, teste Matth. de Michov. Chron. Lib. II. Cap. XXXII. apud Pistor. Corp. Hist. Polon. Tom. II. pag. 84. Colomannum vero Hungariæ Regem anno MCXV. idcirco Chartuitium non ad Colomannum Hungariæ, sed ad Haliciæ Regem referri oportere, caret dubio. Præterea Cromerus præponit Cadlubconem Scriptori Gallo, neque ille istius uspiam in sua Historia commemorationem facit: proinde Gallus Cadlubcone recentior est. Scitum autem est, Cadlubconem ex Præposito Sandomirienſi Episcopum Cracovienſem anno MCCVI. factum fuisse, Episcopatum abdicasse; & Monachum Cistercienſem induisse anno MCCXVIII. mortuum denique anno MCCXXIII. ut testis est Cromerus. Tom. II. Lib. III. Cap. III. pag. 83. Scitum etiam est, Cadlubconem scripsisse Historiam Poloniæ jussu Casimiri Justi, qui Sæculo XII. Polonis præfuit, ut ipse Cadlubco habet Lib. IV. Cap. I. mortuus est Casimirus MCXCIV. Historia vero Cadlubconis desinit in anno MCCII. adeoque Scriptor Gallus Monachus post hunc annum suam scripsit Historiam, quod ad tempus Colomani Haliciæ Regis omnino spectat. Hunc Monachum Gallum Dlugossus Hist. Polon. Lib. I. pag. 65. edit. Lipsien. MDCCXI. *Martinum Gallicum* nominat forte

dece-

illum a me in Scribarum, Litoglyphorum, aut Typothetarum oſcitantiam refundi, quorum ignavia loco *Abbatiſſa ſecundo*, irrepſit *Abba-*

---

deceptus Litera M. nomini: Gallus præpoſita, quam loco: *Monachus*, legerit: *Martinus* eundem tamen fuiſſe, vix dubitari poteſt: tum quia nullus Scriptorum Polonicorum præter Dlugoſſum meminit Martini Galli, tum quia Cromerus Monachum Gallum quidem ſæpius; Martinum vero Gallum nuſpiam memorat, niſi dum unica vice pag. 24. ad Dlugoſſum provocat. Nemini autem hic Scriptor Gallus notior eſſe poterat, quam Cromero, qui illo uſus fuit, &, ut mihi perſuadeo, ille ipſe, quo uſus fuit typis Gedanenſibus anno MDCCXLIX. vulgatus eſt. Acceptus enim eſt ex Bibliotheca Heilsbergenſi, quæ fuit Cromeri: ille ſiquidem Epiſcopus Varmienſis in Pruſſia Polonica erat, Arx vero Heilsbergenſis ſedes Epiſcoporum Varmienſium, quod ipſe Cromerus in Præfat. ad Hiſt. de ſitu, moribus &c. Polonorum his verbis affirmat: *Ex Arce Noſtra Heilsbergenſi Prid. Non. Januarii. MDLXXVI.* Cæterum: ſi cui lubet credere, Martinum Gallum & Monachum Gallum diverſos eſſe, nihil moror: certum tamen eſſe debet, non fuiſſe illos Cadlubcone antiquiores. Id tum mirum Cadlubconis, aliorumque vetuſtiorum Poloniæ Scriptorum de Martino Gallo ſilentium evincit: certe Cl. Hoppius, Grodeckius, Schlieffius in literario Schediaſmate de Scriptoribus Hiſtoriæ Polonicæ, etſi improbo labore Scriptores Rerum Polonicarum minutim recenſeant, nullibi tamen Martinum Gallum commemorant: tum quia Cromerus Lib. VII. exerte ſcribit, Vincentium Cadlubconem Polonorum Hiſtoriam *Primum* conſcripſiſſe, adeoque ſeu Scriptor ille Gallus unus ſit, ſive ſint duo ante Sæculum XIII. ſcribere non potuerunt. Proinde eam ob cauſam, quod Scriptor Gallus legerit vitam S. Stephani perperam aſſignatur ætas Colomanni Hungariæ Regis, quam Gallus ille longiſſime ſequebatur. Nec inde quidquam efficitur, quod Gallus Scriptor res geſtas Polonorum non ultra Boleslaum III. Krivouſti cognominatum producat, neque enim ille ipſe opus ſuum Boleslao III. dedicavit: quod ſi feciſſet, tum omnino certum futurum erat, illum tempore hujus Regis vixiſſe. Quod enim cauſam ignoremus, cur ultra non proceſſerit Gallus, non eſt conſectaneum, illum poſt ætatem Boleslai III. non vixiſſe. Sicut Cl. Prayus Annales Regum Hungariæ Ferdinandi I. rebus geſtis coronat, erimus ne ob id adeo deſipientes, ut affirmare audeamus, illum ætate Ferdinandi I. vixiſſe? idem eſto de Scriptore Gallo. Vera igitur manet Timonis, Schvartzii, & poſt hos noſtra ſententia, quod nempe Chartuitius non niſi imperite ad ætatem Colomanni Hungariæ Regis, hoc eſt ad exitum Sæculi XI. vel principium Sæculi XII. trahatur, qui Sæculo XIII. ſub Colomanno Haliciæ Rege opus ſuum conſcripſit. Hæc lubens copioſius pertractaſſem, ſi D. Cornides decantatas nænias refellendas ſuſcepiſſem, exiſtimo attamen Lectorem etiam ex pauculis his ſatis cogniturum, quam miſerandum triumphum ſibi Bonus ille paraverit; tametſi neſcio audacterne magis, an temere oſtentet, ab ſe *argumentum evidens* inventum fuiſſe, quo Chartuitium ad ætatem Colomanni Hungariæ, non autem illius Haliciæ Regis referamus: & id ita ſe præſiturum jactat, ut res omnino ad liquidum perducatur, omnisque controverſia dirimatur. Ita videlicet ſui amore exagitatus Butyrum pro bugloſſa, aconitum pro acoro nobis adminiſtrat. Nec illud diſſimulare poſſum, quod Cornidesius ſcribit: videlicet Martini Galli Chronicon editum eſſe ex MS. *Bibliothecæ Epiſcopalis Heilsbergenſis*. E quibus ſatis intelligi poteſt, illum Epiſcopatum Heilsbergenſem ſomniaſſe, quod imperitum eſt, nam hujus nominis Epiſcopatus nullus datur, ſed Urbs Heilsberga eſt in ditione Varmienſis Epiſcopi, & Arx ad jus Epiſcoporum pertinet, ut oſtendi. Id ſi alios conſulere piguit, ex Hybnerii Lexico diſcere poterat.

batiſſa ſecunda. Id, quod nec rarum, nec mirum Viris doctis videri debet. Quid? quod ille ex eadem ipſa Hundii Inſcriptione Dictatoria authoritate exterendas præcipiat haſce voces: *S. Henrici Imperatoris Soror, & Uxor Stephani Regis Hungariæ:* exterere oportebit ob identitatis rationem etiam iſtas: *quæ tam Viro, quam filio orbata Patavium in hoc Monaſterium venit.* At vero, cur iſta exterenda jubet? nonne ab Hundio ex Porticu Templi, uti & illa: *Abbatiſſa Secunda* ſumpta ſunt? cur non hæc, ſed illa exterenda ſunt? non ajo jam eam ob cauſam, quia Cl. Prayo ex plenitudine poteſtatis ita placet, verum dubio procul ideo, quia in illis vocibus ut ille retur, manifeſtus error cubat. Poteſt ergo in tot ejusdem inſcriptionis vocibus, in integris phraſibus error cubare, & in unica Litera A non poſſit? non poteſt; quia ſtat Noſtro pro ratione voluntas. Quid faciam? Ab Hundii inſcriptione petit ille argumentum; & Hundii inſcriptionem pro lubitu detruncat: quod quid aliud eſt, quam argumento ſuo nervos ſuccidere. Sed ne prolixior, quam velim, evadam, illud ſolum dico, aut Crito noſter, Hundium mendacem pronuntiet, quod ſummæ temeritatis foret, aut reſcribat: *Abbatiſſa ſecundo*; ſecus enim ex pedicis, quas ſibi ipſi imprudens injecit, nec ſi Hercules ſit, eluctabitur. Illud enim plane abſonum eſt, quod (a) ſcribit: *neceſſe eſt omnino effici, ut ſecunda Abbatiſſa, Soror quidem Henrici Imperatoris, non tamen Giſela uxor S. Stephani eſſe potuerit.* Si quæram: Cur non Giſela uxor S. Stephani? reſpondebit utique: quia aut Abbatiam XX. annis vacare, aut Giſelam vivo marito Stephano Abbatiſſam fuiſſe oportuiſſet, quorum neutrum credibile eſt. Aſt ex hoc ipſo patet, loco: *Abbatiſſa ſecunda* ponendum eſſe: *Abbatiſſa ſecundo;* ita enim fiet, ut nec Abbatiam a morte Helicæ vacare oportuerit, nec Giſelam vivo marito S. Stephano Paſſavium migrare. Cæterum ſi adhuc pertinaciter tueri velit, recte Giſelam Abbatiſſam ſecundam nominari, hanc tamen non S. Stephani Regis uxorem, ſed Henrici ſororem fuiſſe; profecto ſibi non conſtat, vel ſe ipſum Orbilium efficit; neque enim, ut ſupra vidimus, Giſelam Paſſavii mortuam, uxorem S. Stepha-

(a) Diatr. pag. 188.

phani fuisse, eam ob causam, quia ætatis annum CVI. attigisset, quod illi incredibile est: ast, quia hanc Giselam diversam ab uxore S. Stephani facit, una tacite affirmat, hanc eandem Giselam ætatis annos CXV. superavisse, alioquin diutissime vacasset Abbatia: & hoc illi nedum incredibile non est, quin potius certum videtur. Præstitisset sane, aut inscriptione nunquam uti, aut illam tam manifeste non detruncare. Ita ille ipse *sibi malam rem accersit jumento suo. (a)*

Gravissima Adversarii circa Giselam hallucinatio.

Quod autem dicit: *necesse omnino est effici, ut secunda Abbatissa soror quidem Henrici Imperatoris, non tamen Gisela uxor S. Stephani esse potuerit.* Id equidem pro Critico nostro non satis perite scriptum est. Sed sequamur de errore in errorem ruentem. *Videntur enim,* ita rationem suæ dictionis reddit, *præter Giselam Hungariæ Reginam, duæ Henrico sorores fuisse, si Diplomati ejusdem apud Meibonium fides sit, ubi hæc reperias:* Interventu Conthoralis nostræ Chunigundæ Reginæ, ac Sororum nostrarum Adelhaide Abbatissæ, atque Sophiæ Abbatissæ. *Cum Henricus non definiat, cujus loci Abbatissæ fuerint, quid vetat, cur non una ex his post Helicam Cœnobio Nidernburgensi præfuerit, atque inde error in lapidem Passaviensem irreperet.* Ringor, dum talia ab eo, qui summum Critices imperium sibi arrogat, chartis illini conspicio. Sane paucis his verbis complures, eæque gravissimæ, nec tolerandæ hallucinationes insunt. Nam & certo scimus, quorum locorum Adelhais, & Sophia Abbatissæ fuerint, & hujus locum ipse Henricus definit. Scimus ex ipso Henrico, illas non sorores, sed consanguineas solum ejus fuisse: adeoque non erat scribendum: *Videntur præter Giselam duæ Henrico sorores fuisse;* illa enim ejus Germana fuit. Scimus, multa esse, quæ vetant, cur neutra harum duarum Cœnobio Nidernburgensi præesse potuerit, atque inde errorem in lapidem Passaviensem irrepere omnino non potuisse. Insistat igitur vestigio meo, & sua agnoscat, atque palam retractet sphalmata.

Tangmarus Presbyter, Scriptor plane coævus ad annum MII. ait: *Sophia ad Gandenesemense Cœnobium electa more suo, velut*

(a) Plutarch. in Amphitr.

velut in ſacro velamine, proprium repudiata eſt Epiſcopum, ita nunc quoque dedignata a ſuo Paſtore - - Conſecrationem percipere (a) Chronicon Quedlinburgenſe (b) ad eundem annum de Coronatione S. Henrici Imperatoris agens, ſic habet: *Domine quoque Imperiales filiæ Sophia & Adelhaida - - congaudent Regi Nepoti, quia non licuit Fratri - - Datur etiam Sophiæ Imperatoris Filiæ Abbatiæ Benedictio Gandeshemenſis.* Henricus Bodo in Cathalogo Abbatiſſarum Eccleſiæ Gandeſianæ, Sophiam primam Ottonis II. Imperatoris filiam Octavam Abbatiſſam fuiſſe affirmat. Albizius (c) in Othone II. iſthæc adnotat: *Filias habuit Adelheidem Quedlinburgenſem, & Sophiam Gundersheidenſem Abbatiſſas, & Uthildem Theodori IV. Comitis Holandiæ Uxorem.* Ergo ſcimus Sophiam, filiam Ottonis II. Sororem Ottonis III. & cognatam S. Henrici Imperatoris Cœnobii Gandersheimenſis (d) Abbatiſſam fuiſſe, & quidem anno MII. electam, & ſublimatam: proinde ſi Inſcriptionem Lapidis Paſſavienſis ad hanc Noſter pertinacius trahere velit illam XCIII. annorum intercapedine Parthenoni præfuiſſe; inſcriptio enim mortualem Giſelæ annum MXCV. definit, & annos CXXXIII. vixiſſe affirmet neceſſe eſt; quod non poteſt non undiquaque ridiculum eſſe; eo magis quod inter Diplomata Gandersheimenſia (e) alterum ita habeat: *Henricus Divina favente gratia Rex - - qualiter nos interventu, ac petitione dilectiſſimæ Sororis noſtræ Sophiæ Abbatiſſæ, ſibi, ac ſuo Monaſterio, Gandersheim dicto - - Datum III. Nonas Septemb. Indictione VIII. anno Domin. Incarn. MVIII.* Ergo Henricus definit locum, cujus cognata ſua Sophia Abbatiſſa fuit: Alterum Diploma ſic ſonat: *Henricus - - qualiter nos pro amore, atque petitione nomine tenus Sororis, re autem Conſanguineæ, noſtræ Dominæ Sophiæ Gandersheimenſis Monaſterii Matris, atque Dominæ - - Datæ anno ab Incarnatione D. N. J. C.*

(a) Tangmar. in vita S. Bernvardi Epiſc. Hildesh. Cap. XXXV.

(b) Chron. Quedlinb. definit in anno MXXV. adeoque coævum eſt.

(c) Anton. Albiz. in Stemmat. Princip. Chriſtian. pag. 10. edit. Aug. Vindel. MDCVIII.

(d) Hoc Cœnobium fundatum fuit anno DCCCLIV. ut teſtis eſt Trithem Annal. Hirſaug. Tom I.

(e) Apud Leibn. Script. Brunsvic. Tom. II. pag. 377.

MXXI. Indict. IV. Ergo Henricus ipse non obscure indicat, Sophiam non Sororem, verum consangvineam suam fuisse: adeoque hallucinatio est, scripsisse: *Videntur præter Giselam Hungariæ Reginam duæ Henrico Sorores fuisse;* etsi deinde istud mutetur. Wolfherus, Author Synchronus (a) describens, quomodo ista Sophia Gandersheimensis Antistita S. Godehardum Episcopum Hildesheimensem molestе interpellaverit, testis locupletissimus est, ab S. Præsule instantem Sophiæ mortem non obscure prænuntiatam fuisse, quæ etiam reipsa anno MXXXIX. triduo ante Festum Purificationis Sanctæ Mariæ secuta erat. (b) Ergo Henrici Imperatoris Diplomata, Authores æquævi, & alii probatissimi, Chronotaxis item vetant, quo minus Sophia Abbatissa, S. Henrici cognata, anno MXXXIX. mortua, Monasterio Nidernburgensi post mortem Helicæ ab anno MXX. ad annum MXCV. præesse potuerit: ergo hinc error in Lapidem Passaviensem irrepere non potuit: ergo Inscriptio Lapidis Passaviensis nulla molitione ad Sophiam torqueri potest: ergo Gisela Regina Hungariæ Passavii tumulo illata est: ergo Crito noster circa Sophiam maxumopere hallucinatur. (c)

Si-

(a) Wolfher. in vita S. Godehardi Cap. VI.

(b) Annal. Saxo ad hunc annum, sed Bodo Sophiæ obitum ad annum MXXXVII. affigit apud Meibom. Tom. II. pag. 591.

(c) Si Adversarius Meibomium, ad quem mirabili confidentia provocat, inspexisset, id poterat ex ejus Tom II. pag. 407. cognoscere, ubi in Diplomate IV. Idus Mart. CMLXXX. elargito, Otto II. Imperator Sophiam istam filiam suam charissimam exerte nominat. Hanc anno CMLXXIX. Garburgi, quæ ejus Neptis erat, Cœnobii Gandesiani Abbatissæ instituendam tradidit, & in Diplomate ibidem rursum Filiam suam, & Theophanis Augustæ charissimam vocat. Poterat ibidem pag. 409. in Henrici Bodonis Syntagmate isthæc legere: Henricus *licet Dominam Sororem Sophiam in Privilegio suo vocet: cognationis enim ratione, eo ad illam vocabulo utitur*, quæ si legisset, non utique isthæc scribere debuisset. *Videntur præter Giselam duæ Henrico Sorores fuisse, si Diplomati ejusdem apud Meibomium Tom. II fides sit*, videlicet Sophia, & Adelhaida: quamvis id deinde magis varius, quam hydra retractet. Poterat ibidem Diploma Henrici Ecclesiæ Gandesheimensi anno MIX. datum videre, in quo Imperator Sophiam hujus Cœnobii Abbatissam dicit. Poterat animadvertere non satis bona fide, certe non satis perite pag. 188. in not. ab se ad Henrici Diploma apud Meibom. Tom. II. provocari, ubi hæc reperiri confingit; *interventu - - Sororum nostrarum Adelhaidæ Abbatissæ, atque Sophiæ Abbatissæ.* Certe apud Meibom. Tom. II. nihil horum est reperire. Unicum ille Henrici Diploma producit, in quo solius Sophiæ Abbatissæ mentio occurrit, Adelhaidæ nuspiam. Et eccur non citavit editi Diplomatis annum? cur locum, paginam non adnotavit?

Similí modo ampullæ ſunt, quæ de Adelhaide altera S. Henrici Conſangvinea majori audacia, quam veritate jactantur. Nam Chronicon Quedlinburgenſe ad annum M. de Ottone III. Imperatore ſcribens iſthæc notavit: *Quedlingenſi Civitate S. Paſcha celebraturus in ipſo monte, ubi Sanctimoniales Fœminæ ritu Canonico regulariter Chriſto deſerviunt, per amorem ſuæ dilectæ Sororis Adelhaidæ Abbatiſſæ - - illa Monaſterium, cui ſpecialiter præerat, reviſura.* Ergo Adelhaida altera S. Henrici conſangvinea, & Ottonis III. Soror jam anno M. Quedlinburgenſis Cœnobii Antiſtita fuerat (a) adeoque ſi anno MXCV. quod Lapidis Paſſavienſis inſcriptio affirmat, obiit; annis ipſis XCV. Antiſtitæ munere fungebatur, & exegit annos vitæ CXXXV. quod ille minime ſibi perſvadebit, qui non videt, quomodo Giſela Soror S. Henrici ætatem ad annos CVI. adducere potuerit. Catalogus Abbatiſſarum Eccleſiæ Gandeſianæ (b) habet: Octava: *Sophia I. Ottonis II. Imperatoris Filia.* Nona: *Adelheidis I. Sophiæ ejusdem Soror.* Unde apparet Adelheidem a morte Sophiæ ad Monaſterium Gandersheimenſe translatam fuiſſe; neque enim inſvetum erat ea ætate Abbatiſſas aliunde accerſere. Id mirum in modum confirmat Henricus Bodo (c) *Illuſtriſſima Fœmina*, ait, *Domina Sophia, hujus nominis prima, ſæculo exempta, venienti de Nivella ſorori ejusdem Adelhaidi nomine vota ſorores Cœnobii Gandeſiani dantes, illam in Abbatiſſam ſibi elegerunt - - Eadem autem Athelhaidis in Quidelenburg Abbatiſſa fuit, & brevi tempore vixit.* (d) Ergo ſcimus etiam locum, cujus Adelhaidis Antiſtita fuit, videlicet primum Parthenonis Quedlinburgenſis, deinde anno MXXXIX. Gandersheimenſis. Scimus quoque non multo poſt ſecundam ſui Electionem Adelhaidem e vivis abiiſſe. Ergo pariter & authoritas Diplomatum, atque Scriptorum, & temporis ratio vetant, quo minus Adelhaidis Cœnobio Nidernburgenſi poſt Helicam anno

(a) Hoc Cœnobium fundatum eſt anno CMXXX Trith. Annal. Hirſaug. Tom. I.

(b) Apud Leibnitz. Script. Brunsvic.

(c) Henr. Bodo in Syntagm. de conſtruct. Cœnobii Gandesh. apud Meibom. Tom. II. pag. 551.

(d) Dipl. apud Leibn. Tom. II. pag. 178. docet anno MXLVIII. Gandeſii Luitgardem Abbatiſſam fuiſſe, mortua eſt Adelhais inter annum MXL. & MXLVIII.

MXX. mortuam, præeſſe potuerit. Ergo neque hujus cauſa error in Lapidem Paſſavienſem irrepere poterat. Ergo Epitaphium Paſſavienſe, etſi omnes artes intendantur, ut ad Sophiam, ita ad Adelhaidem transferri nullatenus poteſt. Ergo Crito noſter circa utramque inſigniter hallucinatur. Ain' vero adhuc: *Neceſſe eſt conſequi, ut ſecunda Abbatiſſa Sorör quidem Henrici Imperatoris, non tamen Giſela Uxor S. Stephani eſſe potuerit.*

Series Abbatiſſarum Paſſavienſium nihil hoc loco docet.

Poſt hæc, ut rem ſuam quibuscunque demum licet pigmentis ſpecioſam efficiat, Catalogum Abbatiſſarum Cœnobii Nidernburgenſis, tempore abuſus, pertexit, & uſque ad Mariam Scholaſticam Seutnerin, quæ hodie etiam rerum inter Sacras Virgines Paſſavii potitur, per plures pagellas diducit. (a) Quid, quæſo, his opus erat ad evincendum in Hundii Inſcriptione recte poſitum eſſe: *Abbatiſſa Secunda?* ſane quemadmodum nemo adeo deſipit, ut ſibi perſuadeat, Giſelam Paſſavienſem uſque ad noſtra tempora ætatem adduxiſſe, ita ſatis fuiſſet, eas ſolum Abbatiſſas percenſere, quæ Sæculo XI. quo Giſela mortem oppetiit, in vivis egere. Utcunque autem id ſit, Noſter tamen irrefragabile ex illo Catalogo ab ſe confectum eſſe argumentum magna fiducia retur; *nam nulla*, ſic ille ait: *in hac ſerie uſpiam mentio ſit, Giſelam ſecundo fuiſſe Abbatiſſam; igitur fruſtra recur-*

(a) Diatr. pag. 190. & ſequen. Non poſſum hoc loco ſilentio præterire Critonis noſtri immodicam in me licentiam. Scripſeram pag. 162. Hundium ſuam inſcriptionem ſub exitum Sæculi XVI. vulgaſſe: novi Lapidis Paſſavienſis vero inſcriptionem ab Noſtro rejici ad Sæculum XV. adeoque Hundii inſcriptionem non eſſe vetuſtiorem. Ille more ſibi familiari in transverſum vehitur, & magno cavillo in me inſilit, tanquam ſi exiſtimaſſem, de typo in Codice Hundii expreſſa inſcriptione nobis non convenire. Hoc ſane rurſum ad detorſiones pertinet. illud ſolum dicebam: Hundius ex Porticu Templi Nidernburgenſis ſub finem Sæculi XVI. ſuam ſumpſit inſcriptionem Adverſarius vero novi lapidis inſcriptionem ex ſingulari ſcilicet illa, quam profeſſus eſt, Gothicorum characterum notitia ad Sæculum XV. retrudit: quomodo ergo poteſt ſtatuere Hundii inſcriptionem vetuſtiorem eſſe inſcriptione novi lapidis? hoc eſt: Si inſcriptio novi lapidis eſt Sæculi XV. opus, unde ſcit Noſter, quod inſcriptio in Porticu Templi poſita antecedat Sæculum XV.? Id equidem ex ea, quam Hundius illinc ſumpſit, non videtur; poterat enim iſta Sæculo XVI. facta eſſe, adeoque non erat affirmandum, hanc inſcriptionem vetuſtiorem eſſe, quod ex ingenio ſolum oſtentatur. Iſte eſt dictionis meæ vetus ſenſus, quem ſi Noſter, ut poterat, ac debebat, intelligere voluiſſet, tam leviter me non laceſſiviſſet.

curritur ad Typothetarum oscitantiam, quorum ignavia pro Abbatissa secundo irrepserit Abbatissa secunda. (a) At, at, ut huic argumento vis aliqua insit, definire oportebat cum certa Chronotaxi tempus, quo cæteræ Abbatissæ Helikam Primam excepere; tum enim solum patere poterat, an Gisela Helicæ, & quo tempore in officio successerit? an item una continuata serie, vel alternis vicibus Parthenoni præfuerit? modo vero, siquidem Adversarius hæc duntaxat scribat: *Giselam hoc ordine sine certa chronotaxi Abbatissæ Cœnobii Passaviensis excepere: Cunza, Utha, Mergardis* - - licitum est mihi asserere istas Abbatissas Giselam, post ejus emortualem annum MXCV. excepisse, indeque esse, quod in hoc catalogo non fiat mentio, Giselani, Abbatissam secundo fuisse, quod ex ipsiusmet nostri sententia clarum evadit; incipit enim Catalogum texere non ab Helica, sed a Gisela, adeoque ab hujus morte: præterea, quis tam cœcus est, ut non videat, ex illa Abbatissarum serie non posse cognosci, an Gisela semel duntaxat, aut etiam secundo Abbatissa fuerit? Ad hoc evincendum doceri deberet Helicam anno MXX. mortuam, excepisse Giselam huic vero anno MXCV. successisse Cunzam Abbatissam tertiam. Id si præstitum fuerit, sed argumentis non Sophistarum usu, futilibus, credemus Giselam fuisse secundam Abbatissam. Nunc quid vetat cogitare, Gisela post secundam electionem mortuæ locum occupasse Cunzam?

Nec obstat, quod productus Catalogus geminæ electionis non meminerit; nam ille Abbatissas, quæ Giselam excepere, adeoque a morte hujus texit, sed neque illud commemorat, quod Gisela Helicæ successerit, cui tamen si successit, annis LXXV. Parthenoni: quod non esse credibile toties docui: Excepit igitur Helicam, alia quæpiam Sanctimonialis, cujus nomen ad nos non pervenit, & tum primum Gisela. Itaque non potuit esse Abbatissa *Secunda*, potuit autem *Secundo*. Nec mirum videri debet, quod Abbatissam, quæ Helicam excepit, laudatus Catalogus nobis non exhibeat: quodque annum igno-

(a) Diatr. pag. 194.

remus, quo primum, & quo ſecundo Giſela electa fuerit; Gevoldus enim, cujus beneficio Catalogum Abbatiſſarum Nidernburgenſium habuimus, iſthæc (a) adnotavit: *Catalogus Abbatiſſarum Monaſterii S. Crucis in Nidernburg Patavii, quorum memoria e monumentis antiquis & ruderibus cœnobii iſtius iteratis vicibus igne conſumpti, erui potuit:* proinde pronum eſt hiantis cauſam Catalogi aſſequi. Suſpicor ego Helicæ locum anno MXX. occupaſſe Theclam, quam Gevoldus Helice præponit, cum forte poſtponere debuiſſet; ſi enim Helica Cœnobii Nidernburgenſis Abbatiſſa *Prima* fuit, quod ejus Epitaphium de cujus fide, & veritate nemo hactenus quod ſciam dubitavit, & mihi pariter, & Adverſario convenit; utique Thecla non potuit fuiſſe, Prima ejusdem loci Abbatiſſa, atque ideo Helicæ errore præpoſita eſſe, quam ſequebatur. Igitur rurſum novus fons, unde apparet, Giſelam non fuiſſe Abbatiſſam ſecundam: quia nihilominus in lapide Paſſavienſi *ſecunda* dicitur, prudens omnino conjectura eſt literam A. in O. cujuſcunque errore commutatam eſſe; reſcribendumque: *Abbatiſſa ſecundo*: alioquin neceſſe erit conſequi, aut Abbatiam poſt Helicæ obitum XX. annis vacaſſe, aut Giſelam S. Stephani uxorem vivo etiamnum Marito Abbatiſſam Cœnobii Nidernburgenſis fuiſſe: quorum unum & alterum incredibile eſt; Adverſarii autem ad Catalogum (b) Abbatiſſarum Nidernburgenſium perfugium frivolum, irritumque (c)

Non

(a) Gevold. in Addit. ad Hundii Metrop. Salisburg. Tom. *II.* pag. 405.

(b) Catalogus a Gevoldo vulgatus, & ille, quem Adverſarius proponit, non parum variant, ſic Gevoldi uſque ad Dorotheam Renatam exhibet partim Abbatiſſas, partim Decaniſſas Numero XXV. Noſter vero in ſuo numerat illarum XXXVIII. Ille obitum Urſulæ de Ramtsdorf affigit ad annum MCCCCLXIII. iſte ad annum MCCCCLXVI. Ille obitum Margaritæ Mautnerin ad annum MCCCCLXXX. iſte ad annum MCCCCLXIX. refert, & ſic de ceteris. Quæ diſcrepantia tanto majore admiratione digna eſt, quod Gevoldus affirmet Catalogum ſuum a Dorothea Renata, cum in Cœnobii Præfectura annos XVIII. exegiſſet, quod in annum MDCXX. incidit ſibi miſſum adeoque ex Actis Cœnobii, aut Epitaphiis abbatiſſarum ſumptum eſſe, vix prudenter dubitari poteſt. Cauſam Variationis quærendam aliis relinquo. Mihi ſatis eſt, hinc etiam patere, quam infirmo talo ſtet, Adverſarii a Catalogo, quem propinavit, acceptum argumentum.

(c) Cum de lapide Veſzprimienſi agerem, ſuſpicabar, quod B. Giſelæ Reliquiæ illinc Veſzprimium translatæ fuerint, ac in loculum, in quo Adelhaidis Regina

Non dispar est illud quoque, quod Noster porro scribit: *Ad hæc* inquit, *si cogitasset Crito noster Abbatissas Sanctimonialium D. Benedicti ab adito Magistratu vi sui Instituti perpetuas esse, sine dubio ad Typothetarum oscitantiam, non provocasset.* Jejuna Crisis! Certe hoc Catone contentus non sum. Ut vero hanc perpetuitatem stabiliat, promit S. Donati Episcopi Vesontinensis testimonium. Molestam hanc quæstionem in Dissertatione mea data opera declinare volui; non enim convenit inter Eruditos, quo tempore Dignitas Abbatissarum, Regulas

Uti & dignitatis Abbatialis perpetuitas, quæ certa non est.

---

gina condita dicitur, compositæ, quibus Antistes loci breve Cenotaphium posuerit, quod postea Rheginus magis excultum, novo lapidi incidi curaverit. Id D. Cornides, tanquam si illi telum adversus memetipsum porrexissem, certa spe victoriæ audacter arripit. Quærit ex me: an illæ Reliquiæ ante, an vero post tempora. Aventini translatæ sint? Vapar! quid opus est verbis turgidum Dilema proponere, quando exerte affirmo translatas fuisse ante Rhegyni ætatem? sæpius autem memoravi, Rheginum anno MDIV. Veszprimii sedisse, hocvero recentiorem esse Aventinum: proinde non obscure affirmavi, longe ante huius tempora translatas esse. At si ante tempora Aventini pergit Cornidesius, *decepti vehementer, nubemque pro Junone amplexi sunt Hungari, quos Aventinus scribit, suo etiam tempore Passavium Religionis causa adiisse venerabundos.* Quæ istæ divagationes? eas libens dissimularem, si æquiori temperantia in me scripsisset, sed quia ubivis plane inverecundis cavillis me impetit, sciat ab se rem pertractari, quam vi sui Instituti prorsus ignorat. Patiatur ergo sibi dici, in Ecclesia Romano-Catholica praxim continuam esse, ut eorum, qui in fama Sanctitatis mortui, pro Beatis, aut Sanctis habentur, Sacra Lypsana non in eo duntaxat loco, ubi deposita sunt asserventur; sed aliis fidelibus quoque petentibus dentur, mittanturque: nihilominus non penitus evacuantur loculi, in quos primum compositæ erant Reliquiæ Sanctorum; rarissimo certe, si Baptizatorum Martyrum corpora demas, integrum Sancti alicuius corpus dono dari solet. Itaque cum Gisela Regina sancte finierit vitam Passavii, inibique sepulta sit, Veszprimiensem Ecclesiam autem incredibili munificentia prosequuta fuerit, verisimile est, a quodam Antistite Veszprimiensi Lipsana, B. Giselæ petita fuisse, cujus pie voluntati Passavienses annuentes, partem Reliquiarum transmiserint, parte altera sibi retenta; imprudentes enim fuissent, si se tam pretioso Thesauro omnino privassent. Quare Sacrorum Giselæ ossium pars altera Passavii remanserit, ad quam Hungari Religionis causa, etiam Aventini tempore adibant: altera Veszprimium delata, quibus primum Antistes quidam Cenotaphium posuit, quod deinde Rhegynus perpolitum in novum lapidem retulit. Unde non sobria Crisi, mea, rectius prolata, verba sua, faciens Cornidesius me carpit, tanquam si Hungaros ignaros, imprudentesque depingerem, quod nescierint charæ eorum Reginæ, quem in locum exuviæ sint translatæ. Imo ille hæc talia dictitans se ipsum Consvetudinum Ecclesiæ Catholicæ ignarum depingit. Nec id quidem mirum, nam illi Philosophiæ Magistri qui de sola lana caprina disputare solent, uti & illi profani Theologi, qui sacris Reliquiis cultum exhibendum pertinaciter negant, earum morem & naturam nosse nequeunt, ideoque cæcutiunt.

gulas S. Benedicti professarum perpetua esse cæperit? certum præterea est, ævo medio in aliis Cœnobiis perpetuam fuisse, in aliis non item. An autem Sæculo XI. quod ad medium ævum pertinet, in Monasterio Nidernburgensi perpetua fuerit, vel solum temporanea? cum ignarissimis quibusvis, & Hipercritico nostro pariter ignoro. Hinc in re incerta, certum ferre judicium nolui: inde de Gisela hæc duntaxat scripsi: *Quia seu tempus Abbatissis præfixum effluxisset, seu quia effæta jam Matrona, & fortasse etiam morbis agitata, non amplius eo munere fungi volebat, in aliam Monialem translata est Præfectura.* E quibus satis videtur, quod cogitaverim quidem de perpetuitate Muneris Abbatissarum Ordinis S. Benedicti; verum quia, in diversis Cœnobiis diversum usum obtinuisse compertum habui, idcirco nolui temere affirmare, quod certa scientia non tenebam, atque ideo disjunctiva narratione, quid velim, indicavi: propendebam attamen in id tunc, uti & modo, quod Dignitas Abbatissarum Nidernburgersium ea ætate perpetua fuerit; eapropter altera disjunctionis parte affirmavi, Giselam longa ætate, & morbis fatiscentem Præfecturam Cœnobii abdicasse, quam rursum, precibus Sacrarum Virginum exorata resumpserit: ac proinde Abbatissa non *secunda*, sed *secundo* fuit, corrigendumque Passavienſis Inscriptionis errorem existimavi.

Quanquam & si omnino exploratum habuissemus Abbatissas Sanctimonialium, D. Benedicti, etiam Nidernburgensis Cœnobii perpetuas fuisse, jure tamen meritissimo ad Litoglyphorum, aut Typothetarum oscitantiam provocare & poteram, & debebam, ut tot absurdis, quæ alias consequi necesse est, viam præstruerem, itaque etsi Nidernburgi quoque dignitas illa perpetua fuisset, poterat nihilominus Gisela illam sponte, & libere ultro abdicare, nec desunt in hoc ipso Monasterio hujusmodi spontaneæ abdicationis exempla. Sic Gevoldus in laudato Catalogo testis est, Abbatissam Brigitham de Hausenberg Dignitate se ultro abdicasse, illique etiamnum viventi Dorotheam Renatam suffectam fuisse: id quod Adversarius quoque memorat. Non illi igitur καταδοξον videri debet, si & Gisela eadem Dignitate, quantumvis illa perpetua fue-

fuerit, ultro se abdicavit, & iterum se passa eligi ad mortem usque fungebatur. Proinde frustra ex sua niptra in me depluit Adversarius; justissime enim ad oscitantiam Scribarum, Litoglyphorum, aut Typothetarum provocavi, quorum ignavia pro *Abbatissa secundo* irrepsit *Abbatissa secunda.* Id ni Noster pariter fecerit, securus sit, inextricabilibus laqueis se teneri; si enim, quod toties monui, tueri pergat, Giselam anno MXCV. mortuam *(a)* Cœnobii Nidernburgensis Abbatissam *Secundam* fuisse, etsi neget, illam Uxorem S. Stephani fuisse; plura absona exedenda habebit, qualia sunt, quod ista Gisela Parthenoni ipsis LXXV. annis præfuerit. *Prima* enim, Helica anno MXX. obiit: aut quod Abbatia non paucis annis ab hujus obitu vacaverit: quod Gisela Abbatissa ætatem ad annos CXV. adduxerit, illo enim tempore Abbatissas, ut minimum XL. annos natas esse oportebat; id tamen Nostro, ut vidimus, incredibile est. Itaque æquius se acturum esse sciat, si Giselam Uxorem S. Stepha-

(a) Ad hunc annum mortem Giselæ Aventinus quoque affigit, ejus Epitaphium referens apud Oefel. Script. rer. Boic. Tom. I. pag. 710. Aventinum sequitur Gevoldus. Sed Cornidesius pag. 261. scribit ne unam quidem Parthenoni Nidernburgensi præfuisse Abbatissam, cui Giselæ nomen fuerit, patefacere Catalogum a Gevoldo exhibitum. Et post pauca pag. 263 ait Gevoldum, qui opus Hundii Ratisbonæ an. MDCCXIX. tribus voluminibus recudit, aperte pag. 588. profiteri, dubitare se, an Gisela Monasterii Nidernburgensis Abbatissa fuerit. Utrumque falso tribuitur Gevoldo. Primum evertitur per Secundum; si enim dubitat, an Gisela fuerit, utique exhibet Giselam sed dubitans, & revera exhibet, nam post Helicam ista notat: *Numerant aliqui inter Abbatissas Nidernburg S. Giselam, - - S. Stephani Regis Hungariæ Conjugem.* Alterum itidem falsum est, quia post relata verba etsi isthæc subnectat: *& hanc anno MXCV. defunctam ajunt. Neutrum ego sine teste asserere velim:* e quibus quidem a Gevoldo judicium suspensum, non autem dubitans fuisse patet. Hinc quorsum propendeat, quidve sentiat, ipse ille patefecit, quando confestim fatetur se *Aventinum sequi* hæc adjiciens: *Aventinum, secutus, cujus de Sancta Nostra hæc sunt verba: Cæsar Henricus III. ex Hungaria reversus secum Giselam Reginam Uxorem S. Stephani abducit Bathaviæ ubi in templo Sacrarum Fœminarum ejus Mausolæum ostenditur ab Ungris venerabundis aditur, collocavit.* Igitur Aventinum secutus, affirmat Giselam Nidernburgi Abbatissam fuisse, adeoque falsum est, quod Gevoldus aperte fateatur, se dubitare an Gisela fuerit Abbatissa? uti & quod nullam Cœnobio illi præfuisse, cui Giselæ nomen fuerit, Catalogus ab illo exhibitus patefaciat. Nescio vero an D. Cornides editionem Hundii, ad quam provocat, viderit unquam, legeritve, & ut appareret, nec vidit, nec legit. Editio illa impensis Joan. Zach. Seidelii, & typis Joan. Hoffman excusa est, Tom. I. desinit in pag. 322. II. in pag. 364. D. Cornides autem provocat ad pag. 585. & 588. quæ non extant, quod utique spissum est, debebat vero provocare ad pag. 403. & 405.

ni non ſecundam quidem, verum ſecundo electam Abbatiſſam Monaſterii Nidernburgenſis fuiſſe fateatur: quod alioquin nemo, niſi obſtinatiſſimus ſit, inficiari auſit.

Teſtimonium ex S. Donato Epiſcopo Veſontinenſi (a) acceptum, quo Noſter Abbatiſſas Sanctimonialium D. Benedicti ab adito Magiſtratu vi ſui Inſtituti Perpetuas fuiſſe, evincere nititur, profecto ad rem noſtram ne minimum momentum facit, tum quod Donatus, Valdeleni Ducis Burgundiæ filius ſub annum DCXXX. quo Archi-Epiſcopus Veſontinenſium factus eſt, ſcripſerit; prorſus incertum autem ſit, quo tempore munus Abbatiſſarum perpetuum eſſe cæperit: certo contra conſtet, non omnibus Monaſteriis D. Benedicti hujusmodi perpetuitatem in uſu fuiſſe; id quod etiam exemplum ab adverſario allatum comprobat; ea propter teſtimonium iſthoc a Sæculo VII. ad XI. in re ad liquidum necdum perducta, neque apud omnes ejus Inſtituti Sanctimoniales uſu recepta, imo nimium variante traslatum omnino impertinens eſt: tum quod S. Donatus non pro omnibus D. Benedicti Monialibus Regulas ſcripſerit, ſed ſolum pro ſacris Virginibus, Cœnobium Beatæ Virginis Mariæ Veſontinenſe incolentibus: quod idem, ad quem Noſter provocat Lucas Holſtenius in collectione Regularum diſerte notat: Proinde, quod Pantocriticus Noſter penitus reticeat, illas Regulas pro Sanctimonialibus Cœnobii Veſontinenſis a S. Donato ſcriptas eſſe, quemadmodum non optimam fidem indicat, quid enim id aliud eſt, quam probatorum Scriptorum teſtimonia detruncare? ita ridiculum eſt, ex Regula, aut Conſtitutione S. Donati pro hoc ſolo ſuæ Diæceſis Monaſterio præſcripta, argumentum ad omnia alia Sanctimonialium D. Benedicti extendere: quin imo cum, ignotum ſit, quo nam tempore in hoc, aut illo Cœnobio perpetuitas illa introducta habeatur; ex hoc ipſo S. Donati teſtimonio arguere licet, etiam in Veſontinenſi Parthenone ea ætate Abbatiſſarum Dignitatem non fuiſſe perpetuam, ſed ambulatoriam: quod deinde ex juſtis, ſibique cognitis cauſis Sanctus Epiſcopus in ſuæ Diœ-

(a) Diatr. Pag. 195.

Diœceſis Cœnobio immutandum eſſe cenſuit, voluitque dehinc munus Abbatiſſarum Veſontinarum conſtans, perpetuumque fieri. Unde prorſus inficetum eſt, aſſerere: *Abbatiſſas Sancti Monialium D. Benedicti vi ſui Inſtituti perpetuas eſſe.* Id equidem probabitur nunquam, quia a veritate omnimode abhorret: & cur Inſtituti hujus Conſtitutionum paragraphus huc faciens non promitur? in promptu eſt cauſa: quia videlicet nuſpiam exſtitit. Quid? quod Eruditi neque in eo ſint conſentientes, quisnam inſtituerit Sanctimoniales Regulas S. Benedicti profeſſas? ipſe ne Benedictus? an ſoror ejus Scholaſtica? vel alius quispiam? quo item tempore inſtitutæ ſint? quas primitus Regulas tenuerint? quando illæ auctæ, mutatæ ad omnia Cœnobia æquata ratione extenſæ ſint? (*a*) Quis ergo tuto dicat, Abbatiſſas Sanctimonalium D. Benedicti *vi ſui Inſtituti*, hoc eſt: ex primæva fundatione Perpetuas eſſe? Id ſane non oſtentandum, ſed certis indiciis docendum erat; neque enim nudis verbis, præſertim in re ancipiti, confeſtim fidem habere poſſumus. Quare iterum Adverſarii operoſe quæſitum effugium in auras abiit, atque in Hundii Inſcriptione loco: *Abbatiſſa Secunda* emendato Typothetarum, Litoglyphorum, Scribarum, aut cujuſcunque demum errore, reſcribere omnino oportet: *Abbatiſſa Secundo*: Hæc eo ſolum prolixius pertractanda ſuſcepi, ut Critonem noſtrum immodicam confidentiam, quidvis ſentiendi pruritum, ac Dictatoriam appetentiam, quæ illi pene familiares ſunt, dedoceam.

Pariter & Vaticinium Sancti Wolfgangi.

Quod porro Adverſarius de Giſela Regina ex Vaticinio S. Wolfgangi ſcribit, videlicet, nec eſſe potuiſſe illam cujusquam Cœnobii Abbatiſſam, undequaque infirmum, vacuum, inaneque eſt. Audiamus, more noſtro, ipſummet etſi paullum copioſius argutantem, (*b*) *Certe* inquit, *ſi quid Prophetiæ S. Wolfgangi Ratisbonenſis Epiſcopi de Liberis Henrici Ducis Bavariæ, ut profecto debemus, velimus tribuere, id extra omnem dubitationem vetuſtati* (*c*) *aliquid tribuenti, eſſe debet.* Hæc ſatis gran-

(*a*) Vide hæc in Benedicti XIV. Inſtit.
(*b*) Diatr. pag. 196.
(*c*) Fortaſſe dicere voluit: *Sanctorum Vaticinio*, quod, uti reor, Vetuſtati præcellit, & iſta Vetuſtas Vaticinio coæva eſt.

disona sunt : sed eccur id extra omnem dubitationem esse debet ? ideo quia *apud Bollandistas* verba Nostri sunt - - *hæc inter cætera de S. Wolfgango Biographus: Sororem eorum* (Henrici II. & Brunonis) *majorem* (Giselam) *Reginam; alteram autem, quam baptizavit, & de sacro Fonte suscepit, Abbatissam nuncupavit. Hæc, quæ ex ore ejus audivimus, sicut ipse prædixit, impleta cernimus.* Ista ex Biographo. Pergit Noster: *Igitur Author coævus, & omni exceptione major est, qui quod illis hæc præmittat: sed neque hoc silemus, quia aliquando, per Prophetiæ Spiritum ea, quæ ventura erant, quasi præsentia vidit: sequitur aut falsum Prophetiæ Spiritum, hæc Viro Sancto afflasse, quod tamen eventus, rerum certissimus testis, indexque negat, aut Giselam Nostram nullibi, & nuspiam, itaque nec Passavii fuisse Abbatissam: proinde inscriptionem Lapidis Makranczensis etiam hoc titulo Nidernburgensi præferendam esse.* Hucusque speciosæ vociferationes Adversarii, quibus, Lectorum patientiam exercens, me velut mole quadam Herculea opprimere nititur. Lustremus, quam prospero eventu.

Lubens confiteor bonum Prophetiæ Spiritum illa S. Wolfgango suggessisse, sed non possum adduci, ut concedam propterea Giselam Nostram nullibi & nuspiam, itaque nec Passavii fuisse Abbatissam: id certe ex verbis Prophetiæ hujus ne per torcular quidem ullus expresserit. Quod si S. Wolfgangus vaticinatus fuisset, Giselam nullibi & nuspiam Abbatissam futuram, procul omni dubitatione crederem, illam neque Passavii fuisse Abbatissam. Quid ergo Prophetiæ Spiritu instructus S. Episcopus prænuntiavit? Giselam nempe Sororem S. Henrici Imperatoris *Reginam* futuram. Hanc equidem Prophetiam impletam esse, eventus, rerum certissimus testis comprobavit ; fuit enim illa Uxor S. Stephani Regis, & Hungariæ Regina: omnem itaque fidem Prophetiæ S. Wolfgangi deferimus. Ast, quis erit tam excors, ut audeat, hoc argumenti genere uti: Fuit Gisela Regina, quod S. Wolfgangus Prophetiæ Spiritu afflatus prædixit: ergo Gisela ne quidem potuit Abbatissa cujusquam Cœnobii fuisse, quia id S. Wolfgangus non prædixit. Quis alius Philosophus talia? non, omnia quæ cum Gisela acta sunt, prænunciavit S. Wolfgangus: Reginam futu-

ram

ram præſagiit, Regina fuit, & ſuus Prophetiæ honor ſuum pretium, & veritas manent. Non præſagiit Giſelam Matrem Liberorum futuram; an propterea adſtruemus non fuiſſe Matrem, aut ne eſſe quidem potuiſſe? minime. Non præſagiit Giſelam Marito ſuperſtitem futuram, an propterea ſtatuemus, Marito non fuiſſe ſuperſtitem, aut ne eſſe quidem potuiſſe? nequaquam. Sic: non præſagiit, Giſelam Abbatiſſam futuram, an idcirco affirmabimus non fuiſſe Abbatiſſam, aut ne eſſe quidem potuiſſe? nihil minus, tametſi per cribrum ſolum adſpiciamus. Prophetæ non omnia, quae facta ſunt, prædicebant, ſed aliqua ſolum; alias ſe ipſum jugulat Adverſarius, nam S. ille Epiſcopus nec id præſagiit, quod Giſela Veſzprimii ſit tumulo inferenda; unde arguam ego, ergo non Veſzprimii eſt tumulo illata, imo nec inferri potuit: Igitur, ut ex omnibus aliis, ita ex Prophetia S. Wolfgangi prorſus inconcinne arguitur Giſelam noſtram nullibi & nuſpiam, itaque neque Paſſavii fuiſſe Abbatiſſam. Proinde, qui inſcriptionem Lapidis Makranczenzis hoc titulo Niedernburgenſi præferendam eſſe exiſtimat, næ is oleum, & operam, & cum his etiam nomen Philoſophi perdiderit. (a)

(a) Ut mire loquax eſt D. Cornides, eam, quam Anteſignanus ſuus de Prophetia S. Wolfgangi telam texuit, indigno commento diducit, iſta namque ſuperaddit. *Prædictio S. Wolfgangi impleta neutiquam fuiſſet, ſi vel Giſela ex Regina facta fuiſſet Abbatiſſa, vel Brigitta ex Moniali, Abbatiſſa non facta fuiſſet. Quis enim Liberorum Ducis Henrici in uniuscujuſque vita extrema futurus eſſet ſtatus, quæ conditio, præſignificavit S. Wolfgangus.* Somnia ſunt hæc, ut mitiſſime dicam Cornideſii, quæ nec S. Wolfgangus, nec ejus Biographus viderunt unquam; falſiſſimum enim eſt, a Biographo referri S. Wolfgangum præſagiiſſe, quis Liberorum Henrici Ducis in unius cuiusque *vita extrema* futurus eſſet ſtatus, quæ conditio? Immaturus eſt iſte Cornideſii partus atque abortivus. An autem liceat, deceatve coætaneis in primis, aut ſupparibus ſcriptoribus commentitias hujuſmodi, nec bonæ fidei ſententias ſupponere? Lectores honeſtatis ſtudioſi arbitrabuntur, & judicium ad alia quoque his paria, quibus Liber ejus paſſim ſcatet, extendent.

§. XIX.

Giſela certo non in Hungaria, ſed Paſſavii obiit.

Ut, qua licet, Giſelam Reginam Crito Noſter e tumulo Paſſavienſi proturbet, omnibus artubus contendit, oſtendereque ſatagit, Scriptorem coævum, ſupparem & Seculi XV. tradere, Giſelam in Hungaria obiiſſe. (*a*) Scriptor coævus opinioni illius, ut male exiſtimat, favens eſſe deberet, Hermannus Contractus: Suppar Hermanni Interpolator: & Seculi XV. Philippus Bergomas. Hermanni teſtimonium, quod adfert, ſic habet: *Hujus* (Henrici II.) *Soror Giſela Stephano Regi Hungarorum, cum ſe ad fidem Chriſti converteret, quaſi vere juxta nomen ſuum fidei obſes, in Conjugium data, & eleemosynis, cæterisque bonis operibus inibi intenta conſenuerit* (*b*) Verum eſt, iſta in editione Caniſiana, & ex hac in Piſtoriana etiam haberi: nemo tamen, ſi modo Criticis accenſeri velit, hinc intulerit, Coævum Scriptorem Hermannum affirmare, Giſelam in Hungaria obiiſſe. Hermanni Contracti quatuor editiones Viri ſupra vulgum ſapientes noſcunt. Primam procuravit Sichardus Baſileæ anno MDXXXVI. eam e Codice Sangallenſi, ſeu S. Galli depromſit. Altera eſt, quam Chriſtianus Urſtiſius e Codice S. Georgii typis Francofurtenſibus anno MDLXXXV. vulgavit. Tertiam Henricus Caniſius Noviomagenſis initio Sæculi XVII. publici juris fecit, quam ex Codice Monaſterii SS. Afræ, & Udalrici accepit. Quartam denique Joannes Prſtorius Canonicus & Præpoſitus Wratislavienſis recenſuit, uti reperit apud Urſtiſium, & Caniſium.

Cum

(*a*) Diatr. pag. 197.

(*b*) Utitur Crito Noſter iſthic teſtimonio, uti ille opinatur Hermanni Contracti. Et verum eſt, ſententiam de Giſela in Hungaria conſeneſcente adjectam eſſe illius Hiſtoriæ, tum illi, quam Caniſius, tum quam Piſtorius ediderunt. Oblitus tamen ſui Noſter eſt, nam in Diſſer. de S. Ladislao. pag. 114. ſcripſit in hæc verba: *Nec ſcio quemquam veterum qui Giſelam Henrici Sororem, ab obitu Stephani ex Hungaria exceſſiſſe, memoret, quin Hermannus, ut eſt apud Hanſizium, eam in Hungaria conſenuiſſe Author eſt, tametſi quis ille Hermannus ſit, non prodat. In Contracto enim, ut illum cum variantibus Lectionibus edidit Piſtorius, nihil ejuſmodi reperio.* Inſignis oſcitantia. Id profecto Pantocriticum, qui ſibi ſummam uſque ad faſtidium Criterii poteſtatem arrogat, ignorare non oportebat, nec decebat. Ain' vero o bone: *In Hermanno Contracto Giſelam in Hungaria conſenuiſſe apud Piſtorium*

Cum Adverſarius ſummo niſu agat, ut oſtendat Hermannum Contractum affirmare, Giſelam in Hungaria conſenuiſſe, & quod hinc efficitur, obiiſſe; juvat ipſorummet ejus Chronici Editorum ſenſum explorare. Urſtiſius (a) de Libris ab Hermanno Contracto conſcriptis iſthæc notavit: *Ex his Libris unicus hic, de ſex Mundi ætatibus in Doctorum manus prodiit - - Quem enim hactenus excuſum vidimus, ex antiquo exemplari Cœnobii Sangallenſis in Helvetia, tranſcriptus eſſe dicitur - - Quem autem in præſentiarum damus, apographum eſt veteris Codicis in Bibliotheca S. Georgii Hercyniæ ſylvæ quondam reperti - - Ego, ne meo judicio nimium tribuiſſe videar, utrumque conjunctim edere volui.* Prima igitur editio Chronici Hermanniani ex vetuſto M. S. Codice Monaſterii S. Galli accepta eſt, & hæc illa eſt, quam Sichardus primus vulgavit: altera vero ea eſt, quam Urſtiſius ex vetuſto M. S. Codice Cœnobii S. Georgii ſumptam in lucem emiſit: hæc plenior eſt, & emendatior, quam eodem Urſtiſio teſte ipſe Author perpoliverit, & magis exactam reddiderit. In neutra autem harum duarum priorum editionum ſeu vocula, ſeu veſtigium apparet de Giſela in Hungaria conſeneſcente, aut diem extremum obeunte. Igitur ex Scriptore coævo non probatur, Giſelam in Hungaria conſenuiſſe. Quamvis enim editio tertia Caniſiana, ex M. S. Codice Monaſterii S. S. Afræ, & Udalrici accepta Giſelam in Hungaria conſenuiſſe memoret, certum tamen eſt, id non eſſe fætum Hermanni Contracti, ſed alterius cujuſpiam additamentum. Et revera nemo poteſt eſſe adeo pertinax, ut tueri audeat, Codicem S. Udalrici, aliis duobus videlicet S. Galli, & S. Georgii præcellere: hujuſque majorem eſſe fidem, & autho-

Ad Hermanni Contracti teſtimonium Adverſarius perperam provocat.

---

rium non reperit? Præclare res agetur poſthac cum Critico. Utique non reperit, quia chronicon Contracti a Piſtorio editum aut non inſpexit, aut certe perfunctorie ſolum, contra quam recta Criſis poſcat, legit; ſecus enim reperiſſet, quod quærendum habebat. Adeat & Piſtorii editionem, & Caniſii, defigat ad annum CMXCV. oculos; & comperiet profundum, Lethargo ſimilem ſomnum ſuum. Ad hæc Hanſizium Scriptorem ſane gravem, & doctum ex obliquo impoſturæ arguit, dum contra quam is teſtetur, ſcribit Hermannum Contractum non habere Giſelam in Hungaria conſenuiſſe. Et ad quem alium Hermaunum provocaret Hanſizius, niſi ad Contractum?

(a) Urſtis. in Herm. Contr. vita, ejus Chronico præfixa edit. Francof. MDLXXXV. pag. 230.

authoritatem, quam illorum duorum? Id ſane ut neminem vetuſtati aliquid tribuentem facturum mihi perſvadeo; ita ſi quis tamen ſit, illum auſus ſui rationem congruentem nunquam redditurum, pro explorato habeo. Tacentibus itaque de eo prima, & ſecunda editione, irrefragabile eſt, ab Hermanno Contracto, ad quem Adverſarius perfugit, Scriptore coævo, nihil minus affirmari, quam Giſelam Reginam in Hungaria conſenuiſſe, obiiſſeque. (*a*)

Præſenſerit Crito Noſter difficultatem, nullum ſibi explicatum admiſſuram, idcirco quantumvis prius (*b*) magnis animis ſcripſerit, coævum Scriptorem Giſelam in Hungaria conſenuiſſe, adeoque etiam obiiſſe, tradere; attamen mox velut pœnitentia ductus dubitationem non obſcure prodit (*c*) his verbis: *Quod ſi autem Hermanni non ſint, ſed Interpolatoris* (*d*) Et bene habet; non ſunt Hermanni, ſed Deſcriptoris verius,

---

(*a*) Huc accenſeri poteſt illud quoque, quod Piſtorius Scriptor. rerum Germ. Tom. I. in Præfat. ad Chron. Herman. pag. 115. ſcribit: *Adhuc dubitatur quousque Chronicon ſuum perduxerit. Jo. Sichardus equidem in Dedicatione primæ hujus Chronici editioni præmiſſa ſcribit: Præterea per nos adjectus eſt, propterea quæ in Germania memoratu digna acciderunt, Hermannus Contractus Comes Veringenſis, quem conſtat ad imitationem Euſebii Cæſarienſis Ephæmerides ſuas perduxiſſe ad annum abhinc quingenteſimum.* Jam vero primam Hermanni Contracti editionem procuravit idem Sichardus anno MDXXXVI. Igitur ſi ante quingentos annos ceſſavit Hermannus ſuum Chronicon ſcribere, & hos D. annos ab annis editionis ſubtrahamus, manet annus MXXXVI, ad quem Hermannus ſuum Chronicon perduxit. Quod ſi ita eſt, quamvis dicerem ipſummet Hermannum affirmare, Giſelam in Hungaria conſenuiſſe; nihil tamen in ejus teſtimonio Adverſarius præſidii reperiret. Nam anno MXXXVI. Giſela S. Stephano adhuc convixit, adeoque ex Hungaria Nidernburgum nondum diſceſſerat: utcunque ſenex etiam fuit, quia tum jam, ut parciſſime dicam, annos vitæ XLVII. numeravit, qui in ejusmodi Matrona ſane ad ſenium vergunt: atque ideo verum eſſet teſtimonium Hermanni, qui vivo etiamdum S. Stephano ſuum Chronicon finivit, nec quid a morte S. Regis actum ſit, literis conſignavit.

(*b*) Diatr. pag. 197. in margine.

(*c*) Diatr. pag. 198.

(*d*) Quantum hoc loco Adverſarii providentiam laudo, quod non neget memorata verba Chronico Hermanni per aliquem interjecta eſſe, id enim etſi callidum, una tamen perſpicax, difficultatumque prævidens ingenium indicat; tamen mirari, reprehendereque debeo in illo nimiam Dictatorii Spiritus audaciam, a quo nuſpiam & nunquam recedit. Is pag. 266. ſine ambagibus velut ex tripode pronuntiat, Giſelam in Hungaria conſenuiſſe: *probamus*, inquit, *e ſuffragio Hermanni Contracti teſtis omni exceptione majoris - - Certum eſt Hermanni Contracti*

rius, quam Interpolatoris. Illud tamen intolerabile est, quod hunc Interpolatorem Hermanno Contracto ætate *supparem* nemine sibi præeunte, adeoque sine omni teste, sine omni convincente ratione, ex sola quidlibet sentiendi libidine affirmare non vereatur. Nos testes poscimus, verba aerem verberare sinimus. Videamus, quid his de rebus Eruditi statuant?

Henricus Canisius, (*a*) qui primus omnium ex M. S. Codice Augustani Monasterii SS. Udalrici, & Afræ illud, quod Gisela in Hungaria consenuerit, cum Chronico Hermanni vulgavit, animadvertit suam editionem pleniorem esse, & auctiorem illis duabus, quas ante se Urstisius publicas fecit. Diversitatis hujus causam primum inde repetit, quod Hermanno suus fætus placuerit, quem idcirco lambendo formavit, variavit, ut proinde accesserint multa. Verum hanc conjecturam suam confestim rejicit! hoc verborum tenore: *Ego fere persuadeor varietates a descriptoribus esse, quorum alius pro cujusque captu nonnulla adjecerit, alius resecuerit.* Jacobo Basnage (*b*) Viro ab omnigena eruditione celebratissimo, mira videtur diversitas in variis editionibus Chronici ab Hermanno confecti, quod Urstisius ex Codice Sangallensi ab Sichardo editum, ex Codice item Cœnobii S. Georgii, Canisius ex Codice Udalriciano, & Pistorius ex his duobus vulgarunt. Discriminis istam causam assignat: *Eruditi scilicet Viri,* ita loquitur, *qui his Chronicis utebantur, ad proprium usum plura adjecerunt - - quisquis pro lubitu eventus sibi notandos cæteris consuebat, certisque*

tracti tempore Giselam ex Hungaria haud excessisse. Si Sichardum, Urstisium, Canisium, Pistorium, & Basnagium legisset, aut magis attente, fortasse parcius suo dictandi Cupidini thura adolevisset. Revera autem videtur aut non inspexisse, aut obiter tantum; nam eodem plane loco scribit, Hermannum Contractum illa de Gisela apud Canisium ad annum CMV. memorare, quod aperte falsum est; nam ille id ad annum CMXCV. habet: nisi forte velit Noster culpam in ignaviam Typothetæ conjicere? quod si faciat, agnoscit Typothetas non raro errare, & nihilominus paulo ante usque ad inverecundiam me lacessivit, quod Typothetarum oscitantiæ tribuerim, ut in Passavienſis Lapidis inscriptionem loco Abbatissa Secundo, irrepserit Abbatissa Secunda.

(*a*) Canisius in Præfat. ad Lectorem Chronico Hermanni præmissa, edit. Antverp. MDCCXXV. Tom. V. pag. 192. curante Jac. Basnage.

(*b*) Basnag. in Observ. prævia ad Hermanni Contracti Chronicon. pag. 193.

annis assignabat. Inde natæ sunt variæ illæ editiones. En! ipse primus narrationis illius, quod Gisela in Hungaria consenuerit, in Hermanni Chronico Editor Canisius, exerte fatetur, variantes in triplici Hermanni editione a Descriptorum arbitrio ortum habere, hoc est, ut de sola hic nobis controversa variatione loquamur, tum editio Sichardiana, & Urstisiana, quæ omnium primæ sunt, non commemorent, Giselam in Hungaria consenuisse, quam ille (Canisius) in sua editione isthic consenuisse reperit, non obscure videtur, id non alia ex causa profluxisse, quam quia Descriptores, *quorum alius pro cujusque captu non nulla adjecerit, alius resecuerit*, ut libebat Authoris fætui suas cogitationes addebant: seu ut verbis Basnagii, qui Canisii editionem procuravit, animadversionibus Criticis, & notis locupletavit, utar: *Eruditi Viri, qui Hermanni Chronicis utebantur, ad proprium usum plura adjecerunt - - quisque pro lubitu eventus sibi notandos cæteris consuebat.* Igitur ut hinc certissimum fit, sententiam de Gisela in Hungaria consenescente, quæ apud Canisium legitur, non esse ipsius Chronistæ Hermanni, sed cujuspiam Descriptoris, cujus ætatem, tempus, nomen nemo patefaciet, ita prorsus inficetum est, asserere, illam sententiam Interpolatoris esse, qui Hermanno Contracto ætate *suppar* sit.

Attamen Adversarius, ut id aliqualem verisimilitudinis speciem præ se ferre nobis persvadeat, narrationem de Rudolpho Burgundo ex Chronico Hermanni obtrudit, cujus ille partem duntaxat, ego integram do. Sic autem habet: *Conrado Rege Burgundiæ mortuo, & apud S. Mauritium sepulto, Rudolfus filius, licet ignavus, regium ibi nomen per annos circiter XXXVIII. occupavit: sub quo cessante jure, violentia, & rapinæ, nullo regno, ut non facile propelli possint, adolevere, ibique, ut hodie apparet, cum suis complicibus regnum obtinuere.* Narrationis hujus pars posterior, quam sit intricata, nemo non videt. Mihi apparet ejus sensum esse, quod sub Rudolfo violentia, & rapinæ cum suis complicibus, hoc est, violentiæ, & rapinæ Comitibus, miseriis in Burgundia nimium prævaluerint. Ast lustremus, quomodo Noster ex istis suam Logicam adparet. *Illa*, inquit, *ut hodie apparet indicant Authorem haud longe post XXXVIII. annos regiminis Rudolfi vixisse, igitur - - nihil est,*

cur

cur hæc Hermanni esse possint - - Quod si autem Hermanni hæc non sint, sed Interpolatoris, liquet ex regiminis Rudolfi annorum numero, hunc non longe post mortem, Hermanni extitisse proinde fuisse supparem ipsi Giselæ. Vix scio, quid ad Demonstrativi generis scilicet isthoc argumentum digne respondere possim, aut debeam, adeo omnibus partibus hiat. Ergone illa, *ut hodie apparet*, tam certus index videntur Nostro, ut ex illis concludat Interpolatorem supparem Giselæ fuisse? Hoc equidem spissum est. Rursum redeundum est invito ad Grammaticam. Certe illa: *ut hodie apparet*, nihil aliud, nisi me omnia fallant, significant, quam; Ex ignavia Rudolfi spatio XXXVIII. annorum Ducatus administratione in Burgundia adeo multa invaluerunt mala, ut hodie etiam, hoc est, Interpolatoris quoque temporibus eorum reliquiæ superfuerint. Istud autem, quia etiam post longissimam ætatem cum veritate dici possit, nescio sane, qua ratione Noster ex illa narratione inferat, Authorem haud longe post XXXVIII. annos regiminis Rudolfi vixisse? (*a*) Nec video, quomodo tam confidenter affirmare possit, liquere ex regiminis Rudolfi annorum numero Authorem ipsi Giselæ supparem fuisse? Quemadmodum, si modo scribam: Henricus VIII. Angliæ Rex in suis ditionibus fide Catholica protrita, se suosque, *ut hodie etiam apparet*, Hugonottas effecit: Quis sanus intulerit, me Henrico VIII. ætate supparem esse? Et nihilominus liquet ex illis: *ut etiam hodie apparet*, Authorem Giselæ ætate supparem esse? Id sane ita liquet, ut quod maxime creperum in rerum natura habetur. Attamen mira quandam audacia Noster insuper subnectit, Authoris hujus testimonium esse omnino *irrefragabile*: quod tamen nos bullis, & fatuis ignibus æquiparamus.

Sed ex istis ipsis adhuc nobis inclamat (*b*) Adversarius: *Utris jam credemus, an Hermanno Scriptori coævo, aut ejus Interpo-*

(*a*) Eodem loco dicit Noster, si hæc de Rudolfo Hermanni sunt, cur non item ea, quæ *eodem Charactere* de Gisela adduntur. At quis illi suggessit, utrumque illud in M. S. Hermanni eodem charactere exaratum esse? Id profecto nec Canisius, eius Editor, nec ullus alius memorat: hariolationibus autem in Historia non est relictus locus. Sed & quis illum securum fecit, ea, quæ de Rudolfo scripta sunt, Hermanni esse? Immodica confidentia!

(*b*) Diatr. pag. 199.

terpolatori ætate ſuppari - - an contra Aventino, Brunero, Adelreitero Bucelino, Annaliſtæ Bambergenſi - - quorum omnes nullo pene loco apud ſubacti judicii Criticos ſunt. (*a*) Nolo hic inveſtigare, an virulentum hoc de Scriptoribus gravibus dictum, ex bene ſubacta Criſi profluat? verum quoniam id interrogantis more dicitur, reſpondeo: poſterioribus Scriptoribus omnino credendum eſſe; iſti enim diſerte affirmant, Giſelam Reginam S. Stephani Viduam Paſſavium ex Hungaria adveniſſe, Sanctimonialem, & ſubinde Abbatiſſam in Parthenone Nidernburgenſi factam, inibique mortuam, ſepultam, & Epitaphium nactam fuiſſe: quibus adſtipulatur Lapis Sepulchralis, & conſtans, perpetuaque Traditio. Contra Hermannus Contractus, ut evidenter oſtendi, nuſpiam in ſuo Chronico memorat, Giſelam Reginam in Hungaria conſenuiſſe, adeoque etiam obiiſſe: proinde prorſus perperam invitamur ad fidem Hermanno præſtandam in re, quam ille ne per ſomnium quidem vidit. Et licet Hermanni Deſcriptor apud Caniſium affirmet, Giſelam apud Hungaros conſenuiſſe; is tamen *Interpolator* cum veritate

---

(*a*) Magis iſthic exorbitat D. Cornides, nam pag. 271. Aventinum, Hoffmannum Bucellinum audet Scriptores *Proletarios* vocitare: vere ipſe ille vel hac ſola ſcribillandi licentia, ſat ſuperque prodit, quo loco ab Eruditis ſit habendus. Nec his tamen adhuc pruritui ſuo ſatisfecit, nam poſt pauca plus ſimplici vice Aventinum *Mendacem hominem* compellare non veretur. Pudeat proletarium hominem, neque enim mihi honeſtas admittit, ut Mendacem dicam, in famam, nomenque egregiorum Authorum tanta procacitate graſſari. Legat Doctorum Virorum, qui talia magis norunt arbitrari, de Aventino judicium. Erasmus Roterodamus, notum Eruditis nomen, in Epiſtola ad Leonardum Eckium Baſileæ die V. Auguſti MDXXXV. ſcripta, hæc habet: *Aventini index varia promittit, nec ea ſane protrita. Apparet hominem fuiſſe ſtudio indefatigabili, ac reconditæ Lectionis.* Hunc Oefelius in prævio monito ad ejus excerpta Scrip. Boicar. rer. Tom. I. pag. 698. *Virum ſummum* nominat. Hinc Joan. Petr. Ludevigus Antiquitatum Diplomaticarum Germaniæ Stator maximus, Aventinum non vulgari in pretio habuit, *qui non ſolum legit*, verba ſunt Ludvigi, *conſuluitque in annalibus Diplomata, ex iisque vulgares Hiſtorias correxit* - - Horum, aliorumque literis egregie tinctorum Scriptorum gravi judicio poteritne putidam ſuam criſim præferre Cornideſius? Sed ille, tanquam ſi ſummus Doctorum Arbiter eſſet, de Scriptoribus, ſi modo levibus ſuis, ſæpe etiam maxime vacuis opinatiunculis non faveant, abſurdiſſime ſcribit. Scio ego Aventinum non una vice exerraſſe, ſed *Mendacem* dicere plebejum eſt. Sic pag. 279. Hoffmannum hominem exigui & judicii, & doctrinæ, pag. 280. Bucellinum credulum, partium ſtudioſum, judicio exiguum, immodica temeritate pronuntiat. Aſper idmodi, & parum urbanus ſtylus, nec in donato Civitate Scriptore probabilis eſt.

te dici nequit, minus vero Giſelæ ætate ſuppar, quod etiam certiſſimis argumentis comprobavimus. Hinc re taliter ad liquidum perducta, non ſine manifeſta injuria Crito noſter laudatos Scriptores ſuſque deque habet, in nomen, famamque eorum faſtidioſe graſſatur, ea ſolum, ut videtur, de cauſa, quod illius ſentiendi libidini non conſentiant: cum tamen ille hactenus nedum certiora non protulerit, quin potius, quæ obtruſit, ea ne tenuis quidem ſuſpicionis nomen apud ſubacti judicii Criticos impetratura, nec dubito. Nec ob id teſtimonium Aventini, Bruneri, Adelzreiteri, Bucelini, Annaliſtæ Bambergenſis repudiandum eſt, quod non Synchroni, ſed poſteriorum Sæculorum Scriptores ſint; credere enim oportet, quod utique ſubacti judicii Critici facere ſolent, Doctos iſtos Viros, & Sedulos ea, quæ de Giſela Abbatiſſa ad nos tranſmiſerunt, non ex ingenio confinxiſſe, quin potius a vetuſtioribus Scriptoribus accepiſſe. Quamquam, etſi cætera deeſſent, profecto ad conciliandam illis fidem vel ſolus Paſſavienſis Lapis Sepulchralis locupletiſſime ſufficit.

Sunt, qui affirmant, nec Noſter reffragatur, Hundium ſuam de Giſela inſcriptionem ex M. S. Aventini ſumpſiſſe: certe ille ipſe (*a*) facit Mauſolæi Paſſavii Giſelæ Reginæ poſiti mentionem. Certum etiam eſt, quod itidem Noſter concedit, iſtam inſcriptionem ex novo lapide Paſſavienſi acceptam eſſe, & quidem ad exitum Sæculi XV. vel principium ſequentis; iſto enim tempore Aventinus vixit. Certum pariter eſt, exſtare Nidernburgi vetuſtiorem Lapidem cum Epitaphio Giſelano, & nemo ſanus dubitaverit novi Lapidis inſcriptionem ex veteri illo ſumptam eſſe. Certum denique eſt, antiqui Lapidis inſcriptionem vetuſtate jam Aventini ætate exeſam fuiſſe ita, ut nova inſcriptio ex alliis quoque domeſticis monumentis ſarciri debuerit. Præterea nemo ambigit, Epitaphia Lapidibus, & imprimis marmoreo, qualem fuiſſe vetuſtum illum Paſſavienſem Cl. Róka teſtis eſt. (*b*) inarata, non niſi longinquitate tempo-

(*a*) Aventin. Annal. Boic. Lib. V. pag. 419. edit. Baſil. MDLXXX.
(*b*) Cl. Róka in Libro cui titulus: Protectus Paſſavienſis Tumulus pag. 38.

ris, quæ Sæcula complectatur, exedi posse, præsertim si eo loco positi sint, ubi ab aëris injuriis liberi manent, qualis profecto fuit Lapis ille vetustus Giselæ tumulo incumbens, & in ipsa Ecclesia Nidernburgensi erectus. Igitur, quia Aventinus, & ex ipsius M. S. Hundius (*a*) inscriptionem suam ex novo Lapide Passaviensi Sæculo XV. accepit; hæc dubio procul prius fuit Lapidi incisa, ac ut alias ostendi, verisimilius Sæculo XIII. quidquid Noster e peculiari Gothici characteris notitia, contra clamet: & quoniam ista ex antiquo, & bene jam exeso Lapide sumpta est, Lapis iste, ut minimum duorum Sæculorum ætatem tulerit, atque ad Sæculi XI. exitum, hoc est, ad annum MXCV. quo Gisela Regina, & Abbatissa obiit, jure retrudendus est meritissimo. Unde manifestum evadit, inscriptionem prioris illius Lapidis Giselæ plane coævam, posterioris vero ex hujus fide concinnatam esse: quia vero, testimonium Aventini ex hac posteriori sumptum est, rursus perspicuum fit, Aventini testimonium tanti habendum esse, quanti coævi prioris Lapidis: idem esto de cæteris Scriptoribus (*b*) Proinde etsi laudati Authores totis Sæculis a morte Giselæ, uti & positi Epitaphii ætate distent, omnino tamen credendum illis est, tanto firmius, quod nemo unus vererum ante illos contrarium affirmaverit.

Hæc, si Crito Noster bene subacto ut decet judicio expenderit, tum nullus dubito, pænitebit illum, de quinque meis Scriptoribus, videlicet: Aventino, Brunnero Adelzreitero, Bucel-

(*a*) Nolim existimet hic noster me dicere velle, Hundium alibi haud legisse memoratam inscriptionem, ipse enim exerte Porticus Templi meminit, in qua illa inscriptio fuit, quam vidit, & legit.

(*b*) Horum occasione D. Cornides. pag. 282. indecore in me incurrit, quod videlicet pag. 164. scripserim Henricum, III. Imp. qui Conradi filius fuit, Fratrem Giselæ, & Sanctitate conspicuum. Id utique erroneum est, nam Henricus III. non fuit Frater Giselæ, sed Henricus II. qui anno MXXIV. obiit, & dein Sanctis adnumeratus est. Ast si D. Cornidesio livor, & grassandi luxuria oculos non clausisset, poterat in Monito Dissertationi meæ præfixo legere, a me illud spongia deletum esse; inadvertentia enim peccatum fuisse palam feci. Non igitur Literarum, veritatisque amor, quin potius nocendi Studium illum impulit, ut me pro ludo habere, & asperius, quam honestas admittat, lacessere non dubitaret.

Bucellino, Annaliſta Bambergenſi iſthæc chartis illeviſſe: *nullo pene loco apud ſubacti judicii Criticos ſunt*: niſi forte arbitretur Adverſarius, illos haberi ſubacti judicii Criticos, qui cum ſe undique premi ſentiunt, nec ullum effugii locum inveniunt, calumnias, & criminationes pro irrefragabili argumento habent. Ad hæc confido fore, ut lituram inducat iſtis ſuis: *Ne mihi hic quis Lapidem Paſſavienſem - - intempeſtive obtendat, quaſi is in coævorum teſtium numero locum habere poſſit.* Imo Lapis iſte oppido tempeſtive obtenditur, quia mole ſua Authorem Noſtrum cum omni ſua arguta Logica opprimit, & ſepelit. Lepidam autem hujus ſui deſiderii rationem reddit: *Cum enim Lapis*, inquit, *ejuſque inſcriptio ob manifeſta, graviaque ſphalmata in controverſiam adductus ſit - - ad præbendum veritati, multo minime ſibi teſtimonium admitti non poteſt.* Hic iterum infelici eventu Jurisconſulti nomen quærit. Sed quis, quæſo dixit, Lapidi Paſſavienſi manifeſta, & gravia ineſſe Sphalmata? Cl. Prayus. Quis Lapidem illum in controverſiam adduxit? Cl. Prayus. Quis illum e numero coævorum teſtium excluſum cupit? Cl. Prayus. An autem ob id ſuſpectæ, dubiæque eſt fidei? minime ſane. Proinde Cl. Pray Accuſator, & Judex eſſe nequit, nec a præbendo teſtimonio Paſſavienſem Lapidem, ejuſque Inſcriptionem, quam accuſat, Judiciali Sententia excludere. Quod ſi hujusmodi Sophiſticis argumentationibus januam patere ſinamus, vix erit aliquid, cui fidem tuto præſtemus.

Bergomenſis teſtimonium nequit evincere Giſelam in Hungaria obiiſſe.

Exploratiſſimis indiciis oſtenſo eo, quod de Giſela in Hungaria conſeneſcente teſtimonium ſit Hermanno Contracto fœtus arbitrarie ſolum, & illegitime ſuppoſitus, ac quod ejus Deſcriptoris nomen, ætaſque omnino incognita ſint; ſuopte confit, nec vere, nec ſatis critice affirmari, quod Scriptor *coævus*, & ætate *ſuppar* tradant; Giſelam Reginam in Hungaria conſenuiſſe, aut obiiſſe. Reſtat Tertius ultimus, & unicus Critonis Noſtri Atriarius, Philippus Bergomas (*a*) Scriptor, qui ad exitum Sæculi XV. librum ſuum de *Claris Mulieribus* vulga-

(*a*) Editum eſt hoc ejus opus primum Ferrariæ MCCCCXCVII. eſt vero Philip. Bergomas mortuus MDXX.

vulgavit, adeoque a tempore mortis Giſelæ IV. Sæculorum intervallo disjunctus. Et hujus teſtis ſine teſte major ſit fides, quam Giſelæ coævi Lapidis, & Inſcriptionis Paſſavienſis? major ſit authoritas, quam tot eodem ferme tempore ſcribentium Authorum? quam perpetuæ, & ad noſtram uſque ætatem perductæ Traditionis? Id profecto neminem exiſtimaturum eſſe reor. Advertit id Adverſarium Noſtrum, idcirco, ut nobis elabi poſſit, iſthæc (*a*) obtendit: *quanquam Bergomenſis nimis longe ab Hermanni ætate diſtet, uſus tamen eſt pervetuſta Hiſtoria Giſelæ, ut ipſe in ſupplemento Chronicarum ad annum MXII. fatetur.* Hæc in Diſſertatione ſua non memoravit, necdum enim ad anguſtias redactus erat. Utinam autem hoc quoque loco ſincerius memoraret; falſum etenim eſt, Bergomenſem fateri ſe *pervetuſta* Hiſtoria Giſelæ uſum fuiſſe; neque enim hanc vocem: *Pervetuſta* uſurpat; cum tamen in illa omnis pene, certe maxima vis inſit. Hæc ſolum Bergomenſis habet: *Erat autem Regina Hæc* (Giſela) *ut ejus præclara teſtatur Hiſtoria*: E quibus videtur quidem Hiſtoria Giſelæ uſus fuiſſe, ſed an iſta *Pervetuſta* fuerit? profecto non videtur. (*b*) Unde ſi affirmarem, non modicam temeritatem eſſe, Scriptoribus ea tribuere, quorum illi non meminerunt, forte dica ſeveri ſupercilii Critici jure mihi impingi non poſſet.

Scimus itaque ex ipſo Bergomenſi, illum uſum fuiſſe Hiſtoria Giſelæ: aſt, quis hujus Author, vetuſtusne, an recentior, fidene dignus, an contra fuerit? Adverſarius pariter, & nos cum ignariſſimis ignoramus. (*c*) Quamquam ne ad aliorum

---

(*a*) Diatr. pagin. 200.

(*b*) Stomachum mihi movet D. Cornides audacia, nam pag. 266. ſcribere iſta non erubeſcit: *Philippi Bergomenſis teſtimonium accedere ad cumulum poteſt*: Nihil antea retulit, quam ſuppoſitas illas Hermanno Contracto merces, & nihilominus phaleratis verbis audet jactare: *ad Cumulum*. Hoc certe ineptire eſt. Ita egregius hic ſcilicet Diſputator, & ſubtilis ubivis ſolet.

(*c*) Namque D. Cornides plus novit, plus tamen ſibi credi debere perperam exiſtimat, dum ſcribit, nihil Bergomenſis fidei obſtare, quod ab ætate Giſelæ longe remotus ſit, is enim *vitam Giſelæ concinnaturus, præ manibus habuit veterem neſcio quam Hiſtoriam Giſelæ, temporum injuria deperditam* Hæc ille Pag. 267. ſed utrumque nimis inficete. Fatetur ſe ignorare, quæ illa ſit Hiſtoria Giſelæ? agnoſcit etiam illam periiſſe,

rum teſtimonia confugere videri poſſimus, ex ipſomet Bergomenſi nec obſcure, nec temere arguimus, Authorem illum Hiſtoriæ Giſelanæ nec vetuſtum fuiſſe, nec tam præcellentis fidei, cui etſi multis, quæ attulimus, teſtimoniis deſtituti eſſemus, tuto credamus. Certe de ejus Hiſtoria Bergomenſis laudato loco hæc habet: *Cujus (Giſelæ) Hiſtoria licet multo verſetur in errore.* Multis ergo illa referta eſt erroribus. Si ita? neſcio ſane quo vultu illi fidem adverſus coævum Lapidem Sepulchralem, conſtantem item Traditionem, atque probatorum Scriptorum clara teſtimonia deferre poſſimus. Etſi vero idem Bergomenſis recitatis verbis confeſtim ſubjungat: *nihilominus in ea enitemur eos ſequi, qui vel probatiſſimis argumentis nituntur.* At, qui nam iſti fuerint? non indicat, & forte non erant majoris authoritatis, quam fuerit ipſe Hiſtoriæ Scriptor, licet Bergomenſis illos rectius ſcripſiſſe crediderit. Præter hæc, quis quæſo, nos certos reddit, a Bergomenſi omnes illos, qui multi erant, in Giſelæ Hiſtoria errores amputatos eſſe ita, ut ex illa ea duntaxat promſerit, quæ vera erant? Id utique, qui ejus fidei vadimonium in ſe ſumpſit, docere debuit, tum autem docebit, cum motum culmi apud Antipodas. Nec mirum eſſe debet, quod Scriptor Italus in rebus Germanicis exerraverit, qui ne quidem notitiam Lapidis Paſſavienſis habuit: alias ſane ejus commemorationem facturus fuiſſet, & non aberraſſet. Imo, quod pace egregii Scriptoris dixerim, fruſtra oſtentat, ſe eos Authores ſequi; qui *probatiſſimis argumentis* nituntur, hoc eſt, quod ſciverit Sphalmata in Hiſtoria Giſelæ, ad cujus fidem provocat, contenta a variis, genuinisque rebus geſtis ſecernere. Næ, ſi id ſciviſſet, profecto non fuiſſet auſus eodem loco ſcribere, Giſelam cum Viro ſuo Rege Stephano

---

liſſe, adeoque, aut non extare, aut neſciri, ubi querenda ſit? præterea nullus ejus meminit, & nihilominus veterem illam fuiſſe affirmat, quod nec ipſe Bergomenſis fecit. Næ hoc ille nobis obtrudit paradoxum omnium Stoicorum paradoxis. παραδόξοτερον. Et tamen audet, pag. ult. uſurpare Ciceronis iſthæc verba: *Nos, qui ſequimur probabilia, nec ultra id, quam quod veriſimile occurrerit, progredi poſſumus, & refellere ſine pertinacia, & refelli ſine iracundia parati ſumus.* Certe, raro ſequitur probabilia, ſæpe ultra id, quod veriſimile eſt, progreditur, falcem in alienam meſſem mittens, refelli cum pertinacia. Utinam autem refelli ſine iracundia paratus ſit.

in Albenſi Baſilica ſepultam eſſe: ibidemque crebris miraculis claruiſſe: non ſcripſiſſet de S. Stephano: *qui ſeptem & triginta annos regnaſſe dicitur.* Quod utrumque a vero abhorrere nec Crito noſter dubitat; nam Giſelam non Albæ, ſed Veſzprimii conditam omnibus nervis contendit: Miraculis autem Giſelam olim claruiſſe, etſi pientiſſima Mulier fuerit, apud neminem repereris. Proinde Hiſtoria Giſelæ, qua Bergomenſis uſus erat, non poteſt Eruditis tanti eſſe, ut in ejus verba cæco ruant impetu. Hinc etiam neceſſe eſt conſequi, Scriptorem illius Hiſtoriæ non fuiſſe vetuſtum, minus vero Synchronum, aut Giſelæ ætate ſupparem: quis enim adeo protervus erit, ut ſibi perſvadeat, Scriptorem Giſelæ coævum, aut ætate ſupparem, vel etiam illis temporibus vicinum, adeo manifeſtos errores in chartas referre potuiſſe? Quisquis igitur Hiſtoriam illam ſcripſerit; is ſane nec Bergomenſi multo antiquior, nec majoris fidei ſit oportet. Quare non video, quibus inductus momentis, nulla autem adſunt, Crito Noſter (*a*) typis ſe prodere, nomenque ſuum palam prodigere audeat hiſce verbis: *Quæ res manifeſte indicat Bergomenſem in iis, quæ de Giſela conſignavit, præter laudatam vitam, illos etiam ſecutum fuiſſe, qui longiſſime ante eum ſcripſere, inter quos cum Hermannus Contractus, aut hujus Interpolator - - abſque dubio fuerit.* Pigmentum ſunt hæc ad velandos errores excogitatum, ſed plenis radiis tralucent. (*b*)

Si

(*a*) Diatr. pag. 201.

(*b*) Oppido ſpecioſa arte Noſter pag. 202. errorem Bergomenſis, Giſelam in Albenſi Eccleſia ſepultam affirmantis excuſare nititur: *Niſi forte* ſic ille, *Veſzprimienſis Eccleſia etiam Albenſis - - vulgo dicta fuerit. Certe Germani illo ævo Veſzprimium dixere* Weißbrun, *& cum ſit veriſimile Scriptorem Legendæ Giſelanæ Germanum fuiſſe, facile id ex vernacula ſubſtituerit Albenſem pro Veſzprimienſi Eccleſia.* Ita dum uni errori velum obducere nititur, in plura abſurda impingit. Non dico jam, quod Germanicum Weißbrun latine reddi deberet non *Albenſis*, verum *Albofontenſis*, ut præclare obſervavit Rſſmus ac Cl. Róka: nec quæro, cur exiſtimet Noſter Veriſimile eſſe, Scriptorem Legendæ Giſelanæ Germanum fuiſſe. Illud duntaxat ajo, prorſus abſurdum eſſe affirmare nomine *Albenſis* hoc loco venire Veſzprimium, ſecus enim dicere oportebit S. Stephanum Regem in Veſzprimienſi Eccleſia ſepultum eſſe; nam Bergomenſis ſic habet: *Ipſam cum Viro ſuo Rege Stephano eodem Sepulchro in Albenſi Baſilica, condigno honore ſepeliere.* Habemus itaque, ſi Bergomenſi ex interpretatione Cl. Pray credimus, novum S. Stephani in Eccleſia Veſzprimienſi ſepulchrum. Id tamen undiquaque aperto contemptu digniſſimum eſt.

Si hæc, quæ hactenus percenſui, ſerena, & a præjudiciis libera mente expendere velit, prorſus nihil dubito, quin in Sententiam noſtram ſit conceſſurus: Lapidem Veſzprimienſem inter Cenotaphia, ſeu honorarios tumulos repoſiturus; Paſſavienſem contra verum eſſe Epitaphium agniturus: ac quod hinc ſequitur, prudenter exiſtimaturus, Giſelam Noſtram non in Hungaria, verum in Eccleſia Nidernburgenſis Parthenonis, cujus Abbatiſſa Secundo fuit, anno MXCV. humatam eſſe: præſertim, quod Pantocriticus Noſter, ſi unum Bergomenſem, qui e lutulento fonte errorem ſuum hauſit, demamus, ſingularem pene ſuam opinationem nullis veterum teſtimoniis fulcire ſit potis; Hermannum enim Contractum, ut luculente docui, omnino perperam in ſuppetias accerſit: ejus vero Deſcriptoris ætatem, ac quod conſectarium eſt, fidem nemo hactenus prodiderit. Ita omnibus præſidiis deſtituto Adverſario, nullum naturæ criſium vel modice gnarum, adhæſurum arbitror. Solum certe Bergomenſem, ad finem vergentis Sæculi XV. Scriptorem, cum Giſelana multis erroribus ſcatente Legenda ad evertendam Lapidis Synchroni, atque tot Boicorum Scriptorum auctoritatem, non eſſe ſatis idoneum teſtem, res ipſa loquitur, & omnia adjuncta adſtipulantur. Tametſi autem Giſelæ Legenda, qua Bergomenſis uſus erat, iſto vetuſtior eſſe debeat, non video tamen cur illam Noſter ad initium Sæculi XIV. adfigat? (*a*) Cum Bergomenſis inquit, *Chronicon jam ante annum, MCCCCLXXXVI. editum fuerit, veritati valde conſentaneum eſt, Giſelæ Hiſtoriam, ſeu Legendam ad Seculi XIV. principium, ſi non porro, referri oportere.* Cur vero Giſelæ Legendam duobus Sæculis Bergomenſi vetuſtiorem faciat? ne verbulo meminit: Satis nempe illi eſt, talia dictaſſe; ſed nos teſtes poſcimus, ſine quibus nec poſſumus, nec volumus, nec debemus nudis verbis fidem adhibere. Simile eſt illud quoque, quod ex his (*b*) porro extorquere conatur, videlicet: *Inſcriptionem Paſſavienſem Sæculo XIV. nondum extitiſſe, alioquin iſtam Giſelæ Biographus non ignoraſſet*, Res mira! idem Biographus poterat ignorare

(*a*) Diatr. pag. 203.
(*b*) Diatr. pag. 204.

rare inſcriptionem Veſzprimienſem, uti & Giſelam Veſzprimii, quod Adverſarius vult, humatam eſſe, & non poterat Epitaphium Paſſavienſe, ut & Giſelam Nidernburgi, quod clare oſtendi, ſepultam eſſe? cum tamen utrobique ignorantia idem objectum reſpiciat, & Biographus de una, & de altera Inſcriptione æqualiter altum ſileat. Quid tali argumentatione faciendum? Doceat prius Noſter, ſed credibilibus, quod Philoſophorum eſt, argumentis, quis? cujus ævi? cujus fidei, & authoritatis ſit Giſelæ Biographus, & tum fidem a nobis, quæ ejus demonſtrationi congruens ſit, exigat. Certe præter Bergomenſem nemo alius, ſeu exterorum, ſive domeſticorum Scriptorum meminit Giſelani Biographi; quomodo ergo Bergomenſis adverſus tot certiſſima argumenta prævalebit? (*a*) Illud

---

(*a*) Diatr. pag. 201. & 202. Crito noſter miratur, me miratum fuiſſe, quod is Bergomenſem vetuſtiorem faciat Hundiana Inſcriptione. Miſeret me nimium ſt torquentis Adverſarii, idcirco ut mirari deſinat, regeram, quæ in Diſſertatione mea de S. Ladislao ſcripſi. Ea ſunt: Hundio vetuſtiorem eſſe Bergomenſem exploratum eſt; ille enim ſuam Metropolim Salisburgenſem, e qua Giſelana Inſcriptio ſumpta eſt, edidit anno MDLXXXII. Philippus Bergomenſis vero, vel rectius Foreſta, id enim illi nomen erat, obiit anno MDXX, vel ut vult Menckenius MDXV. Male tamen abinde infertur, Bergomenſem vetuſtiorem eſſe Hundiana Inſcriptione, Hundius enim, etſi junior, Inſcriptionis Hundianæ author non eſt, verum illam ex lapide Paſſavienſi ab ſe exſcriptam eſſe affirmat. Quamvis proinde ſatis longo tempore poſt Bergomenſis mortem Hiſtoriam ſuam vulgaverit, adeoque poſterior ſit, Inſcriptio attamen ab Hundio relata, quam ex novo lapide Paſſavienſi ſumpſit, ſuperat ætatem Bergomenſis, atque ideo male dicitur, Bergomenſis Hundii Inſcriptione vetuſtior eſſe, licet Hundio vetuſtior ſit. Cæterum ſibi ipſi aperte contradicit Noſter; nam alibi ex peculiari Gothici Characteris notitia, ſcribit, incertum eſſe, quo tempore Inſcriptio novi lapidis Paſſavienſis Marmori fuerit inciſa: quia vero ex hoc novo lapide Hundius ſuam Inſcriptionem accepit, neceſſe eſt conſequi, incertam pariter vetuſtatem eſſe Inſcriptionis Hundianæ; & ideo, quia ex re incerta, nonniſi incertum judicium ferri poteſt, ſine dubio, ſalva prudente criſi, nequit definiri, utrum Inſcriptio illa, an Bergomenſis vetuſtior ſit? Deinde ex affabre ductis characteribus Gothicis arguit Noſter, Inſcriptionem iſthanc ad exitum Sæculi XV. referri poſſe, atque Bergomenſis opus ſuum de Claris Mulieribus primum anno MCCCCXCVII. typis Ferrarienſibus edidit, & Sæculo XVI. obiit: igitur non vetuſtior, ſed junior eſt Hundii Inſcriptione, hoc eſt: tempore illo, quo Inſcriptio novo Lapidi Paſſavienſi inarata erat, quamque ex hoc ipſo lapide Hundius exſcripſit, Bergomenſis recentior eſt. Hæc ſcripſi, quæ ut certiſſima ſunt, ita nihil eſt, cur Cl. Author Noſter ignoret, Bergomenſem Hundii, ſeu novi Lapidis Inſcriptione non eſſe vetuſtiorem. Proinde tanto magis mirandus eſt, quod eodem loco iſthæc jactare immodica confidentia audeat: *Certum eſt Bergomenſem Hundiana Inſcriptione, ut eam Adverſarius ſumit, vetuſtiorem eſſe.* Alterum quod mihi exprobrat, eſt, quod ſcripſerim Bergomenſem prius quidem Aventino natum fuiſſe,

Illud hic dissimulare nequeo; scribit Noster, *Inscriptionem Passaviensem Seculo XIV. nondum extitisse, alioquin istam Giselæ Biographus non ignorasset, nec huic tribuisset Sepulchrum in Hungaria, facileque, si Sepulchralis lapis cum Inscriptione Passaviensi tum exstitisset, erroris convinci poterat, quod nuspiam, a nemine, qui ad illam ætatem pertinent factum reperio.* Hæc ejus ἀρήχοις κικλανήμενος est, non enim animadvertit hoc argumento omne suum, quod pro Lapide Veszprimiensi magna contentione suscepit, studium subverti; sic enim ipsius verbis, & argumento contra ipsummet utor: Bonfinius sub idem tempus, quo

se, poterat tamen hic illum scriptis rebus prævertere. Ut id non fuisse factum Adversarius probet, usque ad commiserationem se torquet, & demum multimodis exerrat. Ait enim, Aventinum non prius se ad scribendum accinxisse, *quam post annum MDXII. dum aliquot annis cum Duce Ernesto in Italia versatus, domum rediisset, excussissetque, ut ipse Aventinus fatetur, omnia Bavariæ Scrinia, Bibliothecas, Codicillos, Fastos, Commentarios, Annales omnium gentium, Diplomata, instrumenta publica, & privata, Lapides, Tropbæa, Picturas, Titulos, Templa, &c. in quo conatu facile abierit Annus MDXX quo Bergomensis obiit.* Sed complura his insunt peccata; falsum enim est, referre Aventinum, quod post confectum iter Italicum excusserit Bavariæ Scrinia, Bibliothecas, - - imo ipse Aventinus in Epistola Dedicatoria in hæc verba scribit: *Totam Bojoariam perlustravi - - omne genus Scriptorum excussi - - bonam partem ætatis, Patrimonii, valetudinis perlustrando Germaniam, Gallias, Italiam, Sarmatiam, Pannoniam exhausi - - Inde a studio ad Aulam latus sum, ubi licet docendi officio occupatus fuerim, succisivis tamen ista horis suravi.* Scriptor vero ejus vitæ Hier. Zieglerus, postquam varias Aventini peregrinationes descripsisset, hæc addit: *anno XII. Monacum vocatus III. Principum Ludovici, & Ernesti Præceptor constitutus - - post paucos annos cum Ernesto in Italiam profectus:* Ex his patet, Aventinum Bavariæ Scrinia, Bibliothecas, &c. cum dispendio patrimonii, & valetudinis excussisse, quod utique non paucorum annorum curriculo fieri poterat, & tum demum ad Aulam Bavaricam avocatum esse, ac denique post paucos annos cum Ernesto Principe in Italiam proficisci jussum. Hæc si cum narratione Adversarii contendantur, diversissima esse, cuivis nullo negotio apparebit. Si autem ante annum MDXII. omnia Scriptorum adjumenta tam exquisita solertia conquisivit, dubio procul, quæ designationibus suis profutura erant, etiam in chartas conjecit, & postea climavit. Quid igitur prohibet opinari Aventinum ante Bergomensem, ut ut paulum seniorem, scripsisse; tametsi opus ejus lucem serius viderit. Certe, illud Nostri: *facile abiverit annus MDXX* convincitur vel solius Oefelii testimonio, qui in prævio monito ad Aventini Excerpta Dipl. Passav. exerte scribit Aventinum Rapsodiarum Volumen Decimum anno MDXVIII. collegisse: proinde anteriora Volumina prius collegit: nec abiit *annus MDXX.* Hinc tuto Critonis nostri verba in ipsum retorqueo, si nempe ille in Biblio, & Biographia melius versatus esset, nunquam his dubitationibus se immiscuisset, neque tam multa a veritate abhorrentia Legentibus obtrusisset. Lubens ego illi suppetias venirem, putidasque ejus aberrationes excusarem, nisi illæ tam manifestæ forent, ut verear, ne, si illas excusem, una cum ipso mergar.

Bergomas ſcripſit, hoc eſt, ad exitum Sæculi XV. & Veſzprimienſis Lapidis cum Inſcriptione, maximam partem vetuſtate jam exeſa, meminit: igitur veritati admodum conſentaneum eſt, Lapidem Veſzprimienſem ad Sæculi XIV. principium, ſi non porro, referri oportere: & quia Giſelæ Biographus Lapidem Veſzprimienſem non memorat: imo Giſelam cum Viro ſuo S. Stephano in Albenſi Eccleſia ſepultam affirmat, recte hinc conſit, Inſcriptionem Veſzprimienſem Seculo XIV. nondum extitiſſe: alioquin iſtam Giſelæ Biographus non ignoraſſet, nec huic tribuiſſet Sepulchrum in Albenſi Eccleſia, facileque, ſi Sepulchralis Lapis cum Inſcriptione Veſzprimii extitiſſet, erroris convinci poterat, quod nuſpiam, a nemine, qui ad illam ætatem pertinent, factum reperio. En! in quas ſe pedicas induit Pantocriticus Noſter. E quibus iſtud præterea arguo, quod cum Sæculo XIV. nondum extiterit Lapis Veſzprimienſis, recte ſuſpicabar alibi, omnem de illo narrationem, intempeſtiva alicujus cura Hiſtoriæ Bonfinii aſſutam eſſe; neque enim arbitrari licet, Bonfinium mentitum fuiſſe: quod tamen illi impingendum foret, ſi Veſzprimienſem Lapidem cum Inſcriptione memoraſſet, qui ante illius ætatem non extitit: non extitit autem, ſi Adverſarii argumentum rite concludit; nam Bonfinius, uti & Bergomenſis ex Giſelæ Biographo ſub finem Sæculi XV. ſcripſere, nec Giſelæ Biographus vero, nec Bergomenſis Lapidis, & Inſcriptionis Veſzprimienſis mentionem faciunt, quod tamen ſi Lapis ille in re ipſa extitit, ignorare non poterant; idcirco quia Bonfinius plane eodem tempore ſcripſit, & Veſzprimienſis lapidis meminit, rem, quæ non extitit, exiſtere affirmavit: quod quid aliud, quam mendacium eſt. Hæc ex Adverſarii Logica non inconcinne, uti arbitror profluunt. Quare cum ejus rationum momenta, quæ hucuſque attulit, ne hili ſint, Epigramma Lapidis Nidernburgenſis inter monumenta Giſelæ Reginæ, & Abbatiſſæ coæva, cum Bavaricis Scriptoribus jure reponimus optimo.

§. XX.

§. XX.

Denique Hypercriticus Diatribam ſuam infinitis propemodum calumniis, convitiis, lædoriis, cavillis, criminationibus, ſutelis, maledictis, technis, depravationibus, detruncationibus detorſionibus deformationibus, & aliis id genus abſurdis molitionibus refertam, rationum, quæ pro utroque Lapide Sepulchrali Veſzprimienſi videlicet, & Paſſavienſi, ut ille exiſtimat, faciunt, & contra, Paralleliſmo concludit. Verum quia Parallela, quæ refert, non recte invicem reſponderent, cogor illi Antiparalleliſmum opponere. Jam ipſe ingreſſus ad parallelas rationes immodice hiat; ita enim ſermonem orditur: (a) *Quamobrem huc omne litigium redit denique, aut Cardinalem Rhegynum, aut Sanctimoniales in inſtaurando Lapidis Sepulchralis Epigrammate lapſos eſſe. Ille Giſelam Reginam Veſzprimii, iſtæ Paſſavii conditam teſtantur.* Hæc ille non dum ad liquidum perduxit, nec unquam perducet: proinde ego contra ajo: Nec Cardinalis Rhegynus, nec Sanctimoniales in inſtaurando Lapidis Sepulchralis Epigrammate lapſi ſunt: neque verum eſt, Rhegynum Giſelam Reginam Veſzprimii conditam teſtari. Id ex Paralleliſmo Adverſarii, & noſtro Antiparalleliſmo perſpicuum fiet. Itaque.

Rationum, quæ pro utroq; Lapide ſepulchrali faciunt, & contra Paralleliſmus.

Cl. Pray Paralleliſmus.	*Meus Antiparalleliſmus*
I.	I.
Cardinalis Rhegynus hanc Inſcriptionem Veſzprimii poſuit: *D. OP. MAX. S. Hujus Sacri Templi Conditrici Geslæ Stefani & Olaythi Ladislai Sanctiſſimorum Pannoniæ Regum Divis Conjugibus, Ampliſſ. Pater Dns. Petrus, tt. S. Cyriaci - - R. E. Pbr. Car. Rhegynus Eps. Veſz-*	Utrumque verum eſt, ſi variationem in quibusdam vocibus demas.

II.

(a) Diatr. pag. 206.

Veſzprimien. Ap. - - memoriæ vener - - Virgines contra Nidernburgenſes iſtam: *Anno Domini* 1095. *Non. Maji obiit Venerabilis Domina Giſula, Soror Sancti Henrici Imperatoris, Uxor Stephani Regis Ungariæ Abbatiſſa hujus Monaſterii hic ſepulta.*

II.

Cardinalis Rhegynus ſuam ex hoc Veſzprimienſis Eccleſiæ fragmento: *Ladislai Sanctiſſimorum Pannoniæ Regum Conſortum hic oſſa quieſcunt:* Virgines autem ex iſto: *Giſila Abbatiſſa Non. Maji* inſtaurarunt.

III.

Neutrius fragmenti certa Epocha eſt.

IV.

II.

Non ſatis conſtat, undenam Cardinalis Rhegynus inſcriptionem Lapidis Veſzprimienſis ſumſerit, atque concinnaverit: veriſimillimum autem eſt, imo tantum non certum, illam ex fragmento veteris Lapidis, qui aut nunquam, aut nuſpiam extitit, aut diverſum aliquid indicavit, ab Rhegyno acceptam haud eſſe, ſive accipi potuiſſe. Contra vero Virgines Nidernburgenſes Inſcriptionem novi Lapidis Paſſavienſis, ex vetuſti, & Giſelæ Reginæ Coætanei Lapidis Inſcriptione, e domeſticis item documentis, e quibus ſi quid vetuſtate in antiquo Lapide exeſum erat, nullo negotio ſarcire poterant, inſtaurarunt.

III.

Veſzprimienſis Lapidis Epocha prorſus incerta eſt: de Paſſavienſi vero prudenter dubitari nequit.

IV.

IV.

Quod ſi autem Paſſavienſis fragmenti certa Epocha ſit propterea, quod novus Lapis Giſelam Abbatiſſam anno MXCV. obiiſſe habet; certior ſane Veſzprimienſis fragmenti Epocha eſſe debet, quod anno MXC. teſte Bertholdo Conſtantienſi, Scriptore coævo, Regina Hungariæ, quæ alia eſſe ab Ladislai uxore non poterat, diem extremum obierit, & Veſzprimii ſepulta ſit.

V.

Ut fragmentum Veſzprimienſe non facit diſertam mentionem Giſelæ, licet duas Conjuges exhibeat; ita Nidernburgenſe

IV.

Quia vero Paſſavienſis fragmenti certa Epocha eſt, præterea, quod novus Lapis Giſelam Abbatiſſam anno MXCV. obiiſſe exerte habet; tum ideo, oppido credibile ſit, eum emortualem Giſelæ annum, qui tum, cum nova Inſcriptio ex vetuſto inſtauraretur, aut legi adhuc poterat, aut e domeſticis tabulis ſarciri, acceptam ex vetuſto eſſe. Contra vero, quia Veſzprimienſis Lapidis Epocha incerta eſt propterea, quod is nullam anni conſignationem exhibeat; tum ideo, quod novam hujus Inſcriptionem ex Lapide veteri, ſi quis extitit, uti & emortualem Adelheidis, Uxoris S. Ladislai, annum ſumpta eſſe, ne tenuiſſima conjectura probari poteſt; idcirco etſi Bertholdus Conſtantienſis recte ſcripſerit Reginam Hungariæ, quæ alia ab Ladislai Uxore non eſt, diem extremum obiiſſe anno MXC. exinde etiam Epocha Lapidis Veſzprimienſis certa profecto non evadit.

V.

Ut prætenſum fragmentum Veſzprimienſe nullam Giſelæ mentionem facit, ita falſum omnino eſt, quod fragmen-

genſe Giſelam quidem Abbatiſſam fuiſſe refert, non exprimit tamen eam fuiſſe uxorem S. Stephani Hungariæ Regis.

gmentum iſthoc, ſeu antiquus Lapis Veſzprimienſis duas determinate Conjuges exhibeat; verum indefinito numero plures indicat. Contra Nidernburgenſe, ut hodie etiam extat, Giſelam Abbatiſſam exerte reſert, dum vero ex hoc novus Lapis inſtauraretur, dubio procul exprimebat etiam iſtam Giſelam fuiſſe Reginam, & Uxorem S. Stephani Regis Hungariæ.

VI.

Novus vero Lapis Veſzprimienſis a Cardinali Rhegyno poſitus, Giſelam Reginam, Templi Conditricem, & Conjugem Regis Stephani Veſzprimii ſepultam: Nidernburgenſis contra Giſelam Abbatiſſam, & Stephani Regis Uxorem Paſſavii conditam exhibent.

VI.

Novus vero Lapis Veſzprimienſis a Cardinali Rhegyno poſitus, Giſelam Reginam Templi Conditricem, & Conjugem Regis Stephani nominat quidem, non tamen affirmat, illam Veſzprimii ſepultam: Nidernburgenſis vero Giſelam Abbatiſſam, & Stephani Regis Uxorem Paſſavii conditam clariſſime exhibet.

VII.

Cum igitur non ſit hactenus oſtenſum, duas Conjuges homonymas Stephano Regi fuiſſe, quarum altera in Hungaria, altera apud exteros humata ſit: neque doceri poſſit partem Exuviarum Giſelæ Veſzprimio Paſſavium, aut viciſſim trans-

VII.

Cum igitur non ſit hactenus oſtenſum, nec oſtendere neceſſum erat, duas Conjuges homonymas Stephano Regi fuiſſe, quarum altera in Hungaria, altera apud exteros humata ſit: credibile contra ex hactenus adductis rationibus fiat, par-

translatam esse, (a) nec, si etiam translata sit, propterea sepulturæ prærogativam obtinere potuerit, neque Lapis Veszprimiensis ob quietem ossium, isthic conditorum, inter Cenotaphia locum habeat, necesse omnino est, ut in alterutra Sepulchralis Lapidis Inscriptione error cubet.

partem Exuviarum Giselæ Passavio Veszprimium translatam esse, quæ cum Exuviis Adelhaidis S. Ladislai Uxoris ibidem sepultæ, in unum loculum compositæ fuerint, non propterea tamen Giselæ Sepulturæ prærogativam obtinuerint, nisi in quantum denominatio ex parte potiori stat, adeoque ex parte debiliori, hoc est: cum non nisi quæpiam pars ossium Giselæ Passavio Veszprimium translatarum isthic quiescat, Lapis Veszprimiensis solum inter Cenotaphia locum habere quantum ad Giselam potest. Proinde necesse est consequi, in neutra Sepulchralis Lapidis Inscriptione errorem cubare, quin utramque veram esse, Passaviensis enim Epitaphii, Veszprimiensis Cenotaphii rationem habet.

VIII.

Quærendum itaque est, num Cardinalis Rhegynus, Gubernator Episcopatus Veszprimien-

VIII.

Supervacuum itaque, imo nugatorium est, quærere: Num Cardinalis Rhegynus, an con-

(a) Hoc loco pag. 208. Adversarius intempestivam in Ignatium Koller Episcopum Veszprimiensem, paucos ante annos mortuum, Virum doctum, & Eruditorum eximium Fautorem, Crisim in *Nota* subjicit, quam Cl. ac Reverendissimus D. Róka in Protecto Passavienſi Tumulo Giselæ, quem nuper edidit, pag. 36. retractandam cupit ex animo. Si nempe Critò Noster, postquam in Scriptores Domesticos, pariter & exteros, in Canonicorum item Collegia grassatus est virulente, jam Episcopos adgreditur, adgressurus etiam, si occasio inlerit, Pontifices, Cæsares, Reges, Duces, Principes, & quidquid in orbe terrarum Magnorum est.

mienſis, ac contra Sanctimoniales Cænobii Nidernburgenſis in conſignando novi Lapidis Sepulchralis Epigrammate errarint?

tra Sanctimoniales Nidernburgenſes in conſignando novi Lapidis Sepulchralis Epigrammate errarint? Nam & Sanctimoniales Nidernburgenſes Giſelæ Reginæ, & Abbatiſſæ Epitaphium recte poſuerunt. Rhegynus quoque Cardinalis honoribus ejusdem Giſelæ Reginæ, inſignis quippe, & munificentiſſimæ Eccleſiæ Veſzprimienſis Benefactrici Cenotaphium rite erexit.

Exiſtimo his Antiparallelis momentis omnem Pantocritici Noſtri Paralleliſmum ad fundum uſque æquiſſime ſubverſum eſſe: nec aliud neceſſe eſt, quam ut iſta mea attente legantur; ſummulam nihilominus addere juvat. Igitur Cardinalem Rhegynum, quod Giſelæ Reginæ Veſzprimienſis Eccleſiæ ſingulari Benefactrici Honorarium Tumulum cum Inſcriptione, memoriæ cauſa in ſua Cathedrali Eccleſia conſtruxerit, nedum non erraviſſe, quin potius egregiis laudibus celebrandum eſſe: Sanctimonialibus quoque laudi cedit, quod Abbatiſſam ſuam Giſelam, Reginam antea Hungariæ, Uxorem S. Stephani in Eccleſia Nidernburgenſi ſepultam Epitaphio honoraverint: nec illis ſine inſignita calumnia appingi poteſt, quod ſeu vetuſtum illum, & coævum, ſeu novum Sepulchralem Lapidem falſa Inſcriptione contemeraverint, aut præcoci credulitate præclari hujus monumenti conſtructione poſteritati impoſuerint; etſi enim in univerſum Fæminæ, quod Noſtro placet, magis credulæ, ac in rebus ambiguis ſoleant Viris minus eſſe circumſpectæ, ex præjudiciorum ratione nihilominus conficitur, præſumi oportere, ab illis conſilio, & annutu Epiſcopi in ipſa illa Urbe præſentis, aut certe Virorum illorum, quorum ductui, atque Directioni ſuberant, nutu, voluntate, opera, probatoque judicio Lapidem Sepulchralem Nidernburgi erectum fuiſſe: proinde fruſtra id, & injuria in muliebrem credulitatem detorquetur.

Tum

Tum quemadmodum Lapidis Veſzprimienſis ab Rhegyno poſiti Inſcriptio nihil continere videtur, quod veritati non conſentiat, ac ideo inter Cenotaphia locum omnino meretur, ita etiam Nidernburgenſis nihil a veritate abhorrens, aut falſum exhibet: teſtatur præterea ſub hoc Lapide Giſelam Reginam, & Abbatiſſam conditam eſſe, adeoque Inſcriptionem hujus Lapidis veris Epitaphiis accenſeri debere. Nam quod ille *Abbatiſſa Secunda* habeat, ex iis, quæ hactenus congeſſi, certiſſimum evadit, ignavia alicujus loco: *Abbatiſſa Secundo* irrepſiſſe. Ætas autem Giſelæ, ultra annos centum producta, nullum non dicam apud Eruditos, ſed nec apud Doctores de trivio in obverſum numerum facit. Sic neque Epitaphium Paſſavienſe proſternere poteſt tributus Henrico Imperatori *Sancti* titulus, Stephano vero nequaquam datus. Reſtauratus etenim Lapis ille fuit, poſt peractam Henrici apotheoſim, adeoque pietatis ſtudio addita erat vocula *Sancti*, quæ, forte in vetuſto illo, & Giſelæ coætaneo addita haud erat: quanquam etſi in iſto quoque adpoſita fuerit, nihil id veritati derogat; Paſſavienſibus enim nimis quam cognita fuit Henrici vitæ Sanctitas, & miraculorum gloria: proinde cum illum inter Sanctos ſubinde ritu ſolemni referendum eſſe non dubitarint, privata devotione illi merito *Sancti* titulum in Epitaphio adjicere poterant: quod aliis quoquæ multis factum fuiſſe, ſuperius comprobavimus. Quod vero Stephano Regi poſt Canonizationem nomen Sancti præponere neglexerunt, id equidem non recte factum in confeſſo eſt; ob id tamen nemo prudenter conjectaverit, Lapidis Paſſavienſis Inſcriptionem a veritate prorſus abhorrere, aut confit eum eſſe; ſi enim temporum rationem habeamus, ſi item geminatam majorem literam S. alteram qua *Sanctus* indicatur, alteram, quæ nomini Stephani initium dat, non difficulter Scribæ, Typothetæ, aut Litoglypho ſomnum, erroremque, ut alterum omitteret, induxiſſe perpendamus; profecto non eſt, cur de veritate Lapidis, & Inſcriptionis Nidernburgenſis, vel parum dubitemus: tanto magis, quod pro iſto ſtet, non modo ipſius Lapidis vetuſtas, qui Giſelæ Reginæ, & Abbatiſſæ emortuali anno plane coævus eſt, ſed & tot probatiſſimi, in primis Bavarici Scriptores. Certe Aventinus, qui quod primus omnium Giſelæ optimæ Reginæ Noſtræ locum Sepulchri Inſcriptione

novi Lapidis vulgaverit, ab Hungaris pariter, & Germanis non vulgaribus concelebrari encomiis dignus, hanc Inſcriptionem ad finem Sæculi XV. ex vetuſto Lapide exſcripſit. Ut igitur hunc longiſſimo tempore ante poſitum fuiſſe oportuit; ita novum ad Sæculum XIII. referimus, vel ſi lubet, liberaliter ad Sæculum XIV. extendimus. Cur novus ille Sepulchralis Lapis erectus fuerit? utique nemo ſobrius aliam cauſam ſuggeret, quam quia ille antiquus vetuſtate exedi cæpit: Ne igitur tam celebris Abbatiſſæ Giſelæ memoria cum Lapide quoquomodo intereat, de novo Lapide ad veteris normam conſtruendo Sanctimoniales cum Paſſavienſibus deliberarunt, & re vera etiam conſtruxerunt. Jam vero, quia longiſſima ſolum vetuſtate hujuſmodi Lapidum extra patulas aëris injurias collocatorum, Inſcriptiones exedi poſſe, certiſſimum eſt; manifeſtum evadit, antiquum Lapidem Paſſavienſem duorum, triumve Sæculorum curriculo novi Lapidis extructionem præcedere debuiſſe, hoc eſt, emortuali Giſelæ anno omnino coævum eſſe.

Nihil ergo peccavit Aventinus, nihil falſi ad nos transmiſit: proinde prorſus perperam apud Critonem noſtrum vapulat, tanquam qui nullum antiquum, & probatæ fidei Authorem, cui innitatur, adduxiſſet. Et, quam, quæſo, antiquum, & probatæ fidei Authorem, cui innitatur, pro Veſzprimienſi Epitaphio adducit Bonfinius? Neminem ſane, & nullum. Bonfinius, & Aventinus eodem ferme tempore ſcripſerunt. Ille, ſi tamen illius fætus eſt genuinus, veriſimilius enim, imo tantum non certo ſuppoſititius eſt, ex Veſzprimienſi Eccleſia, incertum, mutilum, obſcurum iſthoc fragmentum exhibet: *Ladislai Sanctiſſimorum Pannoniæ Regum Conſortum hic oſſa quieſcunt:* non indicat, unde id hauſerit; nec ullus veterum illi præluxit: & ille ipſe id dubitans ſolum, hæſitans, & ambiguus refert, ait enim: *Antiſtes quidem* ex *Epitaphio quodam.* Et nihilominus fragmentum iſthoc verum, ſincerum, genuinumque eſſe contendit Noſter, ac pro Bonfinii, hac parte, fide, velut pro aris, & focis acerrime depugnat. Aventinus contra novi Lapidis Inſcriptionem, ex vetuſto ſumptam proponit, quam certam, integram, claram, ſuiſmet oculis viſam, lectamque affirmat; ſcribit enim ſe *Lapides, Trophæa; Picturas, Titulos, & Templa* perreptaſſe, adeo-

que

que non hæsitat, neque dubitat. Et tamen Crito Noster Aventino omnem fidem abrogat. Hæc profecto non sunt æquitati consentanea, nec rectæ crisi consona. Imo, cum Bonfinius hæc habeat: *Neque, anne Uxorem duxerit Ladislaus, satis constat, nisi quod ex Epitaphio quodam Sepulturæ inscripto ad Vesprimiensem Basilicam, in quam Antistes quidam Giselæ, & Olait Reginarum ossa congessit.* - - conficitur, illum ex tenui duntaxat rumore ista consignasse, aut quod verosimilius est, totam hanc narrationem inepta alicujus cura Bonfinii Historiæ adsutam esse. Nam vel vidit Epitaphium insthoc, vel non vidit: si vidit, legitque omnino perperam scripsit: *Ex Epitaphio, quodam*; scribendum enim habebat: *Ex Epitaphio, quod Vesprimii extat, quod vidi, legi*: si vero non illud vidit, legitque, negligentem illum dicere oportebit, quod Budæ, ut plurimum habitans, Lapidem Vesprimiensem ad illustrandam Historiam perquam accomodum inspicere neglexerit. Neutrum in Bonfinium prudenter conjici potest. Sed & verba illa Bonfinii: *Neque, anne Uxorem duxerit Ladislaus, satis constat*, clarissime indicant, Lapidem Vesprimiensem ab illo nequaquam visum fuisse, totamque Sententiam ejus Historiæ ab illo adjectam fuisse: Si enim notitiam quampiam hujus Lapidis habuisset, vidisset utique in illo Ladislai, ejusque Conjugis disertam mentionem fieri, proinde non fuisset ausus scribere: *Neque, anne Uxorem duxerit Ladislaus, satis constat.* Quod manifesto Nobis est indicio, Bonfinium nihil de Lapide Vesprimiensi sciviſse, omnemque eatenus narrationem, nonnisi suppositititium ejus fætum esse; ac, quod hinc consequi necesse est, fidem Aventini, in coævo Lapide Sehulchrali fundatam, anteponendam esse adulterino Bonfinii fætui. Unde etiam suapte confit, seu ab Rhegyno, seu alio Vesprimiensi Episcopo, a Sacris Virginibus Nidernburgensibus partem Reliquiarum Giselæ Reginæ, & Abbatissæ apud illas sepultæ, impetrasse, quas in unam urnam cum exuviis Adelhaidis congestas Rhegynus posito Cenotaphio Hungaris, quos ante optima Regina ad æterna adspirans, deseruit, honorandas proposuit. Ad hæc, licet Adversarius pro Lapide Vesprimiensi multa operose glomeret, nehilum tamen omnia illa pro hoc lapide faciunt. Falsum certe esse ostendi Hermannum Contractum, aut ejus Interpolatorem Giselæ, ut Nostro placet, supparem affirmare, hanc in Hungaria

ria consenuisse, aut obiisse: ut & Diplomata Ladislai de anno MLXXXII. Literas item Pauli Judicis Curiæ anni MCCCXXXIV. ad Veszprimiensem Lapidem ingratiis torqueri. Nec quidquam alibi perfugii Panhypercritico Nostro supereſſe, & quam Philippi Bergomensis non obscurum quidem, attamen ex obscura legenda acceptum testimonium. (*a*) Quanti tamen istud haberi possit, atque debeat, sat, superque docui. Manet igitur *Protectus Prayanas Infestationes piissimæ Protoreginæ Hungariæ Giselæ Passavienſis Tumulus* (*b*)

(*a*) Bergomensis testimonium Cl. Pray Diatr. pag. 200. mutilum nobis exhibuit, &, ut videtur, dedita opera, ne videlicet de fide, & authoritate Historiæ Giselanæ, e qua ille suos errores liberaliter hausit, recte arbitrari possimus. Ego illud integrum do, sic autem habet: *Post dormitionem Stephani Regis Virisui, qui septem & triginta annos regnasse dicitur, ipsa deinceps ad ultimum Senium supervixit, quod plane tempus in summa Sanctitate, & illius populi utilitate, peregisse ipsam constat. Obiit igitur hæc Sanctissima Regina non celeri, neque repentino obitu, sed sensim, ac levi quidem deficiens morbo. Qua defuncta universi populi ostenderunt ejus vitæ desiderium in sepultura. Nam e vestigio totius Regni populi propter ejus admiranda miracula publicis simul concursibus ad inferias convenerunt.* Rursum-post pauca de S. Stephano, & Gisela ita scribit: *Ambo crebris miraculis claruere. Unde post obitum ejus, ut plerumque justis evenire solet, major laus ei assecuta fuit.* Multæ his insunt hallucinationes, tres tamen spissiores insignioresve sunt, utpote quod confidenter dicat Giselam in Hungaria mortuam, atque humatam esse: quod affirmet S. Stephanum XXXVII. regnasse annis, hoc profecto immodicum est; quod asserat, Giselam admirandis, crebrisque miraculis claruisse. Equibus perspicuum fit, Legendam Giselæ, ex qua Bergomas ista sumpsit, non posse esse Giselæ coævam, aut supparem, neque ab Authore gravi, probatæque fidei conscriptam. Frustra igitur Adversarius ostentat hujus Legendæ fidem, & Authoritatem: frustra Bergomensem in suppetias accersit, qui in pauculis lineis, tam copiosos, spissosque errores erravit.

(*b*) Hic est Titulus Libelli, quem Rssmus, ac Cl. D. Joannes Róka edidit, typis Vindobonensibus anno MDCCLXXVIII. Ego vero Cl. Pray, ejusque succenturiatis illud S. Gregorii Nazianseni dico:

Φθέγγοισθ' ἅπαντες· εὐδρομεῖτε τοῖς λόγοις.
Στροφὰς πλέκοιτε· ἰσχύοιτ' ἀρραγέσι
Δεσμεῖν τὰ κῶλα, καὶ περιπλανώμενα.
Βροντᾶτε βύρσαις· ἀστραπὰς ἐλευχίνει
Πέμποιτ'. ἐγὼ ἔδησα καὶ πάντη λόγον,
Κόρον λαθοῖτε, ὦ σκοποὶ, καὶ σὺφθόνε.

MAN-

MANTISSA.

Scriptionis argumentum.

Biennio ante Diſpunctionem meam vulgare poteram, niſi me continua ſpes videndæ proximius partis II. Hierarchiæ Hungaricæ retinuiſſet: arbitrabar videlicet, eadem opera, ſi quid forte novorum momentorum Cl. Pray adferret, convellenda eſſe; non tamen interea etiam otioſus eram. Vidit illa tandem anno 1779. lucem puplicam, & ſequente in manus etiam meas devenit. Argumenta, quæ pro abjudicandis S. Ladislao Regi Epiſcopatus Varadinenſis incunabulis, de quo ſolum hic ago, promuntur, non ignave legi. Aſt comperi, nihilo ſolidius, nihilo preſſius, meliuſve iſthic rem iſtam pertractari, ſed vetera duntaxat etſi copioſius, magiſque implexe, ac etiam magis Ζαφελῶς, narrari, quo ejus Μαλακολογία aſpectabilior fiat. Eapropter non eſſe Diſpunctionis meæ ſitum, & ordinem, ſi quis tamen in ea eſt ordo, nam deſultorio Authoris veſtigio inſiſtere me oportebat, turbandum, mutandumve; verum mantiſſam potius adjiciendam arbitrabar. Hæc proponit primum compendio, & ſingillatim rationum momenta, quibus ornatus verius, quam armatus Athleta noſter ſe rurſum in aperto campo oſtentat. Tum argumenta, quibus in Diſſertatione de S. Ladislao, illius impetum repreſſi, ſuccinctius, quoad licuerit, exhibebit: ac denique novas declaratiunculas, id enim ejus Στενολεσγία poſcit, rurſus ſtrictim promet. Quia vero Cl. Scripror paululum meliore iſthic, quam alias, in me fertur moderatione, ego quoque pari temperamento utar; ne ultra æquas repreſſiones prolapſus videri cuiquam poſſim. Proinde:

Rationum momenta contra S. Ladislaum a Cl. Pray allata.

Cl. Pray (*a*) S. Ladislaum Epiſcopatus Varadinenſis Fundatorem eſſe pernegans, hæc ſcribit: *Qui pro Ladislao, Epiſcopatus Varadinenſis Conditore faciunt, ii authoritate magiſtri Joannis Thurocii præcipue nituntur* (*b*) - - *Cum tota res ad Thuroczium*

(*a*) Specim. Hierar. Hung. P. II. pag. 87 - 91.

(*b*) Plurimum a vero abludit, quod illi, qui pro S. Ladislao pugnant, Jo-

czium redeat. Is vero sic habet: *In Parochia Castri Byhor* (Ladislaus) *proponit construere Monasterium in honorem Virginis Mariæ, quem locum Varad nominavit.* Quibus ille subnectit: *Qui pro Ladislao Fundatore pugnant, volunt Manasterii nomine nequaquam Monachorum, sed Episcopale intelligi*: cur enim alias opus erat & Civitatem construere, quando Monachi sylvas, & latebras amabant, turbæ consortia devitabant. Unde arguit, picturam hanc Monachorum veritati non congruere, quia Monachi D. Benedicti in Hungaria fidem Christianam, & Literas propagabant, *qui si in Sylvis & latebris delituissent, vitassentque hominum consortia, non solum paucissimos Episcopos, & Capitula Regnum habuisset, sed pessimo etiam loco literæ, & Religio fuissent.* Tum Scribit: *Monasterii nomen ex se se non indicare Sedem Episcopi, quod ex Thuroczio perspicuum fit*, qui Abam, Andream I. Belam I. Reges, Atham Palatinum, & Almum Ducem in Monasteriis, a se constructis, sepultos affirmat, quin hæc Monasteria sedes Episcopales fuissent. Itaque aliud inditium adesse debere contendit, quo Monachorum Monasterium ab Episcopali secernatur. Id autem Civitas esse non potest, (*a*) quæ cum Monasterio non pugnat, & Monachi Sæculo XI. Urbes, & Oppida ut plurimum incoluerunt. Hæc ille:

Refelluntur. Ego vero ista jam olim partim refutavi, partim occupavi. In Dissertatione de S. Ladislao pag. 69. sic scribo: Thuroczio per-

---

Joannis Thuroczii authoritate *Præcipue* nitantur, quodque res tota ad hunc redeat. Id narratio mea aperte docet; etsi enim Thuroczii quoque testimonio utamur, non id tamen præcipuum est argumentum: minus vero tota res ad unum Thuroczium redit: neque, ut rursus pag. 90. habet: *In Thuroczii præcipuam vim collocari video*, subsistere potest. Quamvis Thurocius hac de re nihil scripsisset, tamen aliis momentis convicti, S. Ladislaum Conditorem Episcopatus Varadinensis agnosceremus.

(*a*) Hic addit: *ut pars adversa contendit*, quod omnino falsum est; quamvis enim Dissertationis meæ pag. 69. dicam: Construxit S. Ladislaus Monasterium, construxit & Varadinum. Quod si Monasterium Monachorum constructum velis, ut quid opus erat & Civitatem construere? Monachi Sylvas amabant - - Quis prudens ex his intulerit me voluisse affirmare, quod audito nomine Monasterii, & Civitatis, hoc enim noster persvadere satagit, confestim sedes Episcopalis subaudienda veniat? Verum hic dictionis illius sensus est planissimus: ea ætate Monachi Urbes non incolebant: si igitur S. Ladislaus pro Monachis condidit Monasterium, ut quid opus erat eorum causa etiam Urbem condere? Alienum itaque est a veritate, quod illud pars adversa contendat.

perhibente S. Ladislaus *proposuit construere Monasterium in honorem Virginis Mariæ, quem locum Varad nominavit.* Constructit ergo Monasterium, nam dicere S. Regem in solo proposito stitisse, nugari esset, & Civitatem condidit, quam Episcopus cum Clero inhabitaret. Cæterum, cedo tantisper, hunc Thuroczii locum paulum ambiguum esse; ast quid narratione isthac indicare voluerit, eodem Capite dilucide declarat, sic autem ait: *Ladislaus, Sanctitate & gratia plenus, transiit ad consortia Angelorum - - & sepultus Varadini in Monasterio suo.* (*a*) En! prius dixit, ab S. Ladislao constructum esse Varadini Monasterium, modo dicit, S. hunc Regem in isto suo Monasterio sepultum esse, igitur in eo est sepultus, quod condidit. Si itaque Manachorum Monasterium Varadini constructit; dubio procul e sententia Thuroczii in Monachorum Monasterio sepultum adfirmabimus. Quo nihil ineptius cogitari posse certum est, nullus enim cordatus ad hoc usque temporis momentum, hoc est, ab emortuali S. Ladislai anno 1095. usque ad annum 1779. quo speciminis Hierarchiæ Hungaricæ Pars II. Authore nostro vulgata est, dubitare ausus est, S. Ladislaum in Monasterio Episcopali, seu in Episcopatus, quem fundavit, Cathedrali Ecclesia Varadini tumulo illatum fuisse: & quia Thuroczio teste, in illo Monasterio sepultus est, quod condidit; necessario confieri, Episcopatum ab eo erectum esse; nemo si modo pertinax non sit, in dubium revocaverit. Idque tanto magis, ut pag. 17. habeo quod Bonfinius prævidens nostræ ætatis Scriptorum immodicum ad cudendas res novas pruritum, (*b*) sensum nar-

(*a*) Isthoc testimonium dedita, ut videtur, opera referre dissimulavit Cl. Pray, ne videlicet suum ipse jugulum petat: quia nihilominus id plurimum ad rem facit præsentem, jam satis apparet, Thuroczii testimonium per me allatum, mutilatum obtrudi.

(*b*) Cl. Pray pag. 88. cum Bonfinio nihil se habere velle declarat, eo, quod is suam Historiam ex Thuroczio accepisse credatur. In re ipsa alia causa est, cur Bonfinium repudiet; quia videlicet ejus testimonium evidentius est, quam ut pro arbitrio huc, aut illuc trahi, torquerique possit. Contra A. R. Katona pag. 674. miratur me, quod Bonfinium interpretem Thuroczianorum Annalium adhibeam, qui ab eo pluribus commentis corrupti sunt. Ast, non est cur miretur, hoc enim loco certe non corrupit Thuroczium, sed rem eandem magis perspi-

rationis Thuroczianæ luculentis explicet verbis : *Cum post tot bella*, inquit, *se in otium revocasset Ladislaus, in Bihoriensi agro - - Divina statim mandata præstitit, magnificentissimam ædem erexit, eique Pontificem præfecit, Oppidum fundavit, Varadinumque jussit appellari.* Poteritne luculentius testimonium pro asserenda S. Ladislao Regi erectione Episcopatus, & Civitatis Varadinensis adferri? Hinc autem certissimum evadit, Thuroczii *Monasterio*, non Monachorum, sed Episcopale, seu ipsum Episcopatum indicari.

Id quod apprime confirmat Vetustissimus M.S. Codex Corsendoncanus Canonicorum Regularium in Brabantia, ubi, uti pag. 15. memineram, isthæc adnotata leguntur: *Cum itaque pius Rex Ladislaus armatus esset humilitate, & potens in pietate, præcipuus tamen in largitate; omnes enim Ecclesiæ, & Monasteria Regalia sive ab ipso, sive a quocunque alio fundata, elemosynis ejus sunt locupletata - - Duos quoque Episcopatus ordinavit, & Regia largitate locupletavit.* (*a*) Hi duo Episcopatus vero non possunt alii esse, quam Varadinensis, & Zagrabiensis; in confesso enim apud omnes est, nullius alterius Episcopatus erectionem S. Ladislao tribui posse. Non absimiliter Pelbarti Compilator, Scriptor sæculi XV. idem exsertis verbis testatur, & phrasi Thuroczi-

---

perspicue refert. Ego vero nihil miror, quod Bonus ille sic loquatur; advertit enim Bonfinii verba clariora esse, quam ut ulla arte possint, quod Thuroczio, aliisque sine metu facit, corrumpi, depravarique; idcirco Author cum omni supellectili in abissum illi præcipitandus est. Illud autem mordax est, quod idem A. R. Katona post hæc mea: *Bonfinius prævidens nostræ ætatis Scriptorum ad cudenda nova immodicum pruritum, sensum Thuroczii luculentis verbis explicat*, subjicit: *Nihil Bonfinium, etiamsi Propheticum illi Spiritum, quo futura præviderit, hic tribuat, moror.* Indigna sane Viro gravi, & cujus interesset omnino non ignorare, quidnam sit Propheticus Spiritus, περισσολογία.

(*a*) Illud: *ordinavit*, hic idem est, quod *erexit, condidit, fundavit*; alias enim Codicis istius testimonium ne quidem ad unum Zagrabiensem Episcopatum ab S. Ladislao erectum, fundatumque applicari posset: quod iis, qui præoccupati animi spectris non agitantur, luce meridiana clarius est. Id ipsa phrasis quoque Codicis extra dubium ponit. *Duos Episcopatus ordinavit, & regia largitate locupletavit:* quid enim hoc aliud est, quam quod S. Rex duos Episcopatus condiderit, & Regia conditos munificentia dotaverit. Hos autem Episcopatus Zagrabiensem, & Varadinensem esse, nemo sanus negaverit, quandoquidem exploratissimum est, nullum alium a S. Ladislao Rege conditum esse.

rocziana pariter utitur, inquiens: *Beatus Ladislaus Monaſteria Epiſcopalia duo conſtruxit, ſcilicet Varadinenſe, & Albenſe, (a) quæ regia largitate dotavit.* Id ipſum apertis verbis Breviarium Strigonienſe, Sæculo XV. juſſu Mathiæ Corvini Regis ad Exemplar antiquioris, quod Eruditi ad ſæculum XIII. adeoque ad tempus duobus retrorſum a Thuroczio ſæculis ſejunctum, recuſum perhibet, ut pote S. Ladislaum duos Epiſcopatus condidiſſe: & utique non alios, quam Varadinenſem, & Zagrabienſem. Hoc idem omni procul dubitatione adſtruunt omnes, quod ſciam, recentiores Authores Domeſtici uſque ad præſens ſæculum, quo apud nonnullos novitates procudendi libido tam altas jam radices egit, ut illis nihil, niſi nova, e quibus magni apparere volunt, placeant: & cum nullum, uſque ad noſtrum luxurians ſæculum, Scriptorem nobis opponere valeant, veteres perinde, ac recentiores, placitis ſuis adverſos, liberrime mutilant, torquent, truncant, depravant, ſuſque deque habent.

Facit præterea pro S. Ladislao, totius Hungariæ continuata Traditio, a majoribus multis retro ſæculis hauſta, ut pag. 62. ſcripſi hoc verborum tenore: Percurras licet univerſum Regnum, & ex quocunque demum hominum genere quæras: quis ſit Inſtitutor, & conditor Epiſcopatus, Capitulique Varadinenſis? & omnes æquali prorſus ratione, quin ulli vel dubitare in mentem veniat, S. Ladislaum Regem nominabunt: imo ludi ſe, non ſine ſtomacho, credent, quando de tam perſpicua, omnibusque planiſſima re quæſtionem inſtitui ſentient. Locupletiſſimus hujus teſtis eſt Provincia Biharienſis, in cujus gremio & Varadinum, & Epiſcopatum cum Capitulo erigere Sanctiſſimo Regi placuit. Iſthæc Regio non modo illud S. Ladislai ſingulare agnoſcit beneficium, verum etiam eodem titulo pervigilium ſacræ ejus cultui diei Eccleſiaſtico jejunio prævenit, ut eo etiam pacto ob datum ſibi Paſtorem, pro animabus ſuis excubantem, gratam ſemper mentem teſtatam faciat. Interro-

(a) Nemini moveat dubium, quod *Albenſem* nominet, manifeſtum enim eſt, mendum in hoc cubare, cum certiſſimo conſtet, Albenſem in Tranſilvania a S. Stephano erectum eſſe; proinde dicere voluit: *Varadinenſem*, & *Zagrabienſem*. Nemo profecto ad hoc tempus aliud ſomniavit.

ges hic loci juvenem, aut ſenem, rudem, aut doctum virum, ſive mulierem: num ſibi perſvadeat, S. Ladislaum Sacerdotii Varadinenſis Fundatorem eſſe? &, credas mihi velim, deridebunt te, atque ignorantem proclamabunt. Et cur iſtud? quia videlicet ex Traditione, ab antenatis continuata ſerie accepta, nihil magis exploratum ſe tenere exiſtimat, quam quod S. Ladislaus Varadinenſem Epiſcopen condiderit. Traditione pariter terræ hujus populus novit. S. Regem Varadini in Cathedrali Eccleſia, a ſe baſilice conſtructa, tumulo illatum eſſe. Et hæc Traditio tanto probabilior eſt, quod veterum Scriptorum non obſcuris teſtimoniis inſuper imitatur. Jam vero; hinc rurſus manifeſtum fit, quod quemadmodum omnino falſum eſt, eos, qui pro S. Ladislao pugnant, authoritate Thuroczii *præcipue* niti, remque totam ad hunc redire; ita certiſſimum eſt, quod Thuroczium *Monaſterii* nomine, nequaqam Monachorum, ſed Epiſcopale, ſeu Epiſcopatum intelligi.

Cl. Pray objectio refutatur.

Obnititur tamen Cl. Pray, &, ut jam monui, ſcribit, ex ipſius Thuroczii phraſi *Monaſterii* nomen *ex ſe ſe* non indicare Sedem Epiſcopi, ſecus enim Abbatiæ: Saarienſis, Tihonienſis, Sexardienſis, Silienſis, Demeſienſis, in quibus earum Fundatores, utpote, Abba, Andreas I. Bela I. Reges, Athia Palatinus, & Almus Dux quieſcunt, Sedes Epiſcopales forent, quia Thuroczius affirmat, illos in Monaſteriis, quæ exſtruxerunt, conditos eſſe. (*a*) Hoc equidem argumenti genus dupliciter ridiculum eſt. Nemo, quod ſciam, hactenus adeo ægrotabat, ut ſive Thuroczio, ſeu cuicunque demum alteri, nomine Monaſterii ſemper, & ubique ſedem Epiſcopalem venire adſtrueret; adeoque ſupervacaneum eſt illud: *ex ſe ſe*, quod niſi me omnia fallunt, idem eſt, ac: *Natura ſua*, adeoque *ſemper* & *ubique*: aut, ſi idem non eſt, vis

(*a*) Cl. Pray pag. 90. habet: *Andream I. conditum in Monaſterio S. Adriani Confeſſoris, quod idem Rex conſtruxit.* Hoc profecto nimis erroneum eſt; nam etſi extiterit Monaſterium S. Adriani de Szala dictum; illud tamen Andreas I. neutiquam conſtruxit, neque in eo conditus fuit. Sed fundavit Monaſterium S. Adriani Epiſcopi, & Confeſſoris de Tichon, in quo ſepultus etiam eſt. Proinde grande hoc ſphalma omnino exterendum eſt. In Diſſer. de S. Ladisl. Tabulas Fundationis integras retuli.

vis argumenti elumbis est, quia phrasis illa hunc in modum resolvitur: Hic Thuroczius non ex se se quidem, sed ex usu loquedi tempori congruente, Monasterii nomine Sedem Monachorum, alibi Episcopalem intelligit: quorum prius ludicrum, & inane commentum esset, posterius, ut verum est, ita rei præsenti minime congruit, & utrumque risum meretur. Ne hilo plus valent adducta exempla, quoniam etiam docti de trivio norunt, in Saar, Tihony, Sexard, Silis, & Demes nec esse, nec unquam fuisse sedem Episcopalem: fuisse contra, & etiamnum esse Varadini. Proinde quivis nullo negotio intelligit, Thuroczium qui nomen Monasterii modo in hac, modo in illa significatione accipit, dum quinque illa Monasteria memorat, indicare Monasteria Monachorum, prouti reipsa Monachorum D. Benedicti erant; contra dum Monasterii Varadinensis meminit, indicat Episcopale; neque enim hactenus evictum est, sed nec evincetur unquam ab S. Ladislao Monachorum Varadini Monasterium conditum esse: de quo, uti & de immanibus Adversarii antilogiis postea videro. Cæterum ipse Thuroczius satis declaravit, quid illi nomine Monasterii, Varadini conditi, veniat, quando S. Ladislaum in monasterio, quod exstruxit, tumulatum esse perhibet; est enim dubio procul in Cathedrali Ecclesia tumulatus; quod hactenus clarissime, reor, docui.

Exploratum itidem est, quod pag. 16. monui apud Veteres, Episcopatus, *Monasteria*, & Canonicorum Collegia, seu Capitula *Claustra*; alias & Episcopatus & Capitula, *Monasteria* communi nomine, nec raro, vocitata fuisse: idque ea de causa, quia olim Canonici a populo remoti, & intra septa quædam in Hungaria, nolo enim hic de aliis Provinciis loqui, habitavere: quemadmodum etiamnum pluribus in locis, Urbibus præcipue Episcopalibus, Canonicorum Domus continuato ordine sibi succedentes, & Ecclesiæ proximas videmus, qui cum Episcopis suis veluti in claustro quodam aut Monasterio vivebant. Id Synodus Nationalis sub Colomanno Rege anno 1114. per Laurentium Archi-Episcopum Strigonienſem celebrata, luculentius declarat, quam ut ullum dubitandi locum relinquat: (*a*) idcirco Ma-

(*a*) Sic autem habet: *Ut Canonici in Claustro*, seu Capitulo *Literatorie loquantur:*

Magiſter Joannes de Thurocz tali loquendi modo ſe conformans, optime ſcripſit, S. Ladislaum in Parochia Caſtri Byhor Monaſterium, hoc eſt, ſedem Epiſcopalem cum Capitulo condidiſſe, & Varadinum extruxiſſe. (*a*)

Aberratio Cl. Pray circa Inſtitutum Benedictinorum.

Mirabile eſt, quod porro noſter ad inflectendum Thuroczii teſtimonium in chartam conjecit, videlicet: veritati non congruere, quod Monachi D. Benedicti ſylvas, & latibula amarint, turbæ conſortia devitarint. Si enim id ita haberet, pauciſſimos Epiſcopos, & Capitula Regnum habuiſſet, ſed & Literæ, ac Religio peſſimo loco fuiſſent; quia Monachis D. Benedicti fidei, & literarum propagatio debetur. Ita Ille. Sed improſpere. Non ergo congruit veritati, Monachos S. Benedicti ſylvas, & latebras amaſſe, turbæ conſortia devitaſſe? imo vero maxime. Jam ipſe S. Benedictus Adverſarii opinionem luculente confutat, nonne enim primum ordinis ſui, quem fundarat, Cœnobium in Monte Caſſino inter montes, ſylvas, rupes, & latebras condidit? Mons Caſſinus duobus paſſuum millibus ab imo ad ſummum faſtigiatur cacumen. Ad Orientem habet montes Apenninos: a Septentrione aſperis rupibus, frequentibuſque dumis mira inter ſe denſitate coeuntibus cingitur: a meridie montes Sueſſæ, & Maſſici reſpicit. (*b*) An vero hoc non

---

quantur: & ipſe Titulus Capitis XIII. hujuſmodi eſt: *De Monaſteriis Epiſcoporum.* Monaſteria Canonicorum, ſive Collegia etiam in Concilio Thuronenſi III. Cap. XXXI. memorantur. Unde patet, olim uſum tuliſſe, ut Clauſtri, & Monaſterii nomine jam Epiſcopatus, & Collegia Canonicorum, jam etiam horum, aut Monachorum Domicilia ſignificarentur.

(*a*) Monaſterium ſæpe etiam pro Eccleſia Cathedrali ſummitur, quod in plerisque Eccleſiis Cathedralibus Monachi Canonicorum loco Sacra munia obirent. Vid. Thomaſſ. Eccl. Vet. & nov. Diſcip. Unde uſu ſervato etiamnum in Germania Cathedrales Eccleſiæ dicuntur *Munſter*, ut habet Nebrid Mandelheim Epis. XVI. antiqu. Monaſt. Ita Eccleſias Cathedrales Atrebatenſem & Cameracenſem Monaſterii nomine donat Baldricus Noviom. Lib. III. Cap. IV. & XLVIII. Sic Marianus Scotus ad annum 1081. Eccleſiam Cathedralem Moguntiæ vocat Monaſterium Epiſcopale. Dodechinus 1137. Monaſterium principale dicit. Igitur Thuroczius quoque his phraſibus uſus eſt, dum teſtis eſt, ab S. Ladislao Monaſterium Varadini fundatum eſſe, ſine dubio Eccleſiam Cathedralem intelligit, hoc eſt, Epiſcopatum cum Capitulo, ſeu Cathedram Epiſcopalem, quod Cathedralis Eccleſia denotat. Uti ex iis, quæ hucuſque pertractavi, clare liquet.

(*b*) Sic habet Angelus a Nuce in Deſcriptione Montis Caſſini apud Muratori. Scrip. Rer. Ital. Tom. IV.

non est, sylvas, montes, latebras amare, turbæ consortia devitare? Hinc, ut multos alios Sacri hujus Instituti Monachos non memorem, S. Gregorius M. P. e latebris, quas dilexit, invitissimus extractus est, & anno 590. summus Pontifex consecratus. (*a*) Bonifacius V. ita amavit solitudinem, ut e Monasterio primæ Congregationis Benedictinorum ad Pontificatum evocari, & tantum non cogi debuerit anno 620. Benedictus IV. in Cœnobio latere voluit, & inde non nisi extractus summum Pontificatum admisit anno 900. (*b*) Amarunt ergo Monachi S. Benedicti sylvas, & solitudinem, ac, quod hinc consequi necesse est, Urbes, & turbæ consortia devitabant.

Redeamus in Hungariam. Habemus complures in Regno ordinis D. Benedicti Regum nostrorum liberalitate a tempore S. Stephani ad usque Regimen S. Ladislai, de hac enim temporis periodo in primis agimus, Abbatias erectas. Sic Abbatiæ: Sacri montis Pannoniæ, B. V. M. de Péch-Várad ad radicem montis ferrei, S. Mauritii de Bacon-Beel, S. Adriani de Szala, & S. Hypoliti de Zobor Parentem agnoscunt. Abbatiæ: de Saar-monostra Abæ, seu Samueli Regi, S. Salvatoris de Szekszard Belæ I. S. Aniani de Tihony Andreæ I. S. Benedicti de juxta Gron Geisæ I. debentur. (*c*) Ubi hic Urbes? ubi turbæ? ubi Fora? Certe omnia hæc Filiorum S. Benedicti Patriarchæ Domicilia partim in horridis montibus, partim in sylvis, & Insulis, lociſque a turbæ consortio secretis condita esse, etiam hodie videre licet; & ipsæ Tabulæ Fundationum clamant. InPéch Varadiensibus sic habetur: *Stephanus - - ad radicem Montis ferrei Monasterium diligenter construximus.* In Bacon Beelensibus: *Stephanus - - in loco, qui Beel dicitur, in sylva Bacon - - Monasterium consummavi.* S. Adriani in Insula Szaladiensi constructum erat, noti quoque sunt montes, Pannoniæ & Zobor. Adhuc ne vero Monachi S. Benedicti montes, sylvas, latebras non amabant? adhuc ne turbæ consortia non devitabant? Erant

(*a*) Joan. Diac. in vita S. Gregorii M. Lib. I. Cap. XXXIX. XL. XLIV.
(*b*) Vid. Bucell. Eggs. Kolb.
(*c*) Sic habet Appendix Synodi Pazmanianæ.

jam tum in Hungaria Urbes, & ampla Oppida: cur Familiæ D. Benedicti, cui præ cæteris pientiſſimi illi Reges favebant, Cœnobia in Urbibus, Strigonio, Albæ, Poſonio, Nittriæ, aliis non erexerunt? nullam, me hercle, aliam inveneris cauſam, quam quia Monachi S. Benedicti ex natura ſui Inſtituti ſylvas, montes, latebras, ſolitudinem colebant, ut tritum quoque illud carmen ſatis indicat: *Bernardus valles, montes Benedictus amabat.* Amabant ergo Monachi iſti ſylvas, & latebras, turbæque conſortia devitabant.

Neque id impedit, quo minus e Monachis, ſic ſolitudinem amantibus, & mundanos tumultus defugientibus, Epiſcopi deligantur, & Collegia Canonicorum conflentur: non impedit, quo minus per eos fides Chriſtiana, & literæ propagentur. Quemadmodum enim exploratum eſt, Monachos S. Benedicti montium, ſaltuum, nemorum incolas nullo non tempore fuiſſe, ita omnibus conſtat, innumeros pene ex iis ad Epiſcopatus, aliaſque Dignitates Eccleſiaſticas e latebris, ſolitudine, vita contemplativa protractos fuiſſe, & maximam partem invitos, & reluctantes ad illas admittendas cogi debuiſſe. Et ex his tali pacto ad regimen Eccleſiæ vocatis Monachis S. Benedicti numeramus Romanos Pontifices LII. Archi-Epiſcopos ubivis terrarum ad MM. & Epiſcopos per diverſa loca ad MMMM. (a) Quam vero iſti excellentem Eccleſiæ Dei operam navarint, quam egregii Chriſtianæ fidei tutores, ac propagatores fuerint, is ſolum neſcit, qui Hiſtoriam Eccleſiaſticam ne a limine quidem ſalutavit. Proinde confido fore, ut Cl. Pray non audeat porro tueri, quod ſi Monachi D. Benedicti, quos S. Stephanus, aliique Reges noſtri Sæculo XI. Religionis cauſa evocarunt, ſylvas, & latebras amaſſent, ſi turbæ conſortia vitaſſent, non ſolum pauciſſimos Epiſcopos, Regnum habuiſſet, ſed peſſimo etiam loco Religio fuiſſet: imo hanc ſententiam ſuam recantarurum quoque, illique lituram inducturum, utpote quæ celeberrimo Benedictinorum ordini maculam cum injuria aſpergit, confido; hic enim facer ordo nunquam Urbes, nunquam Fora, nunquam turbæ con-

for-

(a) V. Trithem. Annal. Hirſaug.

sortia ambiebat: quin potius Sanctissimus eorum Fundator, ut suo exemplo filios erudiret, ita latebras quærebat, ut primum eremum, & antra non procul Sublaco peteret, in quibus latens, tam dulcem quietem reperisse sibi visus est, ut triennio integro extra omne hominum consortium nullo tædio, doloreve afficeretur; (*a*) tum deinde in præcelso monte Cassino filiis, in solitudine commoraturis, Cænobium construeret.

Sed juvat adhuc S. Athanasium Episcopum Alexandrinum ad rem prorsus apposite loquentem audire. Is Dracontium Monachum, & cujusdam Cœnobii in Ægypto Abbatem, Episcopatum Hermopolitanum, ad quem vocabatur, recusantem, nec solitudinem, ac Monasterium, in quo separatus a mundo, unice Deo cum suis Monachis vivebat, dimittere volentem, acri, & nervosa Epistola cohortatus est; sic inter cætera ad eum scribens: *Nunquid tu solus es inter Monachos, qui fuerit Episcopus ordinatus? aut solus, qui Monasterium, fratribus charissimus Pater, rexeris? Scis Serapionem Monachum esse, & quantæ Monachorum multitudini præpositus fuerit; non ignoras, quod Monachorum Pater Apollos fuerit; noti sunt tibi Agathus, & Ariston; Ammonii recordaris, qui cum Serapione peregrinatus est. Forte de Movita in superiori Thebaide aliqua audieris; potuit ad te referri de Paulo, qui in Oppido Latos est, & pluribus aliis. Hi omnes Ordinationem non recusarunt, nec ideo pejores facti sunt, e contra laborum suorum mercedem sperant. Perpende! quod Sancti hi Monachi, & Episcopi Idololatra converterint, quot homines a diabolicis ritibus abstractos ad Christi sacra adduxerint.* (*b*) Hucusque S. Athanasius: habemus autem

(*a*) Vid. Trithem. de Viris illustr. Bened. Mabilon. Annal. Benedict. Marquerite de Blemur Vie de SS. de l'orde de S. Benoit. etc.

(*b*) Scio S. Benedictum Sæculo VI. vixisse, S. Athanasium vero & Dracontium sæculo IV. adeoque hunc non potuisse esse Monachum Benedictinum. Sed placuit mihi ob rationis identitatem Epistola S. Athanasii uti ad ostendendam inanitatem argumenti, quod Adversarius suscitavitne, an ex umbris conflavit? Cui enim non moveatur stomachus, dum legit, Monachos sylvas, & solitariam vitam amantes, atque turbæ consortia vitantes, ab Episcopatu repelli, & tanquam inutilia Reipublicæ Christianæ membra haberi; neque enim aliud est illius istud: si Monachi sylvas, & latebras amassent, turbæ consortia devitassent, pauciissimi in Hungaria Episcopi, & Religio pessimo loco fuissent.

hinc complures Monachos ejus ætate e latebris, ſylvis, montibus, & nemoribus, quibus toto animo dediti erant protractos, regendiſque Eccleſiis, uti Epiſcopos, præfectos fuiſſe & tam egregie munus ſuum Paſtorale adimpleviſſe, at abolitis ethnicis ritibus multos ad Chriſti ovile perduxerint; hoc eſt, Chriſtianam religionem ſolerter propagaverunt. Et nihilominus audet noſter, & ſine ambagibus, ſcribere: ſi Monachi S. Benedicti ſylvas, & latebras amaſſent, turbæ conſortia vitaſſent, pauciſſimos ſæculo XI. Epiſcopos habuiſſet Hungaria, & Religio peſſimo loco fuiſſet: Id equidem nec geſtis rebus, nec veritati congruit. Audiat, quid egit S. Stephanus multorum Epiſcopatuum, & Abbatiarum Parens: videlicet fundavit pro ſibi dilecta D. Benedicti Familia in ſylvis, montibus, inſulis, locis a mundi tumultibus diſſitis Abbatias, & Monaſteria: ex his, ut neceſſitas, aut utilitas poſcebat, pro re nata Monachos, uti ſibi viſum erat, ex conceſſione Romani Pontificis, extrahebat; Epiſcopatibus, ab ſe pariter conditis, præficiebat, Canonicos creabat, Capitula coſtituebat: iſti vero inſigni ſtudio, & indefeſſa diligentia Chriſtianam fidem propagabant: reliquis Monachis in ſolitudine, ut illorum inſtitutum tulit, procul a mundano ſtrepitu, unice Deo ſervientibus, & vitam tranquillam in ſolitudine agentibus. Id, quod nemo ſane, ſi modo Hiſtoriarum vel modice gnarus ſit ignoret. Eadem eſt ratio literarum, quarum propagatio Monachis D. Benedicti debetur; neque enim opus fuit, cauſa literarum in Urbibus Monaſteria collocare, aut, quod Noſter vult, Monachorum cauſa Urbes condere. Non credo vero Cl. Pray ſibi perſvaſiſſe, ſæculo XI. quod rude profecto apud Hungaros fuit, literas multum floruiſſe, atque ad apicem perductas fuiſſe: atque adeo pauculos magiſtros ex ordine Benedictino legere neceſſe erat, qui Hungaros, plus armis, quam literis deditos, legere, ſcribere, forte etiam latine loqui docerent, reliqua multitudine in ſylvis, & montibus remanente. Et hæc eſt genuina, quantum ad rem noſtram, Monachorum Sæculi XI. apud nos pictura, quam adverſarius tantopere averſo deriſit ſupercilio. ſed

Τοῦτ' ἐστὶν ἡ πάγη τε, καὶ τὸ τήξαλεον.

De

De hinc indicium quærit, quo Monachorum Monasterium ab Episcopali secernatur. Id autem sic loquitur (a) *Civitas esse non potest, tum quia Monasterium cum Civitate non pugnat: tum quod*, verba ejus sunt, *supra ostensum sit, Monachos sæculi XI. Religionis, & literarum causa Urbes, ac Oppida ut plurimum incoluisse.* Ῥαλεμώδη μεγαλανγία! Ubi quæso, ostensum est? illi, dicere, ostendere est: nos testes, non verba, rationum momenta, non umbras videre volumus. Cur nobis ne unam Urbem nominat? vel forte illi mons Pannoniæ Urbs est; aut horridi montes Zoborienses, Civitas; vel inaccessa sylva Bacon, Monsferreus, Insula Szala, celebria Oppida? Civitatem vero cum Monasterio non pugnare, verum est, id est, posse in Civitate quoque Monasterium erigi; sed quæstio in eo vertitur: an ab S. Ladislao fundatum Monasterium, cujus causa Civitatem Varad exstruxit, quod Thuroczius perhibet, sit Monachorum, vel Episcopale? Monachorum certe non est, hi enim in montibus, & nemoribus agebant, adeoque eorum gratia non fuit opus Civitatem condere. Est itaque Thuroczii Monasterium Episcopale, propter quod Civitatem etiam Varad dictam S. Ladislaus condidit, quam hodiedum Episcopus Cum capitulo pleno jure possident.

Rursum circa significationem Monasterii

Sin autem, ita Noster porro argumentatur, *Monasterium & Civitas satis sint ad constituendam Episcopalem sedem, necesse omnino est, ut sub S. Stephano in Provincia Biharienſi jam fuerit Monasterium Episcopale, proinde & Episcopatus.* Videamus, cur id *omnino necesse est*? in promptu est causa, quia nimirum Civitas Biharienſis jam ante exstitit, quam Ladislaus Regiam Dignitatem adeptus esset: fuit præterea in Comitatu Biharienſi Monasterium tempore S. Stephani, ut Biographus S. Gerardi testatur. (b) Idmodi argumenta Sophistarum sunt, quod hominum genus quidam Historiarum luem, & Philosophorum pestem nominavit. Extitit Civitas Byhor ante S. Ladislaum, sed tempore S. Stephani fuit in Provincia Byhor Monasterium, ergo

(a) Spec. Hier. Hung. pag. 91.
(b) Ibid. pag. 91. 92. 93.

tempore S. Stephani fuit Episcopatus Varadini. Ego equidem talia non auderem. Nemo dixit: Ubi est Civitas, & Monasterium, ibi est Episcopatus, & Capitulum; quod tanto magis a veritate recedit, si Monasterium non sit in Civitate. Proinde etsi liberaliter concederemus, Civitatem Byhor extitisse, etsi daremus item fuisse ante S. Ladislai regimen Varadini Monasterium Monachorum: quis tamen prudens hinc intulerit: ergo ante, quam S. Ladislaus Rex fieret, fuit Varadini Episcopatus. Nos dicimus, Thuroczii *Monasterio* indicari Episcopale, quod & recepta ejus ætatis phrasis docet, & ipse Thuroczius non obscure manifestat, quando dicit, loco illi, in quo S. Ladislaus erexit Monasterium, ab eodem Rege nomen Varadini inditum esse: adeoque causa Monasterii Civitas, qua Monachi montium, & sylvarum incolæ non opus habebant, ædificata est: proinde omnis nostri ratiocinatio in vaporem abit.

Et circa Civitatem Byhor.

Cæterum neque illud verum est, quod aliquando in Provincia Biharienſi Civitas Byhor, prout hæc Urbem notat, extiterit. Castrum Byhor a quo Provincia nomen sortitur, norunt omnes; Urbem Byhor doctus, & indoctus, perinde nescit. At Thuroczius meminit Civitatis Byhor, pariter & Geisa I. in Diplomate, Abbatiæ de juxta Gron elargito. Sic est; sed uterque Provinciam, seu Comitatum hujus nominis intelligit. (a) Thuroczius, qui Capite LII. Byhor, *Civitatem* dicit, Capite LIX. Parochiam seu Regionem *Castri* Byhor vocat, manifesto indi-

(a) Hoc responsum Cl. Pray conatus erat occupare, cum scripsit: *nemo Civitatis nomine hoc loco Provinciam, seu Comitatum intelligat.* Imo nisi quadrata rotundis miscere velimus, id omnis intelligere debet. Nec obstat, quod Geisa in eodem Diplomate Civitatem Vaczienſem, quo Urbs indicatur, nominet; scitum enim est, Civitatis nomen apud ætatis illius homines analogum fuisse, & ideo jam Provinciam, jam Urbem denotasse: proinde Geisæ quoque licitum fuit, eandem vocem modo in hoc, modo in alio sensu usurpare. Monendus autem hic mihi lector est; a Cl. Pray relatis supra dictis verbis isthæc subnecti: *Rex enim in eodem Diplomate Civitatem, & Villam a Comitatu plus vice simplici accurate secernit.* Hoc ambiguum est, cum enim de solo Byhor sit isto loco quæstio, quivis lecta Cl. Viri sententia existimavit: Geisam, Civitatem Byhor a Comitatu plus simplici vice secernere; quod omnino falsum est, nam in Diplomate illo nec vola, nec vestigium hujus secerniculi reperitur, etsi Comitatus Cseringradienſis meminerit. Sic ille solet.

indicio, quod utrobique Provinciam, seu Comitatum Byhoriensem innuere voluerit. Idem est de Geisæ I. Diplomate, in quo hæc leguntur: *Abbatissæ de Tormova in confinio Byhor Civitatis*, (a) Frustra certe intra Comitatum Bihoriensem locum *Tormova* quæsiveris; fuerit is in cofinio istius Comitatus, & forte ea parte, qua Comitatui Cseringradensi jungitur, vox enim *Tormova*, Illiricismum olet, quod hominum genus plagam illam incoluisse, nullum est dubium. Et sane, si Noster nobis persvadere voluit, Urbem *Byhor* nuncupatam isthic aliquando exstitisse; debebat prius in numerato rationes docendi habere, hoc est, in re tam intricata, & singulari, imo nulli hactenus audita, nec ab Anonymo Belæ Regis notario, qui tamen Castri Byhor sæpius, & diligenter meminit, commemorata, ostendere, & certis argumentis, debebat: quisnam illam Civitatem quo loco & tempore condiderit? quando eversa sit? vel forte aliorsum per necromantas translata, alias nullo apud Scriptores vestigio reperto, bona Cl. Viri venia, nudis verbis, aut vocibus ad libitum acceptis, non credimus.

Illud quoque abhorret a vero, quod ex Biographi S. Gerardi deflexa sententia adfertur, utpote Varadini tempore S. Stephani fuisse Cœnobium Monachorum D. Benedicti, eo quod is, de congregatis Monachis, agens, dicat, de Varadino duos, Stephanum & Anselmum venisse. Sciunt Monachi S. Benedicti Monasteria, quæ Patres eorum ætate S. Stephani incoluerunt, sed commentitium illud Varadinense prorsus non noscunt. Cæterum ad hæc in Dissertatione de S. Ladislao pag. 84. sequ. jam

Item dum sibi persvadet, Varadini fuisse Monasteri um Benedictinorū.

(a) Ex his Noster pag. 92. arguit: *sive dubio id Cœnobium Monialium Authorem S. Stephanum habuerit; nam cui alteri ante hunc id verisimiliter tribuemus?* Lepida Logica! Ejus Cœnobii Authorem nescimus, ergo Stephanus is fuit. Geisæ Literæ confectæ sunt anno 1075. adeoque XXXVII. annis a morte S. Stephani. Igitur, si quid Nostri Logica probat, nos quoque ita concludemus: Nescimus Authorem ejus Cœnobii, ergo is fuit Petrus, vel Aba, Andreas I. Bela. I. hi enim ante Geisam regnarunt. Quid si Moniales illæ Græcæ fuerunt, ut probabilius fuisse, locus Tormova, qui in Ditione Achtumi olim fuerat, quod Diploma Geisæ verbis illis: *in confinio Byhor Civitatis*, seu Comitatus, satis indicant, non obscure evincit: dicemus proinde, Græcum aliquem, & forte Achtumum ejus Cœnobii Authorem fuisse. Tædet inanes idmodi suspicationes toties refellere.

jam reſpondi hiſce verbis: *Sciendum eſt, plura in Regno Hungariæ Monachorum S. Benedicti ejusdem cognominis Monaſteria reperiri, quæ quia per Abbates regebantur, nomine Abbatiarum inſignitæ ſunt. Talis eſt, Abbatia de Beel Trium Fontium B. V. M. in Cælos Aſſumptæ, alias Trium Fontium de Beel Cumanorum dicta Agrienſis Diœceſis, quam anno 1232. fundatam fuiſſe liquet. Alia eſt de Beel in ſylva Bacon S. Mauritii Veſzprimienſis Diœceſis; & hanc a S. Stephano conditam eſſe nemo hactenus dubitavit. Jam vero, ſi quis ideo, quod Biographus S. Gerardi ſcribat, juſſu S. Stephani duos Monachos de Beel Chanadinum (de re ago, non de nomine diſputo) veniſſe mordicus tueri vellet, duos illos Monachos e Monaſterio de Beel Trium Fontium exiviſſe, profuſo riſu & cachinno, ut mitiſſime loquar, dignissimus foret, quia & adverſus rationem temporum peccaret graviſſime, & admodum tenuem notitiam monumentorum ſe ſe poſſidere, plus quam ſatis proderet. Non abſimiliter eo, quod idem Biographus ſcribat, de Varadino duos Monachos Chanadinum veniſſe, male infertur, ſermonem Biographo eſſe de illo Varadino, quod in Provincia Biharienſi eſt, & a quo Epiſcopus ſuum ſortitur nomen. Certe nemo, qui in Hiſtoria vel mediocriter verſatus eſt, ignorare poteſt, ab S. Stephano anno 1015. fundatum eſſe pro familia S. Benedicti in honorem B. V. M. Monaſterium, ſeu Abbatiam Péch-Varadienſem nuncupatam, Diœceſis Quinque-Eccleſienſis: certum itidem eſt, apud Scriptores vetuſtiores pariter & recentiores Abbatiam iſtam paſſim nominari de Varad ſeu Varadino ad radicem Montis-ferrei, ſine addito prænomine Péch (a) imo ſæpiſſime etiam voces illæ: ad radicem mon-*

(a) Hoc loco Cl. Pray diem mihi dicit; ita enim pag. 93. de me habet: *Author Diſſertationis de S. Ladislao Fundatore Epiſcopatus Varadinenſis pag. 85. ſcribit: Certum itidem eſt apud Scriptores vetuſtiores pariter & recentiores Abbatiam iſtam nominari de Varad ſeu Varadino - - ſine addito prænomine Péch.* Tum ſubnectit: *Ego, qui ex Diplomatibus aliud cognitum habeam id tam diu bona Cl. Viri venia non credam, donec mihi vetuſtos hos & recentes Scriptores recenſeat, adjiciat item, ubi? quibus ect. id referant.* Hæc ille ſatis magnifice. Ego vero pariter bona Cl. Viri venia dixerim, vehementer me mirari, quod ſententiam meam aperte depravatam, mutilatamque protrudat. Scripſi: *Abbatiam iſtam nominari de Varad, ſeu Varadino ad radicem Montis ferrei, ſine addito prænomine Péch.* Ille verba iſta: *ad radicem Montis ferrei* ſurripit. An vero hac arte non efficiat, ut mea genuina, & mea per illum mutilata ſententia diverſiſſimi ſenſus ſint, qui vel tantillum latine norunt, arbi-

montis ferrei omittuntur. Et de isto Monasterio narrationem esse Biographi exploratissimum sit; tum quia fide Diplomatis constat, idem a S. Stephano erectum esse, tum quia nulli hactenus, quod sciam, sive domestico, seu extero Scriptori in mentem venit affirmare, ne dicam comminisci, Monasterium quodpiam Religiosorum Virorum in Provinciæ Bihariensis Urbe, Varadino ab S. Stephano conditum esse. Et hæc ita manifesta esse existimo, ut ipsummet Cl. Pray, de cujus bona fide dubitare nefas esset, similitudine vocis deceptum, errorem suum agniturum, recantaturumque esse confidam.

Hac mea refutatione, & genuina amicaque admonitione Cl. Virum contentum esse oportuisset. Verum hæc nostra fragilitas est, ut ad retractandos, quos erravimus, errores ægre admodum adducamur: inde est, quod nobis veterem recinat errorem, etsi, ne nimium aspectabilis sit, novis illum induat cothurnis. Sic autem scribit: *Qui ex Varadino student Péch-Varadinum efformare, haud satis perite ad ea tempora, nec ad fidem Diplomatum id faciunt.* Lustremus, quam grandi peritia nostram nos imperitiam dedoceat. *Ipsæ*, inquit, *Fundationis Tabulæ Abbatiam hanc diserte nominant Monasterium - - ad radicem Montis ferrei, nulla Varadini, aut Péch-Varadini facta mentione.* (a) Mirum si noster non negat Abbatiam ad radicem Montis ferrei, eandem esse cum Péch-Varadiensi: verba quidem ejus id innuere videntur. Apud omnes convenit, Abbatiam istam jam B. V. M. & S. Benedicti ad radicem Montis ferrei: jam Monasterium S. Benedicti: modo S. Benedicti Varadiensis: modo de Varadino Pechiensi: alias de Pech-Varad, & alias apud Biographum Varadinum nominari: & omnes istæ nomenclatu-

arbitrabuntur. Scripsi: *Scriptores vetustiores*; ille petit sibi *vetustos Scriptores* recenseri: quod rursum diversum est, nam vetustiores Scriptores sunt nobis illi Domestici, qui primi his de rebus quidpiam scripserunt: contra vetustorum nomine illi etiam Priscus Rhetor venire potest. Cæterum, Diploma Andreæ II. Abbatiam illam vocat *S. Benedicti Varadiensis de radice Montis ferrei*, quin prænomen Péch addat: S. Gerardi Biographus vero illam *de Varadino* nominat, cujus testimonio mihi uti licet, utpote cui certissimum est, antequam S. Ladislaus Regni gubernacula capesseret, Varadinum Provinciæ Bihoriensis non extitisse. De recentioribus Scriptoribus nolo agere: prostant ubivis, hos adire Noster potest; suas quoque Commentationes excutere.

(a) Spec. Hier. Hung. pag. 94.

ræ ut eandem numero Abbatiam indigitant, ita liberum erat, & est cuivis illam ex recensitis nomenclaturis ad libitum appellare. Sic quam S. Stephanus, de radice Montis ferrei vocavit, hanc Andreas II. S. Benedicti Varadiensis; Carolus Robertus de Varadino Pechiensi; Biographus S. Gerardi de Varadino; alii scriptores vetustiores pariter, & recentiores de Varad, seu Varadino ad radicem Montis ferrei, sine addito prænomine Pech, aut denique Péch-Varad vocarunt. Non ob id tamen dicere prudenter licet, tempore S. Stephani non illam Péch-Varadini nomine insignitam fuisse; nisi prius certissimis evincatur indiciis, ætate ejusdem S. Regis aut Péch-Varadinum nondum extitisse, aut Abbatiam ad radicem Montis ferrei non esse eandem cum Péch-Varadinensi. (*a*) Hoc non ante Calendas Græcas

(*a*) Cl. Pray ibid. pag. 95. ex ipsa *Péch-Varad* nomenclatura contendit elicere, nostrum Varadinum, & Monasterium extitisse; cur enim alias vox discriminans *Péch* adjecta fuisset; *voce enim Péch*, sunt ejus verba, *Urbs Quinque-Ecclesiarum venit, quasi dicas, Varadinum prope Quinque-Ecclesias - - Cum ergo dicatur tempore S. Stephani Péch-Varad jam in usu fuisse.* At, at rursus bona Cl. Viri venia dixero: id aperte falsum est: quis dixit tempore S. Stephani voces: *Péch Varad*, in usu loquendi, scribendive fuisse? ego sane nuspiam & nunquam; imo Diploma S. Stephani, ubi nulla mentio vocis Péch-Varad occurrit, ex Péterfio recitavi; nec Biographus S. Gerardi vixit tempore S. Stephani: Attamen Noster ex istis concludit: *dubium non est aliud Varad eodem tempore extitisse: non aliud certe, quam Varadinum Provinciæ Bihariensis, quod idcirco in vernacula etiam Nagy-Varad audit, tum vetustatis, tum amplitudinis titulo.* Verè hic adversarius Noster est Ματαοιλοιχός μαλεγος. Complures ego in hoc video aberrationes. Jam illud hiat, quod dicat, Péch-Varad idem esse, quod: Varadinum prope Quinque-Ecclesias; id tamen in edita ex Stiltingo Charthuitii Vita S. Stephani pag. 129. aliter expingit, tanquam significaret Varadinum in Provincia Péchiensi, seu Quinque-Ecclesiensi: litus nempe fuerit, non dari Provinciam seu Comitatum Pechiensem aut Quinque-Ecclesiensem; sed Quinque-Ecclesias in Comitatu Baranyiensi & nunc esse, & olim fuisse. Utcunque hoc sit; neutrum bene dicitur; etsi enim voce *Péch* Urbs Quinque-Ecclesiarum veniat, non recte tamen ishinc conclusum est, alias necesse erit affirmare, Vici Péch-Ujfalu, qui in Provincia Saarosiensi est, nomenclatura venire Ujfalu prope Quinque-Ecclesias; quod omnino ridiculum est. Nec prænomen Péch, Varadino adjectum est vox discriminans, sed Diœcesim, in qua istud Varadinum positum est, determinans. Non sum hic immemor paulo ante allatæ paritatis, cujus nomenclatura ex aliis fontibus fluit, quos hic declarare nihil attinet. Non est ergo vox *Péch* addita, ut Péch-Varad ab alio Varadino secernatur, sed ut Diœcesis, in qua est, designetur: adeoque rursum hinc male arguit noster, siquidem Péch-Varad dictum sit, dubium non est; aliud Varad extitisse. Abbatia enim Péch-Varad idem est, ac si dicas, Abbatia Varadiensis in Diœcesi Quinque-Ecclesiensi: quod etiamsi nullum aliud in rerum natura extitisset unquam, verum est. Pariter error est, quod affirmet, illa ætate

cas docebitur. Cæterum ipsa etiam collectio Papalis ab anno MCCCXVII. ad MCCCXXXVII. dum de Diæcesi Quinque-Ecclesiensi, in qua sine dubio Abbatia Péch-Varad est, agit, Sacerdotes hujus Abbatiæ Varadinenses, aut de Waradyno vocat. Nihil ergo Adversario opitulatur Biographus S. Gerardi, quando dicit: de Varadino duos Monachos veniisse, certissimo enim significat Péch-Varadinum.

Ex his vero certo efficitur, Varadinum, cujus S. Gerardi Biographus mentionem facit, non alibi, quam ad radices Montis ferrei, ut literæ S. Stephani habent, quæri debere; ideoque inficetum esse Adversarii ex Biographo æque ac Diplomate Stephaneo sumptum argumentum, hoc est, in Provincia Biharienſi tempore S. Stephani extitisse Civitatem Varad, & in ea Monasterium, seu deinde istud Monachorum, sive Episcopale esse velis; utrumque enim a veritate quam maxime abest, nec unquam verisimiliter ostendetur. S. Gerardi Biographus parum aut nihil de Abbatiarum nominibus sollicitus ingenua simplicitate scripsit, Monachos *de Varadino* duos, *de Beel* duos congregatos fuisse, quin ibi addidisset voculam *Péch*, hic *Bacon*: & nihilominus, ut peritissime dicimus, illum hic indicare voluisse Bacon Belienſe, ita certissimum est, ibi ab eodem Monasterium Péch-Varadinense designari. Et cur, quæso nihil pro-

ætate *non aliud certe, quam Varadinum Provinciæ Bihariensis* extitisse; extitit enim cum etiam Varadinum Petri, & quidem a Varadino Péchiensi non nimis remotum; adeoque etsi concedamus, tempore S. Stephani *Péch-Varad* in usu fuisse; vocem item *Péch* discriminantem esse; discriminavit illa Péch-Varad a Péter-Varad: quod tum certe sub hoc nomine, antea vero Romanorum tempore sub alio nomine extitit. Denique error est adstruere, Civitatem Varad in vernacula Nagy-Várad audire *vetustatis & amplitudinis titulo*; si enim solum id satis est, opportebit in vernacula Urbes: Budam, Albam Regalem, Strigonium, Posonium, plures alias, Nagy-Buda, Nagy-Székes-Fejér-Vár, Nagy-Esztergom, Nagy-Posony, vocitare; quod hæ Urbes vetustate, & amplitudine, quædam etiam dignitate, Varadino præcellentiores sint. Cæterum in nullo, quod sciam Regum nostrorum Diplomate occurrit vox: *Magno-Varadinum* verum ubivis *Varadinum* duntaxat nominatur. Hinc Capitulum quoque in cunctis Expeditionibus Regnicolaribus, imo in privatis quoque, sub nomine *Varadiensis* Capituli comparet: Nec Episcopi se se, Magno-Varadienses vocant, & subscribunt, sed solum Varadienses. Proinde ad vernaculum illud: *Nagy-Várad* perfugium omnino super vacaneum est.

ducitur, quod vel tenuissimam existentiæ Civitatis Varad in Provincia Biharienſi probabilitatem efficere possit? ita enim solum Biographi sententiæ aliqua verisimilitudinis umbra adfunderetur. Nam id velle probare testimonio, de cujus genuino sensu maxime disceptatur; & prorsus insipidum est, & sanæ adversatur Ppilosophiæ. Proinde nec dubium esse potest, S. Gerardi Biographum de Péch-Varadino loqui, tametsi prænomen *Péch* adjicere intermiserit. Id quod neque apud alios Biographos insolens est, (*a*) Carthuitius (*b*) de S. Stephano hunc in modum loquitur: *Rex Deo devotus Monasterium, quod Beel vocant, inchoavit.* Non addit hic prænomen *Bacon*, & nihilominus in confesso est, ab illo Bacon-Beelienſe intelligi; idque eam ob causam, quia tum aliud Monasterium de Beel Trium fontium nondum sua initia sumserat: quæ si sumsisset, Carthuitii testimonium dubium nobis reliquisset, neque enim sciremus, quodnam e duobus illis Monasteriis indicaverit. Idem est de Monasterio Varadinensi, cujus S. Gerardi Biographus meminit, & cui prænomen *Péch* adjicere prætermisit eandem ab causam, quia videlicet Varadinum, quod S. Ladislaus teste Thuroczio, aliisque, in Provincia Bihorienſi erexit, tum nondum extiterat, minus vero isthic Monasterium conditum erat; secus enim pariter dubium nobis reliquisset, de quonam Monasterio Varadinensi loquatur: aut certe diserte adjecisset: *de Péch-Varadino duo*, quo istud ab illo secernat. Et quid, si tum adhuc cum Biographus S. Gerardi suam legendam scripsit, Monasterium illud Péch-Varadinense prænomine Péch caruit? quod deinde illi adhæsit. Igitur quemadmodum, quod hactenus ostendimus, & deinceps declarabimus, Episcopatus Varadinensis initia S. Stephano tribui haud possunt, quantacunque testimonium Thuroczii, & S. Gerardi Biographi violentia torqueatur, quin potius S. Ladislao deberi palam est; ita omnino perspicuum fit, ex non recte intellectis, aut in alieniſſimum sensum Gerardiani Biographi

(*a*) In vita S. Stephani pag. 421. ap. Schvandtn. scrip. Rer. Hung.

(*b*) Cæterum Biographus S. Gerardi non uno errore Legendam suam referſit; quod vel modice attentus Lector nullo negotio cognoscet. Editor ejus Arnoldus Wion erroribus errores addidit.

graphi verbis, non prorsus intemerata audentia pertractis imperitiæ notam, si non dedita opera, adeoque maligne, perperam certe nobis inustam esse. (a)

Et in intellectu Codicis Corsendoncani.

Dehinc scribit Adversarius: *Quid quod vita Corsendoncana diserte memoret, ab Ladislao Monasteria Regalia condita, tum duos Episcopatus, nullo singillatim nominato, ordinatos esse, Episcopatus a Monasteriis extantissime secernens, quod facere, si Monasterium cum Civitate Episcopatum ex se se designaret, inane prorsus, & supervacuum fuit.* (b) Monasterium, quod monui, tum Episcopatum, tum Cœnobium, ea ætate designabat; proinde, in libero scribentis fuit arbitrio, utrum velit, eligere. Thuroczio placuit relato loco Monasterii nomine Episcopatum designare, Corsendoncani Codicis compilatori, Cœnobium, & Episcopatum nominare Episcopatum lubuit, & licuit: imo in sua narratione oportuit quoque; alias enim sensus verborum insolens, dubiusque evasisset, si nimirum eandem vocem in eadem verborum constructione duplici sensu usurpasset. Id clarius eluceſcet, & quam vehementer infirmum sit nostri argumentum liquido patebit, si verba, quibus in Dissertatione de S. Ladislao pag. 15. usus eram, isthic regeram. Ea sunt:

Vetustissimus MS. Codex Corsendonkanus Canonicorum Regalium in Brabantia ista adnotavit: Pius Rex Ladislaus - - omnes Ecclesiæ, & Monasteria Regalia - - elemosynis ejus sunt locupletata - - Duos quoque Episcopatus ordinavit, & Regia largitate locupletavit. Non sum quidem nescius, inter recentiores Scriptores, qui duos Episcopatus a S. Ladislao ordinatos, atque locupletatos eo trahunt, quasi vero unum, videlicet Zagrabiensem

(a) Etsi possem nolo tamen hoc loco Pelbarti testimonio uti. Is Sermone I. de laudibus S. Stephani R. sic habet: *Votum - - redemit ædificando Monasterium, quod situm super Varadinum* (hic prolepsim intellige) *in honorem S Stephani Protomartyris.* Istud deinde Præmonstratensibus cesserit, in cujus possessorio hodie quoque sunt. Si igitur Monasterium quodpiam Monachorum in Provincia Bihoriensi tum extitit, istud erat, e quo duo Monachi Chanadinum venerunt; cui, postea condito Varadino, ob viciniam loci Biographus Varadini nomen dederit. Hoc velut obiter solum.

(b) Hier. Hung. pag. 95.

erexiſſet, alterum vero, Bachienſem fundis ſolum auxiſſet. (a) At, quam id inficetum eſt, nemo non videt. Codex Corſendoncanus duos Epiſcopatus ordinatos, & locupletatos affirmat: Igitur, S. Ladislaus non unum ordinavit, alterum locupletavit, ſed utrumque & ordinavit, & locupletavit. Porro: ordinvit, hic idem eſt, quod: Erexit, Condidit, Fundavit; (b) alias Codicis hujus teſtimonium ne quidem ad unum Zagrabienſem erectum, fundatumque applicari poſſet. Id, quod iis, qui præoccupati animi ſpectris non agitantur, planum eſt. Deinde Codex Corſendoncanus, nec cui dubitandi occaſionem præbeat, provide præmittit, a S. Ladislao omnes Eccleſias, & Monaſteria Regalia, ſive a ſe, ſeu a quocunqae alio condita, locupletata fuiſſe, & tum demum ſubnectit: Duos quoque Epiſcopatus ordinavit, & Regia largitate locupletavit. Quid quæſo, hoc aliud eſt, quam quod S. Rex præter alios, fundis ab ſe auctos, duos inſuper Epiſcopatus erexerit, condiderit, fundaverit, ac regia prorſus munificentia locupletaverit. Quinam autem hi Epiſcopatus fuerint? pronum eſt conjicere, cum nulli hactenus in mentem venerit, S. Ladislao erectionem alterius alicujus Epiſcopatus, quam Varadinenſis, & Zagrabienſis adſtruere. Hæc ego olim, quorum nihil muto. Patet itaque, & perſpicue, ex fide quoque Corſendonkani Codicis, S. Ladislaum Epiſcopatus Varadinenſis Conditorem eſſe. (c)

Vetuſta

(a) Ita ſentit Cl. Pray Diſſer. Hiſt. Crit. de S. Ladisl. pag. 75. quod A. R. Katona Hiſt. Reg. Hung. Tom. II. pag. 616. rejicit.

(b) Ordinare etiam idem eſt, quod ſtatuere. Unde Ordinatus, Inſtitutus, & ſtabilitus apud Du Freſne.

(c) A. R. Katona pag. 616. Corſendoncani Codicis teſtimonium dextrorſum, ſiniſtrorſum miſerandum in modum torquet, & demum plane ſenio argumenti genere concludit: *Certum non eſt, illud Ordinavit pro Fundavit eum accepiſſe. Nam amplius aliquid his duobus Epiſcopatibus, quam cæteris, S. Ladislaus præſtitit, ſi bis jam a S. Stephano prius erectis, Epiſcopale Monaſterium, ut Pelbartus loquitur, adjecit, ſive jam eo nomine Cathedralem Eccleſiam, ac Ædem Epiſcoporum, ſive Collegium Canonicorum intelligamus.* En! Achillem undequaque in latera devexum, & jam dudum profligatum. Expendat liquidis oculis ea, quæ hic pertracto, & ſuam, credo, demutabit licentiam. Quibus hoc ſolum addo: Nemo ſanus dubitat, a S. Ladislao Epiſcopatum Zagrabienſem a fundo erectum eſſe; & hoc inter illius facta memorabiliora jure refertur. Quis vero tam excors erit, ut ſibi perſvadeat, Corſendoncanum Biographum S. Ladislai, memoriale iſtud ejus factum aut ignoraſſe, aut dedita opera commemorare neglexiſſe; & tamen alterum conſequi neceſſe eſt; nuſpiam enim meminit conditi a S. Rege Epiſcopatus Zagrabienſis.

Vetusta hæc Codicis Corsendoncani, Pelbarti Conpilatoris, Thuroczii, Bonfinii testimonia mirum in modum confirmantur antiquis sæculi XIII. & XIV. Strigonienſibus Breviariis: ad quorum exemplar sæculo XV. jussu Mathiæ Corvini Regis nova procusa sunt. Hæc in Lectionibus secundi Nocturni, ubi Acta D. Ladislai recensentur, de duobus Episcopatibus per S. hunc Regem ordinatis, & locupletatis exertam faciunt mentionem. Qui

---

bienſis. Id certe ignorare non potuit, quod Lippo, & Tonſori notum est: neque qui vitam S. Regis ſcribendam ſibi ſumſit, cenſeri poteſt, dedita opera id commemorare neglexiſſe, utpote qui minutiores etiam S. Ladislai res geſtas adcurate, & fideliter percenſuit. Satine hoc clarum? Quid igitur? illud *ordinavit* Corſendoncanus Biographus pro *Fundavit* accepit. Proinde iſthac ſententia: *Duos Epiſcopatus ordinavit, & regia largitate locupletavit*, teſtatur, a S. Ladislao fundatam eſſe Zagrabienſem Epiſcopen, & quod hinc conſit, Varadinenſem, de utroque enim eodem prorſus modo loquitur, adeoque ſi unum condidit, condidit ex ejus fide & alterum. Quis ille alter eſt? extundat, per me licet, A. R. Katona e pera alterum præter Varadinenſem. Sed certo ſciat, Viris vel mediocriter Doctis deſpicatui ſe futurum. Pelbarti quoque teſtimonium in gyrum, veluti funda agit. Iſte dicit: *Ladislaus Monaſteria Epiſcopalia duo conſtruxit, ſcilicet Varadinenſe, & Albenſe.* His ego ſubjunxi: *dicere volebat, Varadinenſe, & Zagrabienſe*, cum certum ſit, Albenſem in Tranſylvania a S. Stephano erectum eſſe. Ille vero lepidiſſime ampullatur, ita facete ad me: *Quid ille dicere voluerit, a nemine ſcitur; quid dicere debuerit, quæritur; quid dixerit, hoc unum novimus.* Ohe! Sed id equidem non eſt ex critices norma ſumtum. Imo vero, quid dicere voluerit, aut debuerit, ſcimus. Debuit nimirum, & voluit dicere: *Varadienſem*, & *Zagrabienſem*; quia Albenſem S. Stephanus condidit. Proinde ſi *Albenſem*, uti dixit, dicere quoque voluit Pelbartus, mendacem illum, aut ignorantem facimus; quod quia prorſus inhumanum eſt; ſane profecto criſis poſcit, illum *Varadinenſe*, & *Zagrabienſe* dicere voluiſſe, non ignoremus. At enim A. R. Katona diverſam ſemitam terit; ſic enim ibidem ſcribit: *Sicut Albenſe Monaſterium Epiſcopale non ita S. Ladislaus conſtruxit, quaſi Diœceſim Tranſylvanienſem ipſe primus erexiſſet, ſed quod Epiſcopatum illic a S. Stephano conditum, ornaverit, vel Ædem Epiſcopalem, aut Eccleſiam Cathedralem ſplendidius educendo, vel Collegium Canonicorum, qui prius defuerint, inſtituendo; ita de Varadienſi quoque ſentiendum eſſe, par utriuſque deſcripti ratio poſtulat.* Quid faciam his violentis pariter & deploratiſſimis raciuncularum momentis? hoc unum dicere omnino licet: iſthanc narrationem Titulo ejus Operum minime congruere, id eſt, non eſſe illam ad Hiſtoriam Criticam ſatis critice. Dicat nobis, quis illi ſcrutarius ſuggeſſit, quod S. Ladislaus Albæ in Tranſylvania Ædem Epiſcopalem, aut Eccleſiam Cathedralem ſplendidius eduxerit; vel quod ibi Collegium Canonicorum inſtituerit? aperto cachinno excipiunt tales criſes Tranſylvani, & ad ſomnia relegant. Tam rara, & ſingularis Dictatio perſpicuis teſtimoniis ſtabilienda fuit, & niſi ſtabiliatur, nos illam inter paradoxa rejicimus: teſtes igitur exigimus, & ut liberalitas noſtra palam fiat, eos quoque, qui ſecundæ ſolum claſſis ſunt, audiemus, recipiemus; nam A.R. Katona necdum Socratis authoritate donatum eſſe, certiſſimo ſcimus. Sic ille exactiſſime res ſuas digerit, & nihilominus ubivis inſultat, deſpicit, accuſat, cavillos cavillis cumulat, *etaſiaſſat.*

Qui sunt vero hi duo Episcopatus? jam sat superque constat. Sed & Pelbartus res gestas S. Ladislai pertractans, post primum sermonem ista subjicit: *Duas Ecclesias Episcopales construxit, & sufficientibus redditibus dotavit.* Hoc est Zagrabiensem, & Varadinensem. Episcopatus, qui nomine Ecclesiarum hic veniunt; alias ridicule dicendum erit, etiam Zagrabiæ solum Ecclesiam materialem, & non Episcopatum, a S. Rege constructam fuisse. Quid? quod Mathias Rex in Diplomate, quo Telonium, sive Tributum a Mercatoribus quibuscunque Civitatem Varadinensem accedentibus exigendum, Canonicis, & Capitulo Varadinensi addicit, extantissime agnoscit, S. Ladislaum Ecclesiæ Varadinensis Fundatorem esse. An vero hæc non sufficiunt pro asserendis S. Ladislao Episcopatus Varadinensis incunabulis? Imo tanto magis sufficere debent, quod recentiores quidam, hoc primum ævo nostro nati, & in S. Regem injurii Scriptores, cum id inficiari operosa satagunt contentione, ne unum quidem superiorum temporum Authorem, minus vero Instrumentum quodpiam publicum, quo initia Episcopatus Varadinensis S. Ladislao Regi surripiant, producere possint.

Iterum labitur, cum putat, à S. Ladislao solum Cathedralem Ecclesiam exstructam esse.

Sed enim intercedit Cl. Pray, (*a*) & duplici calle, sed admodum tortuoso fertur. Primum dicit, etsi S. Ladislaus Varadinensis Ecclesiæ Fundator fuerit, non tamen est necesse, ut etiam Episcopatum condiderit. Nam *non omnis Ecclesia ex se sed indicium Episcopatus est. Nec omnis, qui Ecclesiam Cathedralem condit, Episcopatum etiam condidit.* Deinde (*b*) scribit *Ecclesiam Varadiensem, si hac Episcopatus veniat, ab Ladislao fundatam esse, sola Mathiæ Regis Vice-Cancellarii, aut Secretarii - - non item Regis ipsius fide nitii*, adeoque modici, aut nullius ponderis esse. Quantum ad prius: Bene habet, non omnem Ecclesiam ex-

(*a*) Hier. Hung. pag. 112. sequ. Hac occasione insigniter Vir doctus errat. Nos statuimus Episcopatum Varadinensem a S. Ladislao circa annum 1089. conditum esse: Mathiæ R. istud, de quo agimus, Diploma anno 1478. confectum est: igitur inter Episcopatus hujus erectionem, & Diploma lapsi sunt anni 389. & nihilominus Cl. Pray pag. 13. ad elevandam Diplomatis fidem, scribit, non multum illi deferendum esse, eo quod *rem quinque fere seculis distantem* narrat: cum tamen ne quatuor quidem sæculis Diploma a re gesta distet.

(*b*) Hier. Hung. pag. 114.

ex se se indicium Episcopatus esse; alias Varadinum hodie Decem Episcopatus in se complecteretur, tot enim Ecclesias numerat. Sed tamen admittit Noster alibi (*a*) Ecclesiæ nomine veteribus aliquando Episcopatum indicari. Id tam certum est, quam quod maxime & non veteribus solum, sed veteribus æque ac modernis, nec aliquando duntaxat, verum communissime, imo omnino semper, quando additur nomen Civitatis, Episcopatui denominationem dantis. Nonne cum Exempli causa dico: *Ecclesiæ Strigonienſis, Agrienſis, Varadinenſis hæc, aut illa praxis est*; omnis prudens Auditor protinus intelliget, me loqui de Diæcesis, seu Episcopatus Strigonienſis, Agrienſis, Varadinenſis tali, aliave praxi. Proinde, etiam dum Mathias Rex dicit: S. Ladislaus Ecclesiæ Varadinenſis Fundator est, quivis prudens confestim intelligere debet, sermonem illi esse de Episcopatu Varadinenſi. (*b*)

Hoc Stylus Diplomatum Regum nostrorum mirifice confirmat. Andreas II. in Diplomate anni 1209 quo limites inter Zagrabienſem & Quinque-Ecclesienſem Episcopatus, a S. Ladis-

(*a*) Disser. de S. Ladisl. pag. 55. longe alium sensum de hoc Diplomate habuit, nec dubitavit illud Regis ipsius fide niti; verum ejus intellectum ad Monasterium Monachorum inflexit. Sic autem scribit: *Non me quidem latet, S. Ladislaum in quodam Mathiæ Corvini Regis Diplomate Varadienſis Ecclesiæ Fundatorem dici, Ecclesiæ autem nomine veteribus aliquando Episcopatum indicari: nihil isthinc tamen efficitur aliud, quam Monasterium cum Templo - - in honorem Deiparæ ab Ladislao extructum, cujusmodi ab D. Stephano jam olim etiam Varadini conditum erat. Episcopen vero, ut jam monui, fundis solum locupletatam esse.* En! hic diserte affirmat, verbis illis in Mathiæ Regis literis contentis S. Ladislaus *Ecclesiæ Varadinenſis Fundator* indicari Monasterium Monachorum, tale enim Varadini etiam a S. Stephano fundatum esse adstruit; alias tuetur, Diplomate isto erectionem Cathedralis Ecclesiæ, seu Sacræ Ædis S. Ladislao tribui; & denique Diploma idem fide probante dispoliat, &, qua placet, rotat. Id solum insinuare volui.

(*b*) Quid? quod ille ipse in Dis. de S. Dextera pag. 133. exerte affirmat, idmodi phrasibus Episcopatus indicari. Postquam ex Literis Fundationis Abbatiæ de Bakon-Beel isthæc retulisset: *sicut habui potestatem, ut, ubicunque, vel in quocunque loco vellem, Ecclesias, aut Monasteria construerem.* subjicit: *Id scio: potestatem struendi Ecclesias, qua phrasi apud veteres erectio Episcopatuum venit, sibi uni Stephanum tribuere.* Attamen hic ista: *S. Ladislaus Fundator Ecclesiæ Varadinenſis*, ad solum Cathedrale Templum pro arbitrio relegat; quin insinuet, ab se priora retractari. Sic ille ubivis sibi egregie constat.

lao reſtauratos, refert, hac verborum forma utitur: *Metas, & limites, quibus Zagrabienſis Eccleſia commetata eſt, Quinque-Eccleſienſi a Sanctiſſimo Rege Ladislao, Progenitore Noſtro, duximus inſerendas.* (*a*) Audin' Eccleſiarum Quinque-Eccleſienſis & Zagrabienſis nominibus, Epiſcopatus indicatur. Idem Andreas II. in alio Diplomate anno 1217. dato, ſic habet: *Prima meta terræ, Zagrabienſis Eccleſiæ donationem - incipit ab Oriente - - Eccleſia Zagrabienſis tam perſonas eorum, quam Poſſeſſiones in ſuæ protectionis gremium recipere.* (*b*) Viden' rurſum nomine Eccleſiæ Zagrabienſis, non Templi ſtructura, ſed Epiſcopatus venit. Quid? quod ipſemet Adverſarius (*c*) dicat: *Bachienſis Eccleſia olim Colocenſi conjuncta erat.* Non utique Templum Templo, ſed Epiſcopatus Epiſcopatui. Iterum (*d*) refert Gregorium Pontificem Joanni Teutonico graviſſima Epiſtola ſvaſiſſe, ut operam *Eccleſiæ Boſnenſi infracto animo commodaret.* An forte Templi parietinis? neutiquam; verum Epiſcopatui, ſeu Diæceſi. Hæc praxis etiam Romanæ Curiæ fuit. Joannes XXII. in Epiſtola ad Ladislaum Archi-Epiſcopum hæc habet: *Ne dicta Colocenſis & Bachienſis Eccleſiæ prolixæ vacationis exponerentur incommodis*, hoc eſt, Colocenſis, & Bachienſis Epiſcopatus. Sed ſatis; quando certiſſimum eſt, nomine Eccleſiæ, cumprimis ſi nomen Civitatis, a qua Epiſcopatus ſuum accipit, addatur, ſi non plane ſemper, communiſſime profecto Epiſcopatum indicari.

Unde omnino conſectaneum eſt, ex Diplomate Mathiæ Regis effici, S. Ladislaum Fundatorem eſſe Epiſcopatus Varadinenſis, non vero ſolius duntaxat Eccleſiæ Cathedralis: Mathiæ Regis iſthoc teſtimonium tanto firmioris momenti eſſe reor, quod is non modo frequentius Varadini dimoratus fuit, adeoque certiorem rei hujus cognitionem habere potuit; verum etiam per amiciſſimum ſuum, inque literis inſigniter verſatum Joan-

(*a*) Kerchel. Hiſt. Eccl. Zagrab. pag. 2.
(*b*) Has Author Hierar. pag. 310. e Regeſto Gregorii IX. refert.
(*c*) Hier. Hung. pag. 44.
(*d*) Ibidem pag. 413.

Joannem Vitizium Episcopum Varadinensem edoctum fuisse, credere par est Atque adeo cum dicit: *S. Ladislaus Ecclesiæ Varadinensis Fundator est*, certissimo Episcopatum ab eo indicari, nullum supererit dubium, si modo advertamus, hunc scribendi morem, & scriptionis intellectum in Regiis diplomatibus medio ævo obtinuisse. Stephanus V. Rex certo in eodem sententiam in Diplomate anni 1272. edito loquitur: *Nos itaque, illustrium progenitorum nostrorum Regum Hungariæ vestigiis inhærendo ipsam Zagrabiensem Ecclesiam ex benignitate Celsitudinis regiæ prosequi cupientes, præsertim ob devotionem S. Regis Ladislai, qui eliminatis gentilitatis erroribus, in Ducatu Sclavoniæ Zagrabiensis Ecclesiæ Institutor sanctissimus extitit, & Fundator.* Similiter Ludovicus Rex in Diplomate anni 1352. ait: *Nos itaque -- prædictam Ecclesiam Zagrabiensem per Sanctissimum Regem Ladislaum immortalis memoriæ Antecessorem nostrum fundatam volentes in suis juribus, & proprietatibus illæsam conservare.* (*a*) Hæc tam perspicua sunt, ut nemo unus nisi obstinatissimus sit, inficiari possit, ex his ipsis Diplomatibus certissimo confici, S. Ladislaum Fundatorem esse Ecclesiæ, seu Episcopatus Zagrabiensis, hoc est, hujus Episcopatus incunabula S. Ladislao omnino deberi: adeoque imprudens sit, qui phrasim horum Diplomatum eo detorqueat, quasi solius Zagrabiensis Ecclesiæ Cathedralis, ut hæc Materiale ædificium significat, S. Ladislaus conditor sit, non vero etiam Episcopatus. Magis vero, mea quidem opinione, imprudens sit, qui idcirco, quod Diploma Stephaneum ab anno conditi, ut noster vult anno 1091. Episcopatus Zagrabiensis annis 181. & a Ludoviciano annis 261. distet, adstruere ausit, dictamen istorum Diplomatum ad fidem duntaxat referentis pertinere: proinde sola Stephani, & Ludovici Vice-Cancellariorum, aut Secretariorum, ad quos Literarum Regiarum dictamen pertinebat, non item Regis ipsius, fide niti, & quod hinc consequitur, hanc ob rem parum, aut nihil probare.

Id vero longe minime Adversarium Nostrum facere convenit, & oportet; utpote, qui relatis (*b*) itidem ex Kerchelichio

(*a*) Kerchel. cit. loco pag. 2.
(*b*) Hier. Hung. pag. 309.

duobus illis Stephani V. & Ludovici I. Regum Diplomatibus continuo isthæc subjicit: *Quanquam autem ex his satis constet Episcopatum* (Zagrabiensem) *a Ladislao institutum, ac pro dignitate etiam amplis fundis donatum fuisse.* Satis itaque illi constat ex his: *S. Ladislaus Zagrabiensis Ecclesiæ Institutor extitit, & Fundator;* ex his item: *Zagrabiensem Ecclesiam per sanctissimum Regem Ladislaum fundatam* non Ecclesiæ solum Cathedralis, sed ipsius Episcopatus Conditorem esse S. Ladislaum: non item sententias illos tenui Secretariorum fide niti, sed Regia, & publica. Quidni igitur idem omnino de Mathiæ Corvini Regis Diplomate statuamus, qui eodem prorsus verborum tenore eundem S. Regem Ladislaum Ecclesiæ Varadinensis Fundatorem extantissime affirmat? Aut, si Adversarius Mathiæ Regis testimonium, pro sua voluntate, in transversum agere, licitum sibi esse existimat; erit fortasse tam liberalis, ut nobis quoque testimonia Stephani V. & Ludovici I. pari licentia detorquere permittat. Quo tamen quid magis absonum cogitari possit? ego sane non video, nec alius quisquam, qui in re Diplomatica non penitus rudis sit.

Certe, nomen *Ecclesiæ* valde *materialiter* sumit noster, dum dicit, Mathiæ Regis verbis: *Ecclesiæ Varadinensis Fundator* indicari Ecclesiam Cathedralem, non autem Episcopatum. Nunquid, cum dicimus: *Ladislaus Ecclesiæ Varadinensis Episcopus*, vocibus: *Ecclesiæ Varadinensis* non significamus Lapideum Templum Varadinense, verum Clerum & populum, id est, Episcopatum sive Diœcesim Varadinensem, cui Ladislaus, uti Episcopus præest, atque ideo phrasis illa necessario hunc efficit sensum: Ladislaus Cleri, populique, sive Diœcesis, & Episcopatus Varadinensis Moderator, Pastorque est. Possem hic plurimas omnium fere Orbis Christiani Provinciarum; Principum, & Pontificum aliquas recensere Literas, in quibus Ecclesiæ nomine, Episcopatus dubio procul indigitantur; sed quia his pauculis, quæ hactenus retuli, omnem Adversarii conatum jam satsuperque hebetatum esse autumo; eapropter missis illis, unum adhuc Carthuitium, quo Noster apprime lubenter uti solet, consulere juvat. Is sic habet: *Stephanus in decem Episcopatus Provinciam distribuit, quarum Metropolim, & magistram esse voluit*

voluit Eccleſiam Strigonienſem. Audin' Eccleſiam Strigonienſem, Magiſtram eſſe voluit. An forte Eccleſiam Cathedralem ſive Templum Strigonienſe e Lapidibus conſtructum? at hoc certe eſſet ineptire. Quid igitur? Epiſcopatum Strigonienſem, ejuſque Antiſtitem voluit eſſe Metropolitam & Magiſtrum, qui aliis in Hungaria Epiſcopatibus, ac Epiſcopis cum poteſtate, lege attributa, præeſſet. Hæc omni, qui res vel leviter conſiderare novit, liquido patebunt, dummodo præjudiciis, aut ſingularitatis ſtudio occupatus non ſit; quæ duo maximam Hiſtoriæ Scriptorum peſtem eſſe, vix eſt, qui ignoret. (*a*)

De Regum Diplomatibus abjecte ſentit.

Num vero non mereatur apud Eruditos vapulare Adverſarii de fide Diplomatum effatum, videlicet, quod dictamen Diplomatum ad fidem duntaxat referentis ſit, adeoque ſola Vice-Cancellariorum, & Secretariorum, ad quos literarum Regiarum dictamen pertinet, non item Regis ipſius fide nitantur; æqui lectores arbitrabuntur. Etſi vero ille ſatis audacter iſtis ſubjiciat, id quemque, qui in re Diplomatica non penitus rudis ſit, citra difficultatem concedatur, neque enim eſt, cur huic, & non illi tribuatur, Diplomata fidem pene omnem amittere oportebit, nec quidquam ad res vetuſtiores ſtatuminandas valere poterunt, nullo enim negotio eludentur, quia Diplomata fide ſolum referentis, aut ſcribentis Secretariorum, qui falſa ſubtrudunt pro libitu, non vero ipſius Regis, ſeu publica fide nituntur. (*b*) Non me quidem latet, in Diplomata majores quoque & graviores interdum irrepſiſſe errores; non ob id tamen omnibus publica fides abroganda eſt: quod tamen conſequi omnino neceſſe eſt, ſi affirmare licet, Diplomatum dictamen

(*a*) A. R. Karona pag. 618. ſequ. iiſdem pene verbis, & argumentis, majori tamen virulentia me petit; atque ideo nolo illi ſingulariter congredi. legat, quæ ſcribo, & comperiet, ſi modo ſibi non nimium placeat, laborem ſuum prorſus evanidum eſſe.

(*b*) Videſis *Libellum Caſtigatum*, in quo de his copioſius egi, dum Scriptorem Anonymum Diploma S. Stephani R. Abbatiæ montis Pannoniæ collatum, ſimilibus proterve oppugnat futilitatibus, confutavi. Conatus ille fuit rurſum efferre caput, gerraſque ſuas emiſſo famoſo libello tueri: ſed tam inhumane, indoctèque miſerum palliolum ſuum, quo illas vellet, conſarcinavit, ut profecto indignus ſit, quem viri Cordati legant, nedum refellendum putent.

fide ſolum Vice-Cancellariorum, aut Secretariorum niti, ſeu, quod idem eſt, parum probare. Svadeo ego Noſtro, τὰ δ' ἄλλα ἀφείσθω τοῖς τὰδ ἐντελεστέροις.

Mirabilis autem mihi videtur effugii, quam noſter porro querit, via. Integras nimirum Sigiſmundi Regis Literas, quibus Capitulo Varadinenſi Privilegium Fori confirmat, recitat: illiſque opus ſuum decem paginis auget. (a) Tum Caroli Roberti Regis Diplomatis partem nobis dat. Poſtea hunc in modum argumentatur: *Profecto Sigiſmundus, qui incredibili pietatis ſtudio in S. Ladislaum ferebatur, cum toties Eccleſiæ Varadinenſis, in honorem B. Virginis dicatæ, ac Ladislai in eadem ſepulti meminerit, laudem fundati Epiſcopatus Varadinenſis, quod ratio, locus, & grati animi ſignificatio hoc loco videbantur poſcere, ſine dubio daturus erat, ſi quid illi de hoc fuiſſet cognitum, aut per idem tempus, hæc de S. Ladislao hominum animis opinio univerſe inſediſſet.* Idem fere habet poſt relatum Caroli Roberti Diploma. At, at ſententiæ Diplomatum non ad Regis affirmantis fidem, ſed ad referentis dictamen pertinent. Si igitur ex opinione Adverſarii, Secretario Mathiæ Regis integrum fuit de ſuo addere, S. Ladislaum Fundatorem eſſe Eccleſiæ Varadinenſis; cur non fuerit Secretariis Sigiſmundi, & Caroli Roberti integrum id ipſum omittere? & cum utrobique dictamen Diplomatum non Regis affirmantis fide, ſed referentis Secretarii nitatur; quemadmodum hanc ob cauſam addita illa in Mathiæ Diplomate verba ſufficiente ad probandum fide ſpoliare contendit, ita eadem ex cauſa in Diplomate Sigiſmundi, & Caroli illa ipſa verba omiſſa, ad fidem referentis Secretarii referat neceſſe eſt, adeoque rem minima fide dignam, in ſuæ ſententiæ confirmationem præpoſtere allegat. Hæc ex illius norma.

Mirum autem, ſi Archi-Epiſcopatum Strigonienſem S. Stephanus Rex fundavit. Nam Maria Thereſia Imperatrix, & Regina Noſtra in Diplomate, quo Strigonienſem Archi-Epiſcopatum Comiti Joſepho de Battyán contulit, nuſpiam affirmat, S. Ste-

(a) Hier. Hung. a pag. 115. ad pag. 124.

S. Stephanum istius Archi-Episcopatus Fundatorem esse. Profecto pientissima Domina, quæ incredibili pietatis studio, quod omnibus exploratissimum est, in S. Stephanum ferebatur, cum in Diplomate Ecclesiæ Strigonienſis Archi-Episcopatus, quod ratio, locus, & grati animi significatio hoc loco videbantur poscere, sine dubio datura erat, si quid illi de hoc fuisset cognitum, aut hæc de S. Stephano hominum animis opinio universe insedisset. Hoc rursus ex nostri argumentandi norma sumsi. Quia vero hæc mea argumentatio, illius simillima, & ne hili quidem sit; satis apparet, illius a Diplomate Sigismundi, & Caroli Regum ductum argumentum paris esse furfuris, hoc est, ludicrum, & inane haberi debere. Mathias affirmat, S. Ladislaum Varadinensis Ecclesiæ Fundatorem esse, Sigismundus id nullibi negat, hic vero exerte non affirmat: quid tum postea? Ergo S. Ladislaus non fuit Ecclesiæ Varadinensis Fundator, mutila profecto hæc logica est. Cæterum, si quid a silentio Sigismundi acceptæ ratiocinationis momenti inest, dico ego, S. Ladislaum ne quidem Cathedralem Ecclesiam Varadinensem extruxisse unquam; Sigismundus enim in illo Diplomate toties Ecclesiæ Varadinensis in honorem Beatissimæ Virginis dicatæ, ac Ladislai in ea sepulti meminit, & nihilominus laudem fundatæ, aut extructæ Cathedralis Ecclesiæ Varadinensis, quod ratio, locus, grati animi significatio videbantur poscere, S. Ladislao non tribuit; igitur aut nihil illi de hac fuit cognitum, aut ab S. Ladislao non fuit Ecclesia Cathedralis Varadini erecta. Et tamen Adversarius, obseptam ubivis effugii viam deprehendens, ultro, nec simplici vice fatetur, ab S. Ladislao Varadini Cathedralem Ecclesiam fuisse constructam. En hujusmodi Κουφολογία quorsum vel invitum ducit.

Errores Cl. Pray circa Colomannum.

Redeo ad ea, quæ Adversarius mutato nonnihil ordine, alio loco scripsit. Ex Joannis de Thurocz narratione magna contentione conficere se putat, (a) Colomannum ne quidem potuisse Episcopum fuisse. Tum Thuroczii sententiam, nostræ de Colomanno Episcopo Varadinensi apprime faventem, illustrare nititur, verius tamen torquet, & obscurat. Quia vero momenta ratio-

(a) Hier. pag. 97. sequ.

rationum, quibus pugnat, in Dissertatione de Primo Episcopo Varadinensi præmissa jam occupavi, confutavique, dum Ladislai Thuroczii objectiones sibi ipsi factas convellerem; idcirco Lectorem eo tanto majori cum lubentia remitto, quod noster docti istius Viri argumenta, etsi nomen ejus reticeat, sua fecerit. Contendantur cum meis, & quod legentibus magis arriserit, solidiusque visum fuerit, eligant: blandior tamen mihi, qua si ea, qua necessum est attentione utriusque nostrum sensa ad invicem conferentes recta appenderint statera, Colomannum ex sede Episcoporum Varadinensium non deturbabunt, (*a*) ibi enim, uti reror, non obscure docui

(*a*) A. R. Katona pag. 692. sic scribit: *Certe Colomannus a Deo vocatus ad Episcopatum dici non potest, si S. Ladislaus illum monitis, precibus, cohortationibus ad suscipienda sacra præparavit, ut vult RR. Ganoczius.* Itane? & certe ideas habuit, cum hæc, omnino exterenda, chartis illevit. Ergone monita, preces, cohortationes, quibus S. Ladislaus Colomannum nepotem ad suscipienda sacra præparavit, indicant, illum a Deo non fuisse vocatum? quia eadem nocte in Poloniam fugit. Hoc equidem nullus Theologorum affirmabit, quos ut ille consulat, vehementius opto; nolo enim in refellenda hac extravagante sententia hærere. Audiat tamen S. Epiphanium, qui in sua ad Joannem Hierosolymitanum Epistola inter Epistolas S. Hieronymi CX. narrat, Paulinianum S. Hieronymi Fratrem, qui vitam Monasticam in Palæstina agebat, a se ordinatum fuisse, hunc in modum: *Ignorantem*, inquit, *eum, & nullam penitus habentem suspicionem per multos Diaconos apprehendi jussimus, & teneri os ejus, ne forte liberari se cupiens, adjuraret nos per nomen Christi, & primum Diaconum ordinavimus, proponentes ei timorem Dei, & compellentes, ut ministraret, valde quippe obnitebatur - - at cum ministraret in Sacris Sacrificiis, rursus cum ingenti difficultate, tento ore ejus, ordinavimus Presbyterum, & iisdem verbis, quibus ante, suaseramus, impulimus, ut sederet in ordine Presbyterii.* Fuitne Paulinianus ad Presbyteratum, idem est de Episcopatu, a Deo vocatus? dubio procul, tametsi illum non suscepisset, si effugere licuisset: reipsa enim urgenti Epiphanio cessit, & volens ordinatus est, atque in ordine Presbyterii laudabiliter ministrabat. Huc pertinet, quod S. August Epist. CIV. scribit in hæc verba: *Multi ut Episcopatum suscipiant, tenentur inviti, perducuntur, includuntur, custodiuntur, patiuntur, quæ nolunt, donec adsit eis voluntas suscipiendi boni.* Et hoc non officit, quo minus a Deo vocati esse existimentur; officiunt contra S. Ladislai preces, monita, cohortationes: quis huic vel mediocriter in sacra Theologia versatus annuet? At A. R. Katona dicit: Colomannus eadem nocte in Poloniam fugit, ergo *certe a Deo vocatus ad Episcopatum dici non potest.* Itane? sed Dei vocatio, non aliud est, quam interior gratia Divina, qua vocamur: an autem *interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur?* Id nemo dixerit, quia hæc est Propositio II. Cornelii Jansenii ab Ecclesia, uti hæretica, damnata. Colomannus a Deo vocatus fuit ad Episcopatum, sed Divinæ gratiæ vocanti illum ad regendam Ecclesiam restitit; ideo suscepto Episcopatu, mox in Poloniam se subduxit, & sponsam suam Ecclesiam Varadinensem, ad cujus regimen vocabatur, deseruit. Cæterum, ut hæc Catholica sunt, secus enim dicere debebimus, neque Judam

docui ex Joanne de Thurocz, Bonfinio, Petro de Reva, Verböczio, Ritio Neapolitano, (*a*) hoc eſt, ex omnibus veterioribus Rerum Hungaricarum Scriptoribus, qui ad hæc tempora ſuam perduxerunt Hiſtoriam; cum tamen contra ſentientes ne unum quidem opinionis ſuæ, noviſſime ad arbitrium procuſæ, Patronum, ad quem tuto confugiant, producere, ſin minus obtrudere poſſint; docui enim ex illis, Colomannum fuiſſe Epiſcopum Varadinenſem, deinde vero Hungariæ Regem: oſtendi id etiam ex Decreto Regni Hungariæ, (*b*) ex Traditione item perpetua: ut adeo mirum mihi omnino videatur, Adverſarium tam tenaciter ſuæ inhærere poſſe ſententiæ (*c*)

Judam Iſcariotem a Deo ad Apoſtolatum vocatum fuiſſe, quia in miniſterio non perſeveravit, ſed Chriſto vendito, ſuſpenſus crepuit medius, ita A. R. Katona non ſatis integra fide me ſugillat, nuſpiam enim ſcripſi, Colomannum ad Epiſcopatum a Deo vocatum fuiſſe; ſed id ſolum ad vindicamdum S. Ladislaum Epiſc. Varad. pag 11. ſcripſi, quod is exemplo eorum qui improbi erant, qualis Saulus quoque fuit, poſtquam vero a Deo vocati ſunt, ſanctiſſimi evaſerunt, adductus, Colomannum, ſatis improbum, ſvaſionibus ad ſuſcipiendum Epiſcopatum impulerit, & hac ratione ad meliorem frugem revocare ſtuduerit.

(*a*) Joan de Thurocz. Chron. Cap. LIX. Bonfin. Dec. II. Lib. IV. Petrus de Reva Monarc. Regn. Hung. Centur. II. Verböcz. Lib. II. Tit. XIV. Ritius de Reg. Hung. Hiſt. Lib. II.

(*b*) A. R. Katona pag. 689. poſtquam Colomanni cauſa complures in me ſparſiſſet calumnias, quærit: ubi id & quale Decretum tradit? & mox ſubjicit: *ſi non fucum, abuſum certe hujus vocis obſervo.* Compatior bono Viro, quod non ſatis expenderit, Hungaris nomine Decreti venire, non modo Articulos Regum authoritate confirmatos, verum etiam Tripartitum Juris Civitate donatum. Jam ſic opinor, intelligit, ubi, & quale Decretum tradit, Colomannum Varadinenſem fuiſſe Epiſcopum? intelligit fucum meum ruborem illi excutere, & obſervarum tam egregia ſcilicet ſagacitate vocis abuſum, ſe extra uſum Decreti divagatum eſſe, declarare.

(*c*) Inſuper dum hæc Thuroczii verba: *Colomannus, ſicut quidam dicunt, fuit Epiſcopus Varadinenſis, ſed quia fratres, quos habebat, - morte ſunt præventi, ideo ſummo Pontifice cum eo diſpenſante regnare compellitur*, illuſtrare ſe credit, injuriam mihi facit non minimam. Scribit enim Hier. pag. 100. de me hiſce verbis: *Hæc: ſicut quidam dicunt poſt illa verba: quos habebat, male ſuorſus, & ea ſolum ex cauſa inſuit, ut Thuroczius putaretur, non de Colomanno Epiſcopo Varadinenſi, ſed de morte Fratrum Colomanni duntaxat dubitaſſe - - Quare cum injuria Thuroczii verba illa loco ſuo mota ſunt.* Vere, ut video, non iſthic ſtudio veritatis, ſed odio pugnatur; ego enim in Epiſcop. Varad. pag. 5. ad quam ille provocat, Thuroczii ſententiam, nec jotta, aut apice literæ mutato, integerrime exſcripſi. Ubi ergo ejus verba per me loco mota ſunt? Sarisne hoc ſincere ſcriptum eſt? Poſt ita fideliter relata ejus verba ſubnexui, voces iſtas: *ſicut quidam dicunt, non ſuo loco adpoſitas eſſe,* vel

Et circa Puellam per Chunum raptam.

Post hæc in famigerata, de Puella per Chunum rapta, & per S. Ladislaum liberata, Historia calamum exercet, & ex Thuroczio evincere contendit, S. Ladislaum existimasse, illam Filiam esse Episcopi Varadinensis. Id revera habet Thuroczius. In ejus tamen Historia complura antilegomena reperiri, nemo ambigit, & ego ultro agnovi, (a) idcirco opinabar, quod si reipsa verba illa Thuroczii genuina sunt, (b) accipi potius debeant de Episcopi Græci, quam Latini filia; quia isti e Religiosis Viris summebantur, qui cum plerumque Cœnobia in ætate teneriori ingrederentur, adeoque tum matrimonio idonei nondum essent; idcirco arbitrabar, Thuroczium ne alias sibi ipsi manifeste contradicat, de Episcopi Græci filia loqui. Hujus

---

vel illud probat, quia si Thuroczii opinione quidam solummodo putassent, Colomannum Episcopum Varadinensem fuisse - - Unde mihi quidem certum est, voces illas: sicut quidam dicunt, alibi describi debuisse, nempe ante voces: morte sunt præventi, hoc enim tunc, ut ex Bonfinio paulo ante vidimus, in dubium aliquale vocabatur, anne scilicet præter Colomannum alius quispiam Regiæ stirpis surculus sit superstes? Ita commentabar. Inique igitur dictum est de me, quod cum injuria Thuroczii verba illa loco suo moverim. Reipsa autem verba: *sicut quidam dicunt*, non sunt suo loco; quia alias Thuroczius in eadem verborum constructione sibi contradicet. Nam sine hæsitatione affirmat, Pontificem cum Colomanno dispensasse eam ob causam, quia Fratres ejus obierunt. Non ergo dubitavit, nec ex aliorum solum sententia retulit, sed asseveravit, Colomannum fuisse Episcopum Varadinensem: dubitavit vero, aut ex aliorum solum sententia retulit, Colomanni Fratres obiisse: quod postea eventus falsum esse docuit. Hæc, cupio, A. R. Katona, sed non perfunctorie, expendat, & animadvertet, quam misere pag. 694. eandem ob rem in me insiliat. Sic illi

Ἀριστερὰ λαλοῦντες, οὐδὲ τοὺς ποδας
Αὐτῶν ἀριθμεῖν εἰδότες, ἢ τὰς χερας.

(a) Disser. de S. Ladisl. pag. 70.

(b) Ob id me Cl. Pray Hier. pag. 104. immodice carpit: sed id in Dispunctione, & Disser. de S. Ladis. jam pertractavi. Nihilo mitius A. R. Katona agit. Thuroczium, cum mihi favet, violente explanat, vel penitus despicit: cum illi vel umbram favoris tenuissimam exhibere videtur, in amplexus ejus ambabus ulnis ruit, tenatiusque illi, quam polypus saxo adhæret: hic illi plenam tribuit fidem, ibi omni illum despoliat honestate. *Plura Thuroczius*, sic pag. 694. loquitur *circa Colomannum ita miscet, & confundit, ut omnia, quæ de hoc narrat, admitti nulla ratione possint.* Utique admitti non possunt, verum rejici prorsus debent tum, cum ejus verba in suum sensum nulla ratione detorquere potest; at quando mihi quodpiam negotium facessere existimatur, omni omnino ratione admitti possunt, ac debent, etiamsi invicem perspicue pugnent. An vero id ex norma critices sumitur? Cætera quoque ejus, paris sunt furfuris. Certe, quæ pag. 688. 689. 690. in

Hujus cauſſa Adverſarius, vehementius, quam par eſt, me ſugillat, tamquam ſi ignoraſſem, quod tamen ne imberbes quidem Doctores latet, Epiſcopos, aut Monachos proles ſuſcipere potuiſſe ante, quam Epiſcopi, vel Monachi facti fuiſſent; cum tamen idipſum exertis verbis affirmem. (*a*) Id apud Græcos quoque fieri potuiſſe, non dubitavi, ideo ſcripſi: Græci *Epiſcopi, quomodocunque demum ſuſceptam filiam, de poteſtate raptoris Chuni liberavit S. Ladislaus.* Utcunque id ſit, quod alioquin ad rem noſtram nihil confert, & in ſola calumniandi voluptate ſubſiſtit.

in meas conjecturas mordaciſſimo dicendi genere deſpumat, talia ſunt, ut diluci-de appareat, illum ſuas conjecturas pene adorare, etſi earum pleræque fuco ſolum ſint illitæ, & pigmentis, nec ullam probabilitatem, ſi penitius videantur oſtentent: contra, meas aut demonſtrativas eſſe vult, aut ſi non ſint, illas faſtidit, explodit, deridet, rejicit, & inſuper me non ſatis humane lacerat. Diſplicent illi disjunctivæ propoſitiones meæ, quas tamen ſana criſis ſæpe ſæpius poſcit: quum nimirum in re non penitus explorata verſamur, nonne id quod librátis verborum, rerum, & temporum circumſtantiis credibilius eſſe cenſetur, deligendum eſt? ſit vero, ut plura ſint, in ſe quidem diſparata, ſed ad idem docendum, perinde credibilia: tum autem prudentis eſt Scriptoris, illa omnia disjunctivis ſententiis Lectoribus exhibere, ut ſeu hanc ſeu illam eligant viam, animadvertant, ſe ad idem centrum tendere. Hoc tam perſpicuum eſt, ut vix Scriptorem inveneris, apud quem id non uſuveniat, & quidem in omni ſcriptionis genere. Proinde A. R. Katona meas disjunctivas ſententias non peritiſſime, quamvis immodica licentia vellicat. Quid? quod ille ipſe quam plurimis id facit locis.

(*a*) In Diſſer. de S. Ladis. pag. 71. hoc verborum tenore ſcripſi: *Niſi dicere velis, filiam illam ſuſceptam fuiſſe prius, quam ejus Parens ad Epiſcopatus honorem ſublimaretur: verum, neque iſtud undequaque clarum eſt.* Unde rebar, Hiſtoriam de Chuno raptore puellæ aut Thuroczio ſuppoſitam eſſe, aut de Græci Epiſcopi filia ibi agi. Sed Cl. Pray pag. 103. ſequ. hujus cauſa ſatis me dure habet. Mitto hoc, illud vero diſſimulare nequeo, quod ibidem ſcribat: *Quid ſi Sacerdos ſuſtuliſſet?* qui deinde Epiſcopus Varadienſis factus fuit: & hoc Lege a S. Ladislao lata probare ſe putat. Verum dum id agit, Reges noſtros immerito laceſſit; hoc pacto enim illos, ſi non impios, certe non ſatis pios expingit. Inter Theologos convenit, Epiſcopos, Presbyteros & Diaconos a primis uſque ſæculis ad continentiam perfectam obligari, ita ut nec contrahere matrimonium poſt hos Ordines, nec ante contracto uti poſſint. Id quod certum eſt ex Concil. Eliberit. Can. XXXIII. Carthag. II. Can. II. Tolet. I. Can. I. Item ex S. Hieron. Epiſt. XXX. S. Ambros. Lib. I. de Offic. Cap. I. S. Auguſt. Lib. II. de adulter. Conjug. Cap. Ult. S. Syric. Epiſt. ad Himerium Taracon. Cap. VII. S. Innocen. Epiſt. ad Victricium Rotomag. Cap. IX. Igitur, ſi Sacerdos ille, poſtea Epiſcopus Varadinenſis, etiamſi ex uxore, prius ducta, filiam ſuſtuliſſet, non modo peccato ſe contaminaſſet, ſed & *ab honore Clericatus exterminandus fuiſſet*, ut habet Concil. Eliber. cit. loc. *De Presbyterio ad Epiſcopatum non admittendus*, ut Concil. Tolet.

Ab

Ita argumentabar, Thuroczius hic dicit, Filiam illam Episcopi Varadinensis fuisse; alibi testis est, ab Ladislao Rege post liberatam puellam, Episcopatum, & Civitatem, quam Varad nominavit, condita esse. Ne igitur Thuroczium sibi in re tam obvia non constitisse adstruere debeamus; quod de Viro docto, nisi certis convincamur rationibus, sentire, temerarium est; idcirco existimavi, aut totam illam de rapta, & libertati asserta puella historiam Thuroczio suppositam esse; aut si cui hoc non placet, illum non de Episcopi Varadinensis, necdum enim tum extitit Váradinum, aut hujus nominis Episcopatus, postea beneficio S. Ladislai erectus, verum de Græci Episcopi filia agere. Nec id perperam. Nam ea ætate in Provincia Byhoriensi Græci ritus homines habitasse, prudenter dubitare non possumus, quia Biographus S. Gerardi de Achtumo Græco Dynasta perhibet: *serviebat namque eidem Viro terra a fluvio Chrysio, qui a partibus Transylvanis fluit, usque ad Budin* (Vidinum) *ac Celinem, quæ omnia sub sua conduxerat potestate.* Græcus iste populus ingentem hanc terræ portionem a loco ubi nunc Varadinum est, hoc enim Chrysius alluit, usque Vidinum protensam inhabitans, nec dubito suum quoque Episcopum habuit; quis enim, si modo ferrei stomachi non sit, sibi persvaserit, Achtumum sibi suisque de Episcopo non providisse, qui solicite, ut idem Biographus habet, fundavit *in Urbe Morosena Monasterium in honore S. Joannis Baptistæ, constituens in eo Abbatem cum Monachis Græcis*: aut forte dicemus, Monachos istos pro recipiendis Sacris ordinibus Constantinopolim mitti usitatum fuisse, vel ipsos Monachos munia Episcopalis ordinis, & Jurisdictionis in vasta illa terræ plaga exercuisse? quod tamen affirmare, ut arbitrarium, ita omnino ludicrum foret, Hujus ergo Episcopi Græci puella per Chunum rapta

---

Ab Ecclesiastico removendus officio, ut Concil. Carthag. V. Can. III. Proinde, si talem Sacerdotem Reges Nostri ad Episcopatus honorem promovissent, non satis pii, quia Constitutionibus Ecclesiæ refractarii fuissent: quod, ut primis illis Christianæ Hungariæ temporibus, & Regum pietatis studio parum congruit, ita adstruere, raptam illam Puellam a Sacerdote, postea Episcopo, susceptam fuisse, non satis castigatum est. Longe alio Leges a S. Ladislao conditas respicere, si modo recto judicio expendantur, nullo negotio patebit.

rapta, fuerit filia, ſeu deinde ante aditum Epiſcopatum, ſive quomodocunque ſuſcepta. (*a*)

Quam Hiſtoriam cum Thuroczius ſcriberet, ſi tamen verus ejus partus eſt, ad circumſtantias ſui temporis reflectens, Epiſcopi Varadinenſis filiam, prolepſi uſus, nominavit; & non aliud indicavit, quam quod S. Ladislaus ſuſpicatus fuerit, raptam puellam Epiſcopi, qui in plaga illa, quam deinde idem S. Rex, condita Urbe Varad voluit eſſe Diæceſim Varadinenſem, jurisdictionem ſuo modo exercuit & ritu, filiam eſſe. Jam autem manifeſtum eſt, quod toti illi tractui, quem S. Stephanus Epiſcopo Moroſeno, ſeu Chanadinenſi ſubjecit, Achtum dominatus fuerit. Hunc S. Stephanus, cujus imperium detrectabat, ſub annum 1035. armis aggreſſus, vel, ſi placet, paulo ſerius, profligavit, terræque illi S. Gerardum, erecto Epiſcopatu, Antiſtitem præfecit. Debellato, profligatoque Achtumo, nemo, ſi modo ſanus ſit, credet, in plaga illa a Chryſio uſque Vidinum diffuſa, illico etiam Græcum ritum, cui plebs dedita erat, eliminatum fuiſſe. Id qui dixerit, certis quoque rationibus docendum habet; illud enim nec loci temporumve circumſtantiis congruebat, neque ut ad deſerenda avita

(*a*) Scripſi olim in Diſſer. de S. Lad. pag. 70. Thuroczium non referre, *ſingulari certamine* Chunum illum ab Ladislao ſuperatum fuiſſe: ſed neque erat illud ſingulare certamen, ut voluit Cl. Pray. Id Viro docto maxumopere displicere videtur; idcirco pag. 100. fidem Grammaticorum appellat. Tum ex Thuroczio referente, S. Ladislaum cum Chuno diu luctatum fuiſſe, quem interfecit, etiam probare conatur, luctam iſtam veram fuiſſe Monomachiam. At Grammatici ſolam verborum ex ſe ſe ſignificationem inquirunt: Criticorum vero & Politicorum officium ultro extenditur, & poſcit, ut voces ſecundum communem doctorum Virorum ſenſum ſummantur. Jam vero Monomachia apud omnes Eruditos ſignificat, ſingulare, & ex condicto initum certamen, ſive *Duellum*; ſecus enim Monomachiam dicamus neceſſe eſt, ſi Prædo Viatorem in terram ictu proſternat, iſte vero luctetur, & qua licet, ſe defendat, ut vitam conſervet. Nec enim aliud inter utrumque intereſt, quam quod Prædo Viatorem impie, contra S. Ladislaus Chunum laudabiliter, & generoſe interfecerit. Et nonne S. Ladislaus, ut habet Thuroczius, fugientem cum puella Chunum, & forte nec reſpicere auſum, perſequebatur, quem cum aſſequi non poſſet, *clamavit ad puellam, & dixit: Soror ſpecioſa accipe Chunum in cingulo, & jacta te in terram, quod & fecit - - in terra jacentem - - interfecit*, Quis, quæſo, hanc cædem, Monomachiam, Duellum, ſingulare certamen nominaverit? nemo ſane, niſi qui Monomachiam dixerit, cum Venator fugientem Aprum conficit. Talia noſter occulere potius, quam ſic tueri debebat.

Sacra mox adigantur, e Reipublicæ bono futurum erat: placidioribus modis per novum Episcopum ad Romanam Ecclesiam traducendi erant. Manserat itaque Græcus ritus apud accolas terræ istius etiam post annum 1035. seu post profligatum Achtumum: Manserat etiam cum populo Episcopus, quod, qui plagæ hujus vicinas regiones penitius consideraverit, non difficulter credet. Ab debellato Dynasta vero usque ad tempus liberatæ e potestate Chuni puellæ non nisi XXXIV. anni interveneruntt; Eruditi enim conveniunt id circiter annum 1069. contigisse. Quam ergo facile poterat esse, ut S. Ladislaus, assertor puellæ, suspicaretur illam Græci Episcopi, qui in terræ illo tractu, cujus pars altera deinde Episcopatui Varadinensi, antea vero Chanadiensi attributa fuit, (a) Spiritualia jura dabat, filiam esse. Nec quicquam facit, quod Thuroczius puellam illam *Hungaram* nominet, quod filiæ Græci ritus Episcopi non videtur nostro congruere; nam si sententiam Thuroczii vel obiter expendere libet, comperiemus, puellam illam, Hungaram reipsa fuisse, sed quam tamen S. Ladislaus errore putavit, esse filiam Episcopi Græci, adeoque puellam Hungaram, suspicabatur esse Græcam. Et hæ sunt viæ, quibus antilogia Thuroczii conciliari apposite potest, & debet: quamcunque autem ex illis ingredi placet, parum interest. Mihi sufficit, quod etiam Thuroczius sententiæ meæ faveat, neque enim obscure agnoscit, S. Ladislaum Episcopatus Varadinensis Parentem esse, atque Fundatorem.

Errat circa Episcopos Varadinenses.

Nondum tamen desinit Adversarius contra niti, & (b) urget, ex Thuroczio confici, Episcopos Varadinenses ante fuisse, quam S. Ladislaus rerum in Hungaria potiretur. Non enim tum solum, cum de Chuno raptore agit, Episcopi Varadinensis

(a) Quamvis ratio postulet, ut existimemus, etiam post devictum Achtumum, in ingenti illo terræ tractu Episcopum Græcum cum populo sui ritus, permittente S. Stephano, ejusque successoribus, aliqua annorum serie perseveravisse; nolim tamen quis arbitretur, S. Gerardum etiam interea temporis Chanadinensem Episcopum haud fuisse; hunc enim S. Rex illico post cæsum Achtumum illi Episcopatui præfecit, ea quoque ex causa, ut Græcum populum ad Christi Ecclesiam pedetentim adduceret.

(b) Hier. Hung. pag. 102.

dinensis meminit, verum etiam postea gemino loco, utpote Capite LII. *Misit Dux.* (Geisa) *ad regem* (Salamonem) *Episcopum Varadinensem, & nequam Vatha:* & paulum post: *Rex remisit Vatham, & Episcopum Varadinensem.* Hæc uti reipsa apud Thuroczium exstant, ita in confesso est; & ego alibi non una vice affirmavi, Thuroczium nec hic, nec aliis multis locis sibi constare. Hic parte ex una non obscure testatur, ab S. Ladislao in Parochia Castri Byhor, hoc est, Regione, Provincia Bihoriensi conditum esse Episcopatum & Urbem, quam Varadinum nominavit: parte ab altera Episcopi Varadinensis meminit jam tum, cum Geisa, & Ladislaus Duces duntaxat erant. Ista vero invicem pugnare, evidens est. Quid ipitur in re tam ancipiti agendum?. Unde cognoscemus, utrum e duobus, sibi oppositis testimoniis amplectendum sit? Profecto si rectam sequimur crisim, necessum est, ad Scriptores illis temporibus viciniores recurrere, & explorare, quidnam illi hac de re existimaverint. Jam vero satis superque & hic & alibi, & nunc & alias ostendi e Breviariis sæculi XIII. XIV. XV. e vetusto Codice Corsendoncano, e Pelbarti Compilatore, e Bonfinio, Mathiæ Corvini Regis Diplomate, Verböczio item, referente Colomannum primum Episcopum Varadinensem fuisse, (a) ac e Traditione perpetua, ad nos usque perducta. Ex horum, inquam, claris testimoniis ostendi, Episcopatum Varadinensem sua initia S. Ladislao debere. Contra Adversarius ne quidem sæculi XVII. unum gravem pro se Scriptorem producere potest. (b) Unde quia tota retro antiquitas perhibet, S. Ladislaum Conditorem esse Episcopatus Varadinensis, certissimo confieri oportet, Thuroczii testimonium, quo affirmar, ab S. Ladislao & Urbem & Episcopatum Varadinensem fundatum

(a) Par. II. Tit. XIV. sic scribit *Colomanni filii dicti Geisæ, Qui primus Episcopus Varadinensis fuit, sed per dispensationem Apostolicam - - Regni gubernacula suscepit.*

(b) Frustra A. R. Katona pag. 620. jactat Scriptores vetustos, quorum testimonio nitor, non modo mihi non favere, sed potius contrariam ejus opinionem partim confirmare, partim non infirmare. Id equidem bonus ille ne sibi persvaserit unquam, minus aliis, qui non agitato spectris animo ad legendum comparent. Nec id scripsisset, si Quintiliani de Instit. Orator. istius memor fuisset: *Declamatores in primis sunt admonendi, ne contradictiones eas ponant, quibus facillime responderi possit: neu sibi stultum Adversarium fingant.*

tum esse, firmum, rectum, & omnino amplectendum esse: ab obverso ejusdem Thuroczii pro oppositа opinatione facere apparentia relata verba prorsus infirma, nec attendenda, &, uti manifestos errores complectentia, rejicienda esse. Si enim S. Ladislaus Urbem Varad erexit, & Episcopatum hujus nominis condidit; dubio procul affirmare, Episcopum isthic extitisse ante, quam is Regnum adipiscerетur, hoc est, prius, quam Episcopatum Varadinensem fundaret, gravis, nec ferendus error est.

Item circa argenteum Numum.

Transit dehinc Noster ad numum argenteum, ejusque typum exhibet. (a) Quamvis autem (b) scribat numum istum alteri, in Dissertatione sua de S. Ladislao producto, *simillimum* esse; fallitur nihilominus vehementissime, neque enim credo, illum fallere velle: nam numi illius Inscriptio ita habet: *Ladlaus Re: Calman Re:* posterioris hæc est: *Ladisladu Re: Columbanu D.* Igitur in uno dicitur Colomannus Rex, in altero Dux. Quod sane non indicat, unum alteri *simillimum* esse, quin potius dissimillimum prodit, seu quantum ad Dignitatem, & argumentum, sive quantum ad tempus, & chronotaxim attinet. Illum quem alias ille promsit, tum in Dissertatione mea de S. Ladislao, tum hic in Dispunctione in examen revocavi, & satis, opinor, docui, priorem illum Numum non ab S. Ladislao, verum a Colomanno in memoriam & venerationem S. Ladislai cudi jussum. Id quod ipsa ejus Inscriptio liquido evincit, quæ clare innuit, Colomannum tum jam Regem fuisse, cum ille cusus est: Colomannus vero primum a morte Ladislai Rex factus erat: proinde vivo Ladislao Nummus ille percussus certo non est, eo magis, quod nemo unus unquam scripserit, dixerit, testatus fuerit, vel etiam somniaverit, vivente Ladislao Colomannum, Regem fuisse; omnes contra, quotquot sunt, Scriptores, Colomannum usque ad emortualem S. Ladislai annum Ducem, aut Episcopum scripserunt, dixerunt, nominaverunt: quod nobis non dubio argumento esse debet, Nummum illum aut a morte S. Ladislai per Colomannum cudi jussum, aut si id non placet, illibenter dico, adulterinum esse; quia exhibet rem nulli notam, nulli memoratam

(a) Hier. pag. 108. sequ.
(b) V. Differ. ejus de Ladis. pag. 100.

ratam nec rebus, nec tempori, nec praxi congruentem, adeoque paradoxam, ſuſpectam, improbabilem, & a veritate remotiſſimam. Verum quia de hoc prolixe alibi, uti monui, egi, idcirco Lectorem illuc remitto. (a) Hic pauca de altero Nummo.

Ex hoc Adverſarius oſtendere ſatagit, Colomannum nunquam Varadinenſis Eccleſiæ Antiſtitem fuiſſe, quia *Nummus hic non fuit Ladislao fatis functo in ejusdem memoriam, & venerationem a Colomanno cudi juſſus, tum quod nummos memoriales ævum illud non novit, tum quia Ladislaus, Regis, Colomannus autem Ducis titulum gerunt, quod ſane Colomanno ab Ladislai obitu minime congruebat. Vivo igitur Ladislao hic nummus cujus eſt.* (b) Ita ille rationem init; ego vero ajo: ſi nummus ille genuinus, & non ſuppoſititius eſt, non deſunt autem momenta, ut videbimus, quæ adverſus ejus authentiam faciunt, ſuapte confit, illum vivente Ladislao cuſum eſſe, ſiquidem Colomannus Ducis tantummodo titulo inſigniatur. Sed quid tum poſtidea? iſthinc certe non efficitur, quod tamen Noſter vult, Colomannum vivo etiamdum Ladislao Conſortem Regni fuiſſe. Quid enim id aliud eſt; quam Colomannum vivo Ladislao Regem ſalutatum creatum eſſe, qui cum illo una regnaret, uti poſtea contigit Belæ IV. Andreæ II. & Stephano V. Belæ IV, filiis, qui vivis Patribus Reges ſalutati, creatique erant, & Reges nominabantur; proinde Regni Conſortes fuerunt: Unde, quia in iſto Nummo Colomannus, Ducis ſolum titulo ornatus viſitur; certum omnino eſſe debet, ex illo nihil minus doceri, quam quod vivo Ladislao Conſors Regni fuerit. Quo ergo valet Nummus iſte ita plauſibiliter prolatus? Ex illo *efficitur certe*, ſic hariolatur Noſter, *Colomannum quod vivo Ladislao Dux erat, nunquam Varadinenſem Antiſtitem fuiſſe.* Id equidem ne probabiliter quidem

Et dum Colomannum vivo Ladislao Regni Conſortem facit.

(a) V. Diſſer. meæ de S. Ladis. pag. 145. Occaſione horum nummorum Noſter Hier. pag. 111. ſcribit: *In univerſum major nummis, quam Chroniſtis fides haberi debet*: addo ego Leg. X. de prob. *Monumenta publica potiora teſtibus eſſe, Senatus cenſuit*; nummos enim Curſuales inter monumenta publica Eruditi reponunt. Sed quia ille ex iis nihil extundit, utique æquitatis diligentes Lectores hanc ejus dictationem inter Acta haud referent.

(b) Hier. Hung. pag. 111.

dem efficitur. Mirum autem, si filios Regum Hungariæ a titulo, & prærogativa Ducum proturbare contendit. Colomannus seu fuit Episcopus, seu non, Dux tamen semper erat, utpote filius Geisæ I. Regis. Non igitur hac ex causa, *quod vivo Ladislao Dux erat*, efficitur, Episcopum nunquam fuisse; nam Episcopi e Regnantum prosapia orti, nec ante, nec nunc titulum Ducis abjiciunt. Ad hæc, si quæ tamen Nummi hujus cudendi prudens causa, utilitas, necessitasve per sagaciſſimos quoque Criticos, aut Nummophilos excogitari potest, poterat is jubente Ladislao tum cudi, cum Colomannus nondum Varadinensis Episcopus factus erat; cæpit enim Ladislaus anno 1077. regnare, & primum anno 1089. Varadinensem Episcopatum condidit. Quo igitur, rursus quæro, valet Nummus prolatus? Non probat, Colomannum Regni Consortem fuisse: nec docet, Episcopum nunquam fuisse. Proinde edisseram aperte, quod arbitror: Nummus iste, quemadmodum ille prior vehementissime mihi suspectus est. Inter ordinarias enim Regni Monetas illum noster reponit, & tamen cur Colomanni nomine signatus sit? nulla prudens ratio promi, nullum sive anterius, seu posterius exemplum adduci, nulla congruentiæ nota proferri potest. Quod, si quis solide eliserit, atque ad liquidum perduxerit, non erimus sane ita difficiles, ut non agnoscamus eundem Nummum genuinum esse; (*a*) non propterea tamen adfirmabimus ex illo vel tenui conjectura probari posse, Colomannum Consortem Regni fuisse, aut Episcopum Varadinensem non fuisse. (*b*)

Quid?

(*a*) Promatur, rogo, vel modice verisimilis causa, quæ S. Ladislaum ad cudendum Nummum ist hunc movisset. Nullam sane ego video, sed nec simile usquam invenio exemplum, adeoque ut de priore, ita & de hoc, num videlicet sint genuini, jure me dubitare existimo. Et tamen causa prioris Nummi A. R. Katona pag. 720. sequ. miro raptu alienis fastidiose in me pugnat aculeis.

(*b*) Cl. Pray loc. cit in Not. hæc habet: *Nihil vereor illa, quæ Thuroczius de Colmanni, ne Episcopus esse cogeretur, figa narrat, inter fabellas referre.* Subita Metamorphosis! Hactenus ex eadem Thuroczii Historia contra S. Ladislaum Fundatorem Episcopatus Varadinensis acerrimum bellavit bellum; in Diss. de S. Lad. pag. 56 & hic in Hier. Hung. modo illam repentina conversione inter fabellas retrudit, & Thuroczium, cujus fidem libenter, ac frequenter ostentare amat, Fabulatorem efficiosissime facit, adeoque fide despoliat. Præstitisset sane dicere, ut ego, nec

Quid? quod Thuroczius ſcribit, Colomannum, & Almum fratres, filios Geiſæ I. Regis fuiſſe: *Beatus autem Ladislaus ſic ordinavit, ut poſt ipſum Almus regnaret, qui ſincera ſimplicitate ductus, honoravit fratrem ſuum Colomannum, præferendo ipſi Coronam Regni, tanquam cui jure primogenituræ. (a) videbatur competere.* Id Scriptor quoque Brevis Chronici M S. Sæculi XII. finientis, & XIII. inchoantis, qui Apotheoſi Regis Ladislai contemporaneus fuit, non obſcure perhibet, dum Colomannum & Almum Fratres fuiſſe duplici vice memorat. Habemus vero hinc Colomannum & Almum fratres, ejusdemque Patris filios: Colomannum natu majorem, proinde præ Almo minore jure genituræ Regni Coronam illum reſpexiſſe. Habemus S. Ladislaum Almo fratri juniori præ Colomanno fratre ſeniore faviſſe, Almumque ad Regni ſolium ſublimare voluiſſe. Scitum præterea eſt, Colomannum a Cl. Pray veluti integerrimum & Sanctiſſimum Virum paſſim expingi. Jam, dicat mihi Adverſarius, maximis peto precibus, eccur S. Ladislaus non Colomannum fratrem natu majorem? non Colomannnm ſanctiſſimum, & integerrimum? non Colomannum, cui jure primogenituræ Regnum debebatur, ſed Almum fratrem juniorem poſt ſe regnare voluerit? Manifeſtum eſt, Ladislaum Sanctitate conſpicuum, atque ideo æquitatis ſtudioſiſſimum fuiſſe. Proinde, ſi neglecto Colomanno, morti proximus *ſic ordinavit*, quod Thuroczius teſtatur, *ut poſt ipſum Almus regnaret*; procul omni dubio Colomanno ſanctiſſimo certam intulit injuriam, tanto magis, quia Cl. Pray alibi, ut vidimus, adſtruit, ſæculo XI. jus hæreditarium Regum noſtrorum filiis competiiſſe. Quis autem ita excors erit, ut audeat, S. Ladislaum commiſſæ adeo palmaris injuſtitiæ accuſare? (b) Oportet igitur gravem ſubeſſe cauſam, quod S. La-

nec abs re, feci, dum de rapta per Chunum puella agerem, illud de Colomanno alterius alicujus non bono ſtudio Thuroczii narrationi additum eſſe. Sed jam valeat Fabulator Thuroczius: hoc tamen modo non præſtruitur, ut Noſter ſperabat, effugio via.

(a) Nolim, quis ſibi perſvadeat, me hic in eam propendere ſententiam, quaſi ſæculo XI. Regnum Hungariæ Hæreditarium fuiſſet. De hoc in Diſpunctione prolixius egi.

(b) Fære me pænitet ex Thuroczii hiſtoria iſthoc argumentum concinnaſſe, cujus

dislaus Almum præ Colomanno ad Regni fastigium evehere studuerit. Accendat, per me licet, Diogenis lucernam Adversarius, sed profecto non aliam, quæ S. Ladislaum omni culpa absolvat, inveniet, quam quia Colomannus Episcopus, itaque sacris initiatus, jam fuit, adeoque jure, quod ad Coronam habuit, taliter abdicato, frater junior ad capessenda Regni gubernacula justissime destinabatur. Unde perspicuum evadit, Colomannum non fuisse vivo Ladislao Regni Consortem, quod Noster e nummo improspere producto exprimere operose contendit. (a)

Rursus in anno conditi Episc. Varadin.

Fuit autem Episcopus Varadinensis; quod S. Ladislaus Conditor sub annum 1089. ut ratio temporis svadet, voluit. Sed & hic, more, Cl. Pray adversum iter tenet, & insuper acriuscule me perstringit (b) hisce verbis: *Est, qui sumpta ex Thuroczio* (Joannem intelligit) *ratione temporis conditam Episcopen anno* 1089. *putet. Sed id tam enormiter luxatum est, ut suspicioni huic omnem verisimilitudinem adimat. Thuroczius enim* - - Errat tamen Vir doctus quam maxime. Nuspiam enim affirmavi, rationem temporis a Magistro Joanne de Thurocz a me sumptam fuisse: quod, si mea non perfunctorie legerat, nullo negotio videre poterat. Id solum dicto loco habeo: Thuroczius refert, Episcopatum Varadinensem a Ladislao conditum: & id quidem, hoc est, erectio hujus Episcopatus, si ad rationem temporis advertas, anno 1089. contigit. Alibi vero (c) undenam

---

cujus vi in angustias compressus, nec recto tramite evadere valens Cl. Pray, Thuroczium, quem antea Fabulatorem pronuntiavit, modo mendacem facit, scribit enim falsum esse, Colomannum & Almum ejusdem Patris Geisæ I. filios fuisse, quod tamen Thnroczius exerte affirmat. Eadem humanitate A. R. Katona pag. 696. scribit: *sicut ea, quæ de Colomanno narravit, incredibilia reddidimus, ita quæ hic de Almo retulit, fidem nullam mereri censemus.* Hoc equidem est in graves, & vetustos Scriptores intemperanter grassari: & nos meliori jure dicere possumus, plurima eorum, quæ A. R. Katona scripsit, non semper omnem fidem mereri; quod dies sua docebit.

(a) Idem habet A. R. Katona, & magna voluptate Prayanas, & Cornidesianas calumnias, quasi iis vis argumenti inesset, Rabulus in me regerit. Sed quia, ubi de meis agitur rebus, Cl. Pray merces egregie semper compilat; ideo singulariter refelli, si modo tempore nolimus abuti, non debet.

(b) Hier. Hung. pag. 96.

(c) Diss. de S. Lad. pag. 19.

denam rationem ſumpſerim temporis, Ladislai Thuroczii verbis expoſui hunc in modum: *Natalem Varadinenſis Epiſcopatus uti & Civitatis faciunt nonnulli annum* 1080. *quæ opinio mihi quidem, qui temporum ratione in veritate hiſtorica antiquius habeo nihil, haud unquam probabitur. Nam & annus ille, & plures, qui ſequebantur, continenti ſerie bella ex bellis metebant; nec civilibus duntaxat, ſed externis quoque ardebat Hungaria incendiis, ut adeo pronum ſit cogitare, Regem ſanctiſſimum non tam de condendis novis Urbibus fuiſſe ſollicitum, quam de conſervandis veteribus. Togata tempora, & otium expoſcunt pacificæ id genus cogitationes: Sagum & Mars non tam ſubſtructiones, palatiaque moliuntur, quam cuniculos, ac hoſtium ruinam meditantur. Et quamvis etiam belli tempore noverim Ladislaum ſemper fuiſſe quam piiſſimum, tamen cum ingens copiarum multitudo inſanos exigeret ſumptus; vix erit, unde arbitrer ſuffeciſſe quenquam tantum alterum ad conſtituendam Urbem, ponendumque Epiſcopium. Demus itaque ſua militiæ negotia, ſuas paci actiones, & ad annum* 1089 *Epiſcopatus initia, Varadinique fundamenta referamus; eum ſcilicet annum, quo poſt depulſum Regno Salamonem, Chunos ſemel, atque iterum profligatos, Rhutenos etiam exturbatos, quiete Hungariæ reddita, Rex & Civis reſpiravit.* Huic temporum rationi etiamnum ſubſcribo, quantumvis Joannes de Thurocz, ex quo certe temporis rationem non ſumſi, cujusque Chronologiam, rerum etiam ſeriem perturbatiſſimas eſſe notum eſt Eruditis, in diverſa abire videatur.

Nec ullum momentum facit, quod illis Noſter ſubjicit in hæc verba: *Si Epiſcopatum Varadinenſem Ladislaus anno* 1089. *condidit, & anno* 1095. *vel* - 96. *Colomannum illius Sedis voluit Epiſcopum conſtituere, neceſſe eſt alterutrum conſequi, aut Epiſcopatum ab anno* 1089. *ad annum* 1095. *vel* - 96. *itaque in ipſo ſui exordio ſex, ſeptemve annis fuiſſe acephalum: aut Colomannum - - non fuiſſe primum illius ſedis Epiſcopum.* Minime gentium. Nec hoc, nec illud conſequi neceſſe eſt, Id ego alias jam (a) occupavi, & monui, Colomannum annis ſeptem Varadinenſem Epiſcopum fuiſſe; adeoque ad hanc ſedem anno 1089. vel ſequen-

(a) Hiſt. Epiſc. Varad. Tom. I. pag. 21.

quente deſignatum. Non igitur ſex, ſeptemve annis Epiſcopatus iſte acephalus erat. Neque enim movemur Thuroczii narratione, qui etſi gravis, fideque dignus Scriptor ſit; nemo tamen ſanus Chronologiam ex ejus Hiſtoria ſtatuminaverit. Nullus doctorum Virorum dubitat, Chronotaxim illius, ut toties dixi, intricatiſſimam eſſe. Cæterum demus Thuroczium hoc loco in Chronologicam rerum narratarum ſeriem haud peccaſſe; proinde ex illius mente, Colomannum ultimo S. Ladislai vitæ anno Epiſcopum factum eſſe; non tamen iſthinc efficitur, Epiſcopatum Varadinenſem ſex ſeptemve annis acephalum fuiſſe. Quis neſcit ædium magnificentiſſimarum, ut Bonfinius ait, extructionem, etſi regiis ſumptibus fiat, plures requirere annos, præſertim, quia ea ætate ex ſectis, & arte faſtigiatis Lapidibus hujuſmodi ædificia, ad Gothicum morem erigi conſveviſſe conſtat: Civitatis quoque Varad conſtructio longius poſcebat tempus. Quis igitur non aſſequatur, Epiſcopen, & Urbem Varadinenſem ab S. Ladislao anno 1089. fundatas quidem eſſe, ſed erectione ædium ſacrarum, Pontificiæ item, & Canonicalium in plures annos protracta, Colomannum jam tum quidem ad Epiſcopatum Varadinenſem deſignatum fuiſſe, ſerius tamen Epiſcopum factum, & Epiſcopatus gubernaculis admotum: interea vero res ſacras ab alio probo Viro, aut Epiſcopo, cui antea Tractus Varadinenſis parebat, in Diæceſi procuratas fuiſſe, quod nec rarum, nec mirum videri poteſt. (a) Hæc ſolum cauſa amicitiæ, & ut appareat, non eſſe effugio viam

Nobis

(b) Quid ſi ego cum Cl. Pray dicerem, ab Ladislao longe ante annum 1089 fundatum eſſe. Is enim Annal. Hung. Tom. I. pag. 92. Sic ſcribit: *Mihi quia Domeſtici Annales plerique jam eo tempore, quo Ladislaus Ducis titulo ornatus in Cumanos ſub Salamone pugnabat, Varadinenſis Epiſcopi mentionem faciunt, vero videtur ſimilius, Ladislaum jam tum, quod plaga illa Ducum imperio obnoxia -- Sedem hanc ex Geiſæ fratris conſenſu fundaſſe, ac poſtea, ubi Regnum adeptus eſt, ampliſſimis redditibus donatam exornaſſe.* Ita ille; quia vero certum eſt Ladislaum anno 1077. jam Regem Hungariæ fuiſſe; certum quoque eſſe debet, Epiſcopatum Varadinenſem ante annum 1077. ab eo fundatum eſſe: proinde ante annum 1089. prius ut minimum annis XIII. Hæc, ut non præeſtruunt effugio viam, ita ſi cum illis, quæ Noſter in Diſſer. de S. Ladisl. in Diatriba item & inprimis in ſpecim. Hierar. Hung. agit, rite contendantur; num non jure meritoque Hæreſis Hiſtorica, cujus Author, noſter ſit, nominari poſſint? æquus Lector arbitrabitur. Id inſinuare duntaxat erat animus.

Nobis præclusam, quod Adversarius nimia confidentia Lectoribus pollicitus fuit. Ex his altera quoque pars argumenti, qua contenditur, Colomannum non fuisse primum Episcopum Varadinensem, suapte collabitur. (a) Itaque hactenus & S. Ladislaus est Fundator Episcopatus, & Colomannus primus Episcopus Varadinensis.

Momenta, quibus initia Episc. Varad. S. Stephano asserere nititur, convelluntur.

Videamus jam recocta illa rationum momenta, quibus Noster Varadinensis Episcopatus incunabula non S. Ladislao, verum S. Stephano deberi veteri contentione pugnat. Primo Carthuitii testimonium promi: *Post Hæc*, sic ille, *provinciam in decem partitur Episcopatus. Strigonienſem Ecclesiam, Metropolim, & Magistram cæterarum fore constituit.* (b) Ex his evincere satagit,

(a) Idem Author Hier. Hung. pag. 97. postquam ex Hist. Episc. Varad pag. 21. hæc mea: *Quis credat, Colomannum Ecclesiæ illi, quam sanctissimus Patruus recenter magnificentissime erexit, & cujus ille ipse septem annis Præsul erat, ab anno 1096. usque ad annum 1100. Antistitem dare distulisse?* retulisset, de suo addit: *Si non vult credi, Colomannum voluisse Sedem, cui antea præfuit, triennio vacare; tanto minus debet velle ab aliis credi, Ladislaum Sedi, ab se fundatæ, septennio non voluisse Episcopum dare.* Hic equidem, nisi calami temperantiam pollicitus fuissem, tuto dicere possem, in ejus sententia non modicam cubare impostúram, nolo tamen; sed hoc dicere licet: uti pene ubivis alibi, ita ibihic quoque iniquissime mecum agi,

Ταῦτ' ἐστὶν ἐχθρῶν πλάσματα, ψευδεῖς λόγοι,
Φθόνε χαλύμματ' ἀστόχως εὐχημένα.

Et ubi ego dixi aut scripsi, Ladislaum Sedi ab se fundatæ septennio non voluisse Episcopum dare? nuspiam sane: Ubi credi mihi volui, Ladislaum Sedi ab se fundatæ septennio non voluisse Episcopum dare? nullibi. Attamen non veretur Adversarius, id mihi cum insigni injuria allinere. Quin imo extantissimis verbis affirmavi, Colomannum Sedis Episcopalis, ab Ladislao Varadini fundatæ septem annis, hoc est, ab anno 1089. quo fundata fuit, usque ad emortualem S. Ladislai annum Præsulem fuisse. Et id insuper, ut vidimus, postquam integre retulisset, non erubescit palam mihi insultare, cur mihi ab aliis credi velim, Ladislaum Sedi ab se fundatæ septennio non voluisse Episcopum dare? cujus tamen e diametro contrarium ego asserui, ille verbis meis recitavit. Numnam hoc non est, in plena luce non videre? Talia - - Sed - -

(b) Hier. Hung pag 128 sequ. Videtur vero illi ibidem displicere, quod Carthuitii sententiam his retulerim verbis: *Postea Provinciam in decem Episcopatus distribuit, quorum Metropolim, & Magistram esse voluit Ecclesiam Strigonienſem.* Ista sententia hoc eodem verborum tenore in recognita, & emendata Carthuitii editione Suriana apud Cl. Schvandner Scrip. Rer. Hung. Tom. I. reperitur. Nihil vero causæ est, cur editione Srilinoiana, quam Noster Dissertationi de S. Dextera D. Stephani adjicit, uti debuissem: utcunque id sit; Adversario ex hac Carthuitii phrasi *planissimum* esse apparet, *tam parum Strigonienſem Ecclesiam in decenario illo Episcopatuum*

numero

tagit, quod etsi Strigonienſem Eccleſiam in Decennario Carthuitii numero cenſeamus, ſi tamen inter eas Varadinenſem non referamus, *decennarium nemo unus unquam efficiet, ac proinde, ut Carthuitium aut falſi, aut mendacii arguant, neceſſe erit.* Prorſum non. Carthuitium nec falſi, nec mendacii arguimus: *(a)* & Epiſcopatus Decem numero, quorum ille meminit, enumeramus, utpote: Strigonienſem, Colocenſem, Bachienſem, Agrienſem, Chanadienſem, Jaurinenſem, Quinque-Eccleſienſem, Tranſylvanienſem, Veſzprimienſem, & Nitrienſem. Quid? ſi liberales ſumus, & his Decem, etiam Undecimum Sirmienſem adjici poſſe ſuſtinemus. Verum quia rem hanc & in Diſſertatione de S. Ladislao, & hic in Diſpunctione prolixe pertractavi, ne jam actum, iterum agam, ea revolvantur; & liquebit, Carthuitium quidem eo loco vera ſcripſiſſe, Varadinenſem nihilominus Epiſcopatum nec in decennario illius numero contineri, nec ab S. Stephano, ſed certo a S. Ladislao conditum eſſe.

Tum

---

numero contineri, quam certum eſt Magiſtram in Diſcipularum numero non cenſeri, ſere ut Decurio non eſt Decuriæ pars. Iſtud abunde indicat, Cl. Scriptorem non rectiſſimas de Epiſcoporum poteſtate, & dignitate ideas habere. Male profecto ſibi perſvadet, Strigonienſem Eccleſiam, ſeu, quod hic idem eſt, Archi-Epiſcopum Strigonienſem ita cæteris Epiſcopis Magiſtrum præeſſe, ut Pedagogi ſuis Diſcipulis præſunt. Carthuitius & ipſe Epiſcopus, adeoque poteſtatis & Dignitatis Epiſcoporum gnarus, certe non aliud voluit, neque etiam potuit phraſi illa ſignificare, quam Archi-Epiſcopum Strigonienſem, quod Hierarchia Eccleſiaſtica poſcit, Dignitate, etiam legali poteſtate cæteris Epiſcopis præcellentiorem eſſe, omnes tamen gradu Epiſcopali pares ſunt; quæ nulla ratione ad Magiſtrum & Diſcipulum referri recte poſſunt. Epiſcopi ſunt ſolius Chriſti Diſcipuli, Apoſtolorum ſucceſſores, & ne Romani quidem Pontificis Diſcipuli, ſed Fratres. Proinde allata narratio Epiſcopos infra Dignitatem a Deo acceptam deprimens nec huc valet, nec vulganda fuit. Nihilo pluris eſt paritas a Decurione ſumta, cui oppono: Salvator Mundi duodecim Apoſtolos elegit, quorum Princeps Petrus erat. Si ly: *quorum* ad XII. Apoſtolos refertur, ut reipſa refertur, duodenario illo numero Petrus non continebitur: quod tamen evidenter falſum eſt. Decurio ex ipſa nominis etymologia eſt, qui decem, Centurio, qui centum viris præeſt, adeoque ex ſe ſe in decennario, aut centenario numero non comprehenduntur. Tædet cum Cl. Pray his crepundiis Grammaticorum immorari.

(a) Hoc quidem loco Carthuitio lubenter adſtipulamur; verum Cl. Pray ubilibet tam fidenter de ejus teſtimoniis loquitur, quaſi illa prorſus irrefragabilia forent, aut qui eis non penitus adhæreret, regularum Critices omnino ignariſſimus, & vetuſtatis indiligentiſſimus eſſet. Aſt non recte id ſibi Vir doctus perſvadet. Carthuitus enim in *Legenda* de vita S. Stephani Regis, etſi illa brevicula ſit, & inter Acta SS. Hungariæ non niſi duas plagulas, & totidem folia complectatur, complures graves,

Tum ex Regni, & aliorum Episcopatuum a S. Stephano erectorum positu arguit, Episcopatus Varadinensis initia ad eundem S. Regem referenda esse. Hanc quoque toties regestam objectionem jam alibi refutavi. Verum, quia Adversarius hic rursum multa miscet, non possum, etsi maxime velim, brevi compendio uti. Ita igitur suas rationes componit: si Hungaria ab S. Stephano in decem Episcopatus olim diremta fuit, & Varadinensis ab eo conditus non fuit, necessarium est, ut hic terrarum tractus, ex quo is Episcopatus conflatur; aut nullum habuerit sub Stephano peculiarem Episcopum, aut aliorum Episcoporum Diœcesibus fuerit obnoxius, & postea per Ladislaum ex Diœcesibus plurium excerptus, & in Episcopen ordinatus. Hucusque totum verum est. Quærit deinde Noster: intra cujus Episcopi Diœcesis limites tam late patentes Provincias, quibus Varadinensis Episcopatus continetur S. Stephanus collocasset? vicinæ erant Agriensis, Transylvaniensis, Chanadiensis. In Chanadinensi nulla Varadinensis Episcopatus

graves, & manifestos errores errat. Horum aliquos recensebo breviter: I. Colomannum Regem, cui Opellam suam inscripsit, Calamannum vocat, quod frustra alibi quæsiveris. II. scribit, eodem tempore, quo S. Stephanus, hoc est, anno 1000. Astricum Romam pro petenda Corona misit, a Mischa quoque Polonorum Duce eadem ex causa Legatos illuc missos esse. Id vero apertus error est, nam Mysicha jam anno 992. inter vivos esse desiit; sed Boleslaus ejus filius Stephano coævus erat. III. affirmat, Geisam Ducem fuisse crudelem; nullum autem crudelitatis, ab eo admissæ, exemplum in Historia reperitur, quin ne bellum quidem gessisse, unquam legitur, quod mansveti animi indicium est. IV. ait, Monasterio S. Martini concessum ab S. Stephano esse, ut si quis decem haberet proles, decimam S. Martini Cœnobio daret: quod tamen a vero abest. Sed Decimas ex fundis liberis Monasterio illi concessit; nam priscis Regibus Nostris nomine *Liberorum* venerunt fundi Liberorum. Hinc in Decreto S. Ladislai Lib. I. Cap. XXVII. legimus: *Abbates de liberis suis dent Decimationem Episcopis*: proinde deceptus voce *Liberorum* Carthuitius, *proles* substituit. V. Giselam S. Stephani Conjugem, Henrici Pii Imperatoris filiam vocat: at non filia, sed soror S. Henrici erat Gisela; fuerunt autem ambo Henrico Ezelone, Bavariæ Duce geniti. VI. dicit, S. Stephanum anno 1034. ad alteram vitam migrasse; cum tamen nullum sit dubium eum quadriennio post mortuum esse. VII. narrat, inter Ladislaum Regem, & fratrem ejus Salamonem gravem ortam fuisse simultatem; quod nihilominus cum veritate non consentit, quia certo constat, S. Ladislaum non Fratrem, verum Patruelem fuisse Salamonis; Salamon enim ex Andrea I. Ladislaus vero e Bela I. Andreæ Fratre nati erant. Taceo plura, uti & non paucas res dubias, variantes item lectiones Carthuitii omitto. Ex his autem clarissime videre licet, Carthuitium, tametsi gravis omnino Author sit, suam narrationem non ubiliber ita adornavisse, ut irrefragabilis dici, haberiique possit, atque in illius sententias clausis ruamus oculis: ac proinde Falsi quoque argui potest, & in compluribus etiam debet; quin ob id ejus existimationi quidpiam decerpatur.

pars collocari potuit, quod hanc Episcopen Stephanus *circa vitæ suæ finem erexit.* (*a*) Quare pars hæc aut in nullius Diæcesi prius fuit, aut in Episcopi Agriensis jurisdictione. Tam mira argumentatio molesta mihi est, nollem enim otio abuti, oportet tamen Adversarium, etsi lectorum tædium prævideam, ipsiusmet verbis confutare.

Constat Episcopatum Morisenum, seu Chanadinensem ab Stephano sub annum 1030. conditum esse. Quinque-Ecclesiensem, Veszprimiensem, Jaurinensem, ut Noster habet, anno 1009. Quæro jam: intra cujus Episcopi Diæcesis limites tam late patentes provincias, quibus Chanadiensis Episcopatus, ut de aliis tribus nihil dicam, continetur, terram enim Achtumi, ut S. Gerardi Biographus habet, hoc est, quidquid a Chrysio amne ex Transylvania elabente usque ad Vidinum Urbem protenditur, curæ Gerardi Primi Episcopi commissum erat, S. Stephanus collocasset? Vicinæ sunt Transylvanienses, Colocensis, Vaciensis, & Sirmiensis. In hac, nulla Chanadinensis Episcopatus pars collocari poterat, quod S. Stephanus Sirmii Dominus, ut Noster pugnat, nunquam fuerit, & Sirmiensis Episcopatus primum anno 1229. aut insequenti, uti rursum Noster vult, exurrexerit. (*b*) Quare pars hæc XXX. annorum serie, id est, ab anno 1000.

(*a*) Codex Missalis MS. Membranaceus in Bibliotheca Posoniensis Capituli exstans, cuique Chronicon ab anno CMXCVII. incipiens, & in anno MCXV. finiens, habet: Nono ante obitum anno ab S. Stephano Episcopatum Chanadiensem conditum esse. Sic autem ait: *MXXX. Gerardus Episcopus ordinatur;* utique ad Titulum Ecclesiæ Chanadiensis. An vero id sit, sub finem vitæ erigere? ut Cl. Pray Hier. P. II. pag. 135. dicit, Eruditos lectores judicare permitto.

(*b*) Id magis urget Sirmiensis Episcopatus. Adversarius tuetur, Sirmium anno 1081. in potestatem Hungarorum venisse, Episcopatum Sirmiensem ab Ugrino Colocensi Archi-Episcopo anno 1229. vel insequenti conditum fuisse. Cui ergo tractus ille, quem Sirmiensis Diæcesis complectitur CXLVIII annorum spatio parebat? Colocensi, reponit noster: At ille amplam alioquin Diæcesim habuit, cui si tractum Sirmiensem adjungamus, ingens omnino, & bene major, quam sit Strigoniensis, terræ portio ejus jurisdictioni subjecta erat, cui curandæ Ugrinus ægre sufficerat; ideo enim ibi Episcopatum erexerat. Quis vero sibi persvaserit, optimos Reges Nostros tolleraturos fuisse, ut Diæcesis Colocensis amplior sit Strigoniensi? Igitur Colocensi non parebat. Dicere autem tractum illum nullius Diæcesi subjectum fuisse, est sane Reges nostros injuria afficere. Hæc ex Adversarii argumentandi norma summere placuit.

1000. quo Stephanus totum Regnum in decem Epiſcopatus diſtribuit, uſque ad annum 1030. quo Chanadinenſem Epiſcopen condidit, aut in nullius Diæceſi prius fuit, quod cum teſtimonio Carthuitii non cohæret; aut in unius e dictorum trium Epiſcoporum jurisdictione fuit. Non in Tranſylvanienſis, cujus Diæceſis, cum univerſum Principatum complexa fuerit, amplior profecto erat, quam ut illi pars Comitatuum, qui in jurisdictione Chanadienſis Epiſcopi ſunt, cum animarum fructu, quem Stephanus unice quærebat, attribueretur. Idem omnino eſt de Colocenſi, & Vacienſi etſi daremus hujus erectionem S. Stephano deberi, qui alioquin etiam absque terræ illo tractu, qui Chanadienſem Diæceſim efficit, amplos Diæceſium ſuarum terminos habuerunt. Ad hæc, ſi Colocenſis, & Vacienſis Epiſcopi muneri ſuo in traducendis ad Chriſtianam Religionem gentibus, quæ res una & præcipua Stephani cura erat, ſatisfecerunt, nihil cauſæ Stephano erat, ut ex eorum Diæceſibus portionem excinderet, & Epiſcopo Chanadinenſi tribueret. Deinde, ſi omnes illæ Provinciæ, utpote Chanadinenſis, Aradinenſis, Torontalienſis, Craſſovienſis, Temeſienſis, e quibus Chanadienſis Epiſcopatus coaluit, Epiſcopatus Colocenſis portio erant, iſti hoc modo Divus Stephanus XII. Provincias tribuiſſet; noſter enim (a) tuetur, internam Diæceſis Colocenſis portionem eſſe, Provincias Soltienſem, Bodrogienſem, Sirmienſem, Kövienſem, Bachienſem, quibus forte addi poteſt, Severinenſis & Csongradienſis; habuit enim Archi Diaconatum Segedinenſem, quæ illius Principalis Urbs eſt. Quod ſi ita eſt, Colocenſem Epiſcopum Strigonienſi Archi-Epiſcopo æqualem D. Stephanus fecit, (b) nulla inter ſuffraganeum & Metropolitam, ſic enim res erant illis temporibus, inter Magiſtram & Diſcipulam habita ratione; quod S. Regem vel hoc titulo non feciſſe, eſt credibile, quod Epiſcopatuum rationem ad Germaniæ normam Ottonis Imperatoris

(a) Hier. Hung. pag. 30.

(b) Perinde Archi-Diæceſis ea ætate duodecim & dimidiam Provincias complectebatur, nimirum Strigonienſem, Thurocienſem, Arvaienſem, Gömörienſem, Liptovienſem, Hontenſem, Barſenſem, Comaromienſem, Zolienſem, Poſonienſem, Sceptuſienſem, Tornenſem, & partem Neogradienſis, altera Vacienſi relicta: Nitrienſis vero proprio Epiſcopo parebat.

hortatu exegerit, & Strigonienſem Eccleſiam voluerit eſſe cæterarum in Hungaria Magiſtram ac Metropolim. (c) Non fuit proinde ea Regni portio, quæ Chanadinenſem Epiſcopatum conſtituit, a S. Stephano Diæceſi alterius Epiſcopi ſubjecta.

Dicat jam nobis Adverſarius, cujuſnam Diæceſis tractus ille, e quo Epiſcopatus Chanadienſis colauit, XXX. annorum ſerie portio fuerit? Διδαξον ἡμᾶς ὡς θέλεις, διδασκε δέ. Nolim autem dicat, illam terræ plagam Achtumo paruiſſe; adeoque de illa, alteri Epiſcopo ſubjicienda, non fuiſſe S. Stephanum ſollicitum, ſed illo devicto, demum ex ea Moriſenum Epiſcopatum conflaſſe. Certum enim eſt, ætate S. Stephani iſthanc Achtumi ditionem internam Hungariæ portionem fuiſſe; proinde aut alicui e decem Epiſcopis obnoxiam, aut ab Stephano, contra quam Carthuitius perhibet, non fuiſſe totum Regnum in Epiſcopatus diſtributum. Quid? quod noſter, (b) diſerte ex S. Gerardi Biographo referat, ante debellatum Achtumum Urbis Moriſenæ, adeoque terræ, cujus iſte poſſeſſor erat, jus ad Stephanum pertinuiſſe, qui jam prius hunc agrum excolendum Gerardo deſignaverat: quod dubio procul in ditione juris alieni nunquam facturus erat. Unde etiam videtur, Achtumum ejuſdem regionis poſſeſſorem ex permiſſione ſolum S. Stephani fuiſſe, ſub cujus vitæ ultimis annis, ille refractarius factus, armis in ordinem redigi debuit, & denique cæſus eſt. Itaque S. Stephanus, cujus in propaganda religione Catholica ſtudium incredibile fuit, aut plagæ illi Epiſcopum dare debuiſſet, quod tamen ante annum 1030. non fuiſſe factum, tantum non certum eſt: aut plagam illam alteri Epiſcopo ſubjicere; aut denique non totum Regnum in Epiſcopatus diribitum fuiſſe oportebat. Iſtud cum teſti-

(a) Si ejusmodi Adverſarii ratiocinationi locum in Hiſtoria demus, neceſſe eſt conſequi, Tranſylvanis ab Stephano duos ut minimum datos eſſe. Hæc enim Regio in ſe continet Comitatus VII. Sedes Siculicas, Comitatibus pares, VIII. Sedes Saxonicas XI. adeoque inſimul Provincias XXVI Quia vero Diæceſis Strigonienſis ne dimidium hujus numeri æquat, ideo ſi incredibile videtur, alicui Epiſcopo plures quam Strigonienſi a Stephano tributos eſſe, incredibile quoque eſſe debet, omnem Tranſylvaniam uni Epiſcopo a Stephano datam eſſe. En! quo violentæ evadunt argumentationes.

(b) Hier. Hung. pag. 285.

teſtimonio Carthuitii aperte pugnat; ergo plaga illa XXX. annorum intercapedine alterius cujuſpiam vicinæ Diæceſis portio fuit. Sed cujus? doceat nos Cl. Pray, ſi cauſa Epiſcopatus Varadinenſis idem a nobis poſcit. Cæterum quid Eruditi lectores iſthac mea argumenti Adverſarii retorſione facturi ſint? utcunque prævideo, deridebunt nimirum illam, explodent, & ad ingenii luſus, inanesque cogitationes, atque ſomnia relegabunt: & id quidem jure optimo. Verum, ut idem etiam argumento Adverſarii faciant, ratio paritatis poſtulat; pene illius enim verbis retorſionem illam conſtruxi, ut eluceret clarius obmotæ mihi per illum difficultatis inanitas.

Fuit itaque iſte terrarum tractus, ex quo Varadinenſis Epiſcopatus conflatur, aliorum Epiſcoporum Diæceſibus obnoxius, ac poſtea per S. Ladislaum R. ex illis excerptus, & in Epiſcopen ordinatus. Quibus vero Diæceſibus ab anno 1000. quo S. Stephanus totum Regnum in decem Epiſcopatus diſtribuit, uſque ad annum, 1089. quo veriſimillime ab S. Ladislao in Diæceſim Varadinenſem evectus erat, paruerit? nihil attinet dicere. Aut dicat nobis Adverſarius prius, plaga illa, quæ Diæceſim Chanadienſem efficit, quibus ab anno 1000. ad 1030. Diæceſibus obnoxia fuit? e quibus exciſa, & in novam Diæceſim mutata fuit? Interim, juvat hic illa, quæ alibi (*a*) ſcripſi regerere. Cl. Pray (*b*) vult ex limitum Regni conſideratione conſectaneum fieri, ut aut non totum Regnum in Epiſcopatus a S. Stephano diſtributum fuerit, quod nullam veri ſpeciem habet, aut Epiſcopatus Varadinenſis ex aliis Diæceſibus exciſus, avulſusque fuerit: quod nullum Authorem, nullam Traditionem, nullas literas habere contendit. Ad hoc, quia Noſter tuetur, Epiſcopatum Nitrienſem non fuiſſe a S Stephano conditum, nec ea ætate diſtinctum Epiſcopatum fuiſſe; eapropter ex ejus. opinione in hunc reſpondi modum: *An ideo, quod Epiſcopatum Nitrienſem S. Rex non fundavit, conſectaneum eſt, non fuiſſe totum Regnum a S. Stephano in varios Epiſcopatus diviſum? minime ſane.*

(*a*) Diſſer. de S. Ladisl. pag. 58.
(*b*) Diſſer. de S. Ladisl. pag. 54.

ne. Ut quid ergo a Nobis fidem certam exigit, qua credamus eo tempore, quo Regnum in Diœceſes diſtribuit, etiam Varadinenſem Epiſcopatum ab S. Stephano conditum eſſe? aut ut fateamur, non totum Regnum in Epiſcopatus ab eo diſtributum eſſe? Neque aliud ad hoc reponi poteſt, quam quod Diœceſis Nittrienſis tunc Diœceſi Strigonienſi paruerit; atque adeo etiam illa pars Regni fuerit diſtributa. Verum mihi quoque eadem ratione integrum erit aſſerere, terram illam, quæ Diœceſim Varadinenſem efficit, temporibus S. Stephani alteri Epiſcopatui ſubjectam fuiſſe. Et cum id adſtruo, firma me fiducia tenet, Cl. Prayum haud petiturum, ut dictionem Diplomate confirmem; alias etenim pari cauſa exigam, Diplomate doceri, quod plagam illam, quæ Diœceſim Nittrienſem conſtituit, S. Rex ſeu Strigonienſi, ſeu alteri cuicunque demum Epiſcopatui ſubjectam eſſe voluerit. Exiſtimo, ambos nos hac in parte eadem carioſa nave vehi. Manet proinde S. Ladislao conditi Epiſcopatus Varadinenſis gloria, & ego conſidenter ajo: Epiſcopatum iſtum ex aliis vicinis Diœceſibus exciſum, avulſumque fuiſſe, ad eum modum, quo Epiſcopatus Nittrienſis, in ſententia Prayi, ex Diœceſi Strigonienſi temporibus ſeu Geiſæ II. ſeu alterius cujuſpiam Hungariæ Regis exciſus, avulſusque fuerat. Et ſi hoc inſignem S. Stephani pietatem minime lædit; non pervideo, quomodo incredibili illi ſtudio, quo in traducendis ſuis ad Chriſtiana ſacra flagrabat, officere poſſet, cum ſtatuimus, Diœceſim Varadinenſem ex aliis Diœceſibus per S. Stephanum fundatis, opera S. Ladislai in novum Epiſcopatum conflatam fuiſſe, diſtinctaque jurisdictione Spirituali frui cœpiſſe. Hæc mea erant, & niſi me omnia fallunt, ad retundendum Adverſarii arietem uti ſufficientiſſima, ita & luce clariora meridiana, & tamen ille, etſi prorſus irrito conamine adhucdum obſiſtit. Ne tamen ejus argumenta diu luſiſſe videri poſſim, affirmo: Epiſcopatum Varadinenſem ex Agrienſi, & Chanadinenſi Epiſcopatibus per S. Ladislaum conflatum fuiſſe. Id ex ipſo horum poſitu evincitur, plaga enim illa, quam Epiſcopatus Varadinenſis complectitur, inter utrumque illum media eſt. Nec terreat Diœceſium amplitudo; hæc ipſa enim cauſa fuerit, ut S. Ladislaus Epiſcopatum Varadinenſem condat, Præſulum vero Agrienſis, & Chanadinenſis Apoſtolicos labores minuat.

Te-

Telam ſuam porro, me carpendo, Noſter texit. Scripſi terræ, quæ deinde Epiſcopatum Varadinenſem effecit, inhabitatores ethnicas ſuperſtitiones ſectatos fuiſſe tempore S. Stephani; proinde non erat opus illis peculiarem Epiſcopum dare, ſed ſatis erat tractum illum intra limites alterius alicujus Diæceſis collocare. Noſter (*a*) quaſi grande quodpiam in me reperiſſet crimen, inclamat mihi, a vero alieniſſimum eſſe, illis non fuiſſe opus peculiari Epiſcopo; nam S. Stephanus erectione Epiſcopatuum ſuos ad Chriſtianam fidem traducere conabatur. Verum eſt; ſed quid tum? ergo quam maxime neceſſarium fuit, ut illis peculiaris daretur Epiſcopus, uti Tranſylvanis quoque datus erat: & niſi id affirmem, S. Stephani in res ſacras, & Chriſtianam Religionem ſtudium parum commendo. Heu me! quid faciam? Epiſcoporum munus eſt, Ethnicos ad Chriſtianam Religionem traducere, Hæreticos ad Chriſti ovile reducere, peccatores Deo conciliare: ergo omni terræ, cujus inhabitatores ſunt Ethnici, Hæretici, Peccatores peculiaris detur Epiſcopus, neceſſe eſt. Quis hoc credet? S. Stephanus ſuum in res ſacras ſtudium abunde commendavit, atque comprobavit, quod plagam illam alterius Epiſcopi poteſtati ſubjecerit, qui ejus inhabitatores Ethnicos ad Chriſtianam Religionem traduceret, ſive per ſe, ſeu per alios, a ſe miſſos, quod ſine dubio fecerit etiam ſaltem conatus certe fuit; neque enim neceſſe eſt, ut Epiſcopus quovis loco præſens adſit. Et parumne S. Stephani in res ſacras ſtudium commendat, quod huic eidem plagæ, nam Varadinenſis Epiſcopatus ex Chanadienſi quoque, aut in ſententia noſtri Chanadinenſis etiam ex Varadinenſi, unde enim alias? conflatus eſt, ab anno 1000. ad 1030. peculiarem haud dederit Epiſcopum? De Tranſylvanienſi Epiſcopatu longe diverſa ratio eſt, cui enim Epiſcopatui Hungarico cum fructu attribui potuiſſet? Id qui ſitum hujus Principatus norunt, nullo negotio perſpiciunt. Serio itaque ſalutem populi, terram iſtam incolentis, S. Rex quæſivit, quando illam alterius Epiſcopi curæ, & ſollicitudini credidit: in reliquo vero eorum ad fidem converſionem Deo commendabat, & in felicius tempus novi Epiſcopatus erectionem re-

(*a*) Hier. Hung. pag. 132.

reſervavit. Id quod deinde ejus Nepos S. Ladislaus reipſa liberaliter præſtitit. An vero hæc non ſine gravi injuria tanti Regis dicuntur? Cogitet Noſter, velim, Regionariorum Epiſcoporum munus: cogitet quotnam vaſtiſſimum Sinarum Imperium numeret Epiſcopos, & certe, ſic mihi perſvadeo, deſinet porro mirari, quod tractus Varadinenſis Ethnico ritu viventibus incolis S. Stephanus peculiarem haud dederit Epiſcopum; nec dehinc, ut arbitror, idmodi plumbeo accinctus gladio Στενολέσχης in apertum prodire audebit campum. (a)

Denique non videtur illi pro Epiſcopatu Varadinenſi quid piam facere, quod ſæculi XI. Epiſcopos Varadinenſes ignoremus. *Alioquin*, verba ejus (b) ſunt, *nec Tranſylvani, nec Chanadinenſis Epiſcopatus erectionem S. Regi tribuere poſſemus.* Neſcio, cur Chanadinenſem nobis obtrudat? exploratum enim eſt, hunc non modo ab S. Stephano conditum, verum illi etiam Gerardum Epiſcopum datum fuiſſe: nullus proinde, quantum ad hunc Epiſcopum dubio locus eſt, & ejus certiſſimus ſæculi XI. Antiſtes Gerardus omnibus cognitus eſt. Quod ſi Adverſarius vel unum ita certum Epiſcopum Varadinenſem ætate S. Stephani promeret; confeſtim victas daremus manus, nec dubitaremus affirmare, iſtum quoque ab S. Stephano fundatum fuiſſe. Hic labor, hoc opus eſt, cui profecto nemo ſatisfecerit. Quid ergo valet exemplum a Chanadienſi ſumtum? De Tranſylvano paulo aliter loquimur. Satis liquet Tranſylvaniam, devicto Gyula Duce, in jus S. Stephani conceſſiſſe: Liquet S. Stephani ingens Religionis propagandæ ſtudium: Liquet ſub idem tempus S. Stephanum Epiſcopatus in Hungaria erigere cæpiſſe; aliquos jam etiam erexiſſe: Liquet, Tranſylvaniam, non modo

an-

(a) Non mihi ſuccenſebit Cl. Pray, ſi ejus verbis, ut habet Hier. Hung. pag. 111. iſthic animadverſionem meam promſero; videlicet, momentum iſtud, quo ille hoc loco utitur, tanti mihi eſt, quanti Angli illius ſententia in *The preſent ſtate of Hungary. London* 1687. *pag.* 25. *In the year* 1290. *Ladislaus King of Hungary biult in it (Varadin) the fair Church of our Lady Which is the ſeat of a ſuffragan Bisbop.* Quod, ne noſter putet, Linguam Anglicam mihi penitus incognitam eſſe, latine reddo: *Anno* 1290. *Ladislaus Rex Hungariæ, Varadini Albam Eccleſiam noſtræ Dominæ ædificavit, quæ Epiſcopi ſuffraganei ſedes eſt.*

(b) Hier. Hung. pag. 137.

ampliſſimam Regionem eſſe, verum etiam undique prælatis montibus, qui in eam admodum difficilem faciunt aditum, circumſeptam eſſe: liquet ex his etiam, Tranſylvaniam nulli Hungarico Epiſcopatui cum fructu, quem S. Rex quærebat, ſubjici potuiſſe. Igitur, liquere etiam neceſſe eſt, Tranſylvanis, quos armis ſubegit, peculiarem ab Stephano Epiſcopum datum eſſe. Sed de hoc alioquin nemo ſanus dubitat. Ac proinde, quia nemo unus probatorum Scriptorum id in dubium revocavit unquam, idcirco, quod hujus unius inter omnes Epiſcopatus, qui Sancto Stephano debentur, ſæculi XI. Epiſcopos ignoremus, ne minimum quidem excitare poteſt dubium, an hic Epiſcopatus a S. Stephano conditus eſt: (a) idque eo magis, quod non ignoremus miſeræ Tranſylvaniæ, multiplices, easque acerbiſſmas incubuiſſe tempeſtates, quæ retroactis ſæculis tanquam per continuas vices Tabularia quaſſarunt, Diplomata, aliaque fidem facientia Litteraria inſtrumenta hauſerunt, ac univerſum rerum geſtarum corpus dolendum in modum læſerunt. (b)

(a) Quum hac de re A. R. Katona pag. 621. agit, mire feſtivus eſſe vult, & virulente ferox eſt. Fateor, dum ejus in me graſſandi libidini in hac Opella occurrere contendo, ſæpius in illum ſtylum, ut meretur, jàm jàm acuere volui; ſed hactenus continui me inter modeſtiæ limites, ne ego quoque odio, aut ambitione, non vero ratione pugnare videri poſſem; nequeo tamen, etſi maxime velim, polliceri, ut, ſi ille patientia mea abuti pergat, vicem illi ſerio non rependam. Hoc tempus docebit. Interea ille relatis his meis; *Quis adeo imbellis erit, ut credat, ab anno 1000. Quo Epiſcopatus, ab S. Stephano erectos, Sylveſter II. P. M. confirmavit, usque ad obitum S. Ladiſlai, id eſt, unius fere ſæculi intervallo, ita interciſſe nomina Epiſcoporum Varadinenſium, ut omnino nullius in medium ſtatui, aut e pera extundi poſſit.* Imbellis Grammaticis idem eſt, quod Debilis, Mollis, Inturus, Incautus. A. R. Katona vero nomen illud ad arma transfert, & me imbellem clamat, ut pote, qui infirmis armis illi uti videor. Quam hoc inficetum eſt. In meo MS. habeo *Imbecillis*, ſed quia id idem eſt, quod *Imbellis*, ideo patior, ut vir bonus animi, quem nimium intentum eſſe video relaxandi, ſeu effundendi cauſa ſecum ipſo ludat. Ita autem porro habet: *Tale genus armorum continet hæc ejus quæſtio: Ubi ergo perierunt unius ſæculi Antiſtites Varadinenſes? Nam retundi totidem verbis poteſt: Ubi ergo perierunt unius ſæculi Antiſtites Albenſes?* At Hiſtoriæ criticæ ſcriptori non id agendum erat, verum in primis docendum, poſſe aliquem ſaltem e ſæculi XI. Epiſcopis Varadinenſibus nominari, proferrive. Legat ea, qua ſuperius pertractavi, & ab Epiſcopatu Tranſylvano ad Varadinenſem translatum argumentum ne hili eſſe cognoſcet.

(b) Habemus tamen Antiſtitum, qui novem Epiſcopatibus a S. Stephano inſtitutis ſæculo XI. præfuerunt, ſaltem aliquorum nomina, etſi exacta careamus chro-

Diversa est Episcopatus Varadinensis ratio, qui etsi non raro duris vicissitudinibus attereretur; quia nihilominus tota retro antiquitas existimavit, Episcopatum hunc a S. Ladislao fundatum esse, nec ullus ante nostrum hoc novarum rerum pruriens sæculum, id, non jam dicam in dubium, sed ne in suspicionem quidem adduxit, merito ab novellis his scriptoribus poscimus, ut si S. Stephanum Varadinensis Episcopatus conditorem putant, dicant nobis, sumus enim in possessorio veritatis, testibus firmatæ, ubi perierunt sæculi XI. Antistites Varadinenses? producant vel unicum, si non certum, saltem dubium; & quemadmodum nos ex possessorio excussos esse, non difficulter fatebimur; ita si nullum nobis possunt producere, quod certo nunquam

---

chronotaxi. Habemus autem, ut antea Dissertatione de Sancto Ladislao pag. 19. memoravi, modo paulo copiosius exscribo, *Strigonienses*: Dominicum I. Sebastianum, Dominicum II. Benedictum, Neæmiam, Acham, Stephanum, Seraphinum. *Agrienses:* Catapranum, Bonifacium, Buldum, Petrum. *Qunque-Ecclesienses*: Bonipertum, Maurum, Stephanum. *Vesprimienses*: Stephanum, Joannem, Cosmam. *Jaurinenses:* Modestum, Nicolaum, Desiderium *Nitrienses:* Bestritum, sive Bestertum. *Colocenses:* Astricum, Benedictum, Desiderium. *Bachiensem*: Fabianum. *Chanadiensem:* Gerardum. Soli Transylvani desiderantur. Adversarius Vaciensem quoque Episcopen S. Stephano R. tribuit. Id ut, qua licet commendet, non pensi habet, Clementem in serie Episcoporum Vaciensium ad annum 1055. collocare. Cur ita? ipse ille Hier. Hung. Tom. I. p. 539. rationem reddit hisce verbis: *Subscriptum instrumento Fundationis Abbatiæ de Tybon invenio, sed non nominata sede.* At id omnino studiorum est; nam hunc eundem Clementem eadem ex causa, planeque eodem jure poterat Episcopum Varadinensem creare, quia subscriptum invenit non nominata sede: aut ego rursus eandem ob causam dicam, Clementem illum fuisse Episcopum Transylvaniæ, ejus enim sedes in Diplomate non nominatur. Sic firma sunt rationum nostrarum momenta. Sed enim ait ille, Clementem hunc *plerique Vaciensem fuisse scribunt.* Hunc? & plerique? Ast cur hos plerosque Scriptores non promisit? in promptu est responsio: quia nuspiam extant; nisi forte eorum scripta in Basilica Varadinensi cum Episcoporum nominibus crudelitate Tartarorum igni absumpta sint. Solus cum Dilericio Nicolaus Schmidt in Episc. Agrien. pag. 36. & antea in Arch. Epis. Strigon. deceptus dubio procul quopiam subtestæ fidei MS. Sic enim scribit: E Diplomate Regio Abbatiæ Tihonienſis *elucet*, *Clementem Vaciensem Ecclesiam moderatum fuisse:* quibus satis aperte innuit, se existimasse, in Diplomate Clementem, Vaciensem dici, hoc enim indicat vox: *elucet.* Sed nempe vir doctus non vidit Diploma, uti ipsemet candide fatetur: *Tabulas*, inquit, *Fundationis frustra ad tempus istud perveſtigavi.* Has si vidisset, nunquam profecto pro egregia sua diligentia, & veritatis studio affirmasset, elucere Clementem Episcopum Vaciensem fuisse. Et hi Duumviri, præclari ceteroquin Scriptores, sed plane Nobis contemporanei, Cl. Pray *plerorumque* nomine veniunt. Quam id Criterio congruens sit, lectores arbitrentur.

quam poterunt, hac ipsa ignoratione sua possessorium Nostrum firmant. Adeoque, quod sæculi XI. Varadinenses Episcopos ignoremus, post allata tot *positiva* argumenta, istud quoque *negativum*, efficit, Episcopatum Varadinensem ab S. Stephano conditum haud fuisse.

At enim reclamat Adversarius, quia Rogerius Varadinensis Canonicus testis αυτοπτης, ideſt, rei factæ spectator, Basilicam cum iis, qui salutis causa in eam confugerant, a Tartaris exustam graphice depingit. Sigismundus quoque in Diplomate anni 1406. diserte fatetur, Privilegia Ecclesiæ Varadinensis sua etiam memoria incendio combusta esse. Unde infert, pleraque nos de primis illius Sedis Antistitibus debere latere, nec quidquam illo conducere, ut ex ignoratis primorum Episcoporum nominibus, Varadinensem Episcopatum non a Stephano conditum, prudenter existimare possimus. Ridiculum! an ergo ideo, quod Rogerius graphice depingit Basilicam Varadinensem a Tartaris exustam: an quod Sigismundus Rex affirmat Privilegia Ecclesiæ Varadinensis incendio combusta; ideo ignoramus Sæculi XI. Varadinenses Episcopos? minime. Basilicam Varadinensem Tartari anno 1242. in cineres redegerunt: Sigismundus Diploma illud Capitulo Varadinensi anno 1406. elargitus est. Si igitur, quod Adversarius pugnat, ideo ignoramus Sæculi XI. Episcopos Varadinenses, quia Basilica exusta est, necesse est consequi, ut eadem ex causa etiam sæculi XII. & XIII. Episcopos Varadinenses ignoremus, quia videlicet Basilica a Tartaris anno 1242. exusta est; si enim id ad excusandam ignorantiam sæculi XI. valet, non est profecto cur perinde sæculi XII. & XIII. non valeat? Vel, si Sigismundi testimonio utimur, etiam sæculi XIV. Episcopos Varadinenses, nescire debemus; si enim Basilica a Tartaris exusta, & iterum ætate Sigismundi incendio consumpta Episcoporum sæculi XI. nomina in Tabulario asservata penitus disperdidit, disperdidit quoque idem incendium sæculi XII. XIII. & XIV. nomina, vix enim ignis ille, repetitis vicibus grassatus, tam humanus fuerit, ut integre relictis sæculi XII. XIII. XIV. Varadinensium Episcoporum nominibus, in solius sæculi XI. nomina adeo crudeliter desævierit, ut eorum notitiam nobis omnino eripiat:

Proinde, ut aperte falsum est, nomina Episcoporum Varadinensium usque ad tempora Sigismundi Regis incognita nobis esse; ita ex exusta Basilica, & Privilegiis Varadinensis Capituli combustis, extundere velle causam ignoratorum sæculi XI. Episcoporum ludicrum prorsus, & inane effugium est. Illud verum est, fatalibus his, & aliis conversionibus Tabularium Ecclesiæ Varadinensis perditum, aut certe admodum læsum fuisse, ut adeo hac de causa plurimæ res gestæ nos latere debeant: Sed Antistitum nomina non ex solis Tabulariis Capitulorum peti solent; adsunt alia quoque adminicula, quibus nomina Antistitum detegantur. Quid? quod in Capitulorum Hungariæ Tabulariis sæculi XI. Acta, e quibus nomina Antistitum nostrorum cognoscamus, doceamusque, nequicquam quæsiveris; (a) nulla enim, aut paucissima profecto ejusmodi Acta ibi inveneris. Et tamen omnium, quos S. Stephanus condidit, Episcopatuum, illisque præpositorum aliquorum saltem Antistitum nomina, uno solum Transylvano dempto, cognita habemus. Ubi ergo perierunt unius sæculi Episcopi Varadinenses, si hujus quoque Episcopatus S. Stephanus Parens est, & Fundator? Non illa ergo causa est, quod nullum sæculi XI. Episcopum Varadinensem nominare sciamus; sed quia S. Ladislaus hunc Episcopatum primum anno 1089. a fundo excitavit, eique ex fratre nepotem suum Colomannum, primum Episcopum præfecit; quem si nostræ hujus, procudendarum rerum novarum cupidissimæ, atque feraciissimæ ætatis Scriptores præjudiciis nimis occupatum animum haud gererent, aut aliorum opiniones, conjecturas, & ratio-

(a) Rursum A. R Katona loc. cit. hunc in modum scribit: *Quod nullum Episcopum, qui Varadinensem Ecclesiam ante S. Ladislai Regis ætatem rexerit, nominare possimus, id si probat, S. Ladislaum Episcopatus Varadinensis Conditorem esse, pari jure probabit, eundem plurium Episcopatuum, ac imprimis Albensis in Transylvania Conditorem esse.* De Albensi jam satis egi: ostendi item paulo ante, & quidem dedita opera, ex speciminis Hierarchiæ Hungariæ Auctore, illius duce & antesignano, Hungaricarum Ecclesiarum sæculi XI. Antistites promi posse. Qui sunt ergo illi *plurium Episcopatuum* ejusdem sæculi Præsules, quos ignoramus? quorum sæculo XI. nullum vestigium apparet? si non fucum, abusum certe vocis: *plurium* hic facile est observare. Num autem hoc non est e talium genere armorum, quæ, quin feriant, e manibus nullo negotio excuti possint; imo, quæ in Authoris Caput etiam recidant, illidanturque: & tamen est ejus in nos Παχυσομία.

tionum momenta, nè quid forte gloriæ, quam sibi ipsis procul omni consorte omnem deberi leviter putant, decerpatur, fastidiose repudiarent; sane non ita niterentur e Sede Varadinensi Colomannum præfracte deturbare, nec S. Ladislaum certissimum illius Fundatorem hac debita despoliare laude inficeto studio contenderent: & præterea duos sæculi XI. Antistites Varadinenses, Colomannum videlicet, & qui illi probabilius anno 1096. successit, e serie non ita perperam eliminarent.

Gravis Cl. Pray hallucinatio.

His explicatis, ait Adversarius, (a) *certum videtur, Diœcesim Varadinensem sæculo XIV. magis quam hodie sit, porrectam fuisse, ut ex Archi-Diaconatibus perspicuum fit, in quibus Bihoriensem, Békesiensem, Kulezeriensem, de Humruk, de Kalata, & de Zeghalom fuisse, Collatio Decimæ Pontificiæ docet.* Hæc ille, sed profecto multimodis impingit, commiseratione tamen & venia dignus esset, nisi ea nobis tanta emphasi propinaret. Imprimis videtur naturam Archi-Diaconatuum Hungariæ non satis expendisse. Illi suam a Comitatibus denominationem summunt, utpote per quos Diæcesis porrigitur. Si itaque Collectio Decimæ Pontificiæ hac parte omnem meretur fidem, necesse est consequi, ut Archi-Diaconatus: Kulezeriensis, Humrukensis, Kalatensis, & Zeghalmensis sua nomina ab ejusdem nominis Provinciis, seu Comitatibus acceperint. Quo quid potest esse magis absurdum, quando nemo hucusque somniavit, hujus nomenclaturæ Comitatus aliquando in Hungaria extitisse. Quod si autem Archi-Diaconatus illi, non a Comitatibus, sed a privatis locis sua nacti sunt nomina; quali, quæso, fundamento Adversarius ita audacter affirmare potest: *Diœcesim Varadinensem sæculo XIV. magis, quam hodie sit, porrectam fuisse, ex archi-Diaconatibus perspicuum fit?* hoc equidem inter sphalmata referre oportet graviora. Deinde, non discernit Noster Archi-Diaconatus Capitulares a Ruralibus: illi nomina sua, uti dixi, a Comitatibus habent, isti ab Urbibus, Oppidis, aut Villis; solent enim Episcopi suas Diæceses in Districtus, ut vocant, partiri, ita ut in uno Comitatu, pro ratione amplitudinis, & Pa-

(a) Hier. Hung. pag. 139.

rochiarum numero complures Diſtrictus reperiantur; habet autem ſingulus ſuum Archi-Diaconatum, aut Vice Archi-Diaconatum, a celebriori Diſtrictus loco ſuum ſummentem nomen. Sic hodie Varadinenſis Archi-Diaconatus Cathedralis, ſub cujus jus Comitatus Biharienſis, in quo Cathedra Epiſcopalis, & Collegium Canonicorum eſt, cadit, habet quatuor Diſtrictus, utpote, Varadinenſem, ſeu Szölöſienſem, Püſpökienſem, Székelyhidenſem, & Belényeſienſem, (*a*) quibus totidem Vice Archi-Diaconi præſunt, quos alibi Archi-Diaconos vocare placet. Tum patet ex iis, Noſtrum Diæceſis Varadinenſis ſitum, ac locorum nomina penitus ignorare, alias enim, quin talium gnaros conſuluiſſet, quod utique ut facere, recta criſis ſvadere debebat, vix fuiſſet auſus ea in chartas tanta libertate conjicere. Denique uno errore alium generante, ſi, quod jam monui, Collectioni Pontificiæ fides tuto haberi poteſt, non modo non rite Noſter ex illa arguit Diæceſim Varadinenſem ſæculo XIV. magis, quam hodie ſit, porrectam fuiſſe, quin potius minorem fuiſſe oportuit.

Nam Archi-Diaconatus, nolo enim diſceptare, an ſic recte nominentur, ſunt vero in re ipſa Vice Archi-Diaconatus, Bihorienſis, Kulezerienſis, Calatenſis, Humrukenſis, & Zeghalmenſis, Archi-Diacono Cathedrali, uti & totus Comitatus Bihorienſis, ſubjecti erant, habentque ſuum nomen a locis in ſingulo Diſtrictu celebrioribus. Hi porro quinque Archi-Diaconatus ſunt in uno eodemque Comitatu Bihorienſi. Id ex ipſa Collectione Pontificia manifeſtum evadit; aſſignat enim ſingulo iſtorum Archi-Diaconatuum loca, quæ extra omne dubium in hocce Comitatu quæri debent, & eorum plurima hodie quoque aut plane ſub eadem, aut paululum duntaxat mutata nomenclatura extant, cunctisque nota ſunt. Juvat eorum aliqua memorare. De Bihorienſi alioquin nullum poteſt eſſe dubium. In Humrukenſi collocantur Poſſeſſiones: Humruk, Pyſpuki, Sa-

(*a*) Iſti quatuor Diſtrictus æquipollent illis quinque Archi-Diaconatibus, quorum meminit Collectio Pontificia, & ut illi, ita iſti quoque uno eodemque Comitatu Bihorienſi concluduntur.

Sadan, Tulka, Zekultelek, Gapyu, Kordo, Ujlok, Gurbed, Zalanta. In *Kulezerienſi:* Geures, Vadaſz, Nyvetelek, Sarkan, Bely, Belen, Miske, Boy. Tamashida. In *Kalatenſi:* Zarand, Jeneu, Thelegd, Kereg, Fugy, Zeleus. In *Zeghalmenſi:* Zeghalom Chekmo, Nadan, Paznan, Irugd - - (*a*) Harum, aliarumque Poſſeſſionum ſitus quoque indicat, quinque illos Archi-Diaconatus intra limites Comitatus Bihorienſis fuiſſe, & etiamnum eſſe. Habemus igitur hactenus ex Collectione Pontificiæ Decimæ, Epiſcoporum Varadinenſium jurisdictionem per totum Comitatum Bihorienſem extenſam fuiſſe. Meminit præterea eadem Archi-Diaconatus Békeſienſis, adeoque iſte quoque Comitatus, qui modo quoque Diæceſis Varadinenſis partem efficit, iſthuc referendus eſt. (*b*) Præter hos nullum alium Collectio Decimæ Pontificiæ memorat. Atqui hodie Diæceſis Varadinenſis non ſolum Bihorienſem, & Békeſienſem, verum etiam Szolnokienſem, & Kraſznenſem Provincias complectitur. Igitur ex ipſa illa Pontificiæ Decimæ Collectione nedum non docetur, (*c*) Diæceſim Varadinenſem ſæculo XIV. magis, quam hodie ſit, porrectum fuiſſe, quin potius perſpicue evincitur, magis, quam hodie ſit, arctatam fuiſſe. Tanti intereſt locorum poſitum, atque nomina noſſe.

(*a*) Hæ Poſſeſſiones hodie ſic enunciantur: Homorok, Püſpöki, Zsadány, Tulka, Székelytelek, Gyapju, Kardo, Ujlak, Görbed, Szalonta, Gyéres, Vadász, Nyiveth, Sárkány, Béél, Belényes, Mitske; Boit, Tamásda, Zaránd, Jenö, Telegd, Kereki, Fugyi, Szeles, Szeghalom, Csekmö, Nadany, Pázmánd, Üregd.

(*b*) Ne quod dubium ſuſpicioſiſſimo Adverſario moveat, quod Collectio Decimæ Pontificiæ non niſi unicum Archi-Diaconatum notet, cum ante in Bihorienſi quinque notarit; accipiat hujus cauſam diverſitatis, quia videlicet totus Békeſienſis, Comitatus ſolum XX. Poſſeſſiones, Bihorienſis vero CCCCLXIV. in ſe continent.

(*c*) Non abs re dixi: *ſi Collectioni Pontificiæ Decimæ fides tuto haberi poteſt* Illa enim certe adeo intricata, & erroribus plena eſt, ut Collectores Decimæ videantur magis de colligenda pecunia, quam de recta rerum, & Poſſeſſionum ordinis connotatione ſolliciti fuiſſe. En! non fallax experimentum. Sub Rubrica: *Incipit de Archi-Diaconatu de Bekes*, exponit generatim ſolutionem a Capitulo Varadinenſi præſtitam: tum Præpoſiti, ac ſingillatim Cathedralis Eccleſiæ Canonicorum ſolutiones notat: deinde Præpoſiti S. Stephani de Promontorio Varadinenſi, & ejus Conventus, qui Præmonſtratenſes erant: Abbatis de S. Joq. Altariſtæ S. Ladislai R. Denique Capellanorum Epiſcopi, & ſeriatim Sacerdotum Præbendariorum, qui ad decantandas preces horarias deputati fuere. Jam vero, attenta ſolum Rubrica, hos omnes in Comitatu, & Archi-Diaconatu Békeſienſi collocare oporteret; quod tamen cum veri-

Rursus immodice erat, dum credit ab S. Ladislao solum Collegiatam Ecclesiam fundatam esse.

Reliquum est, ut in examen vocemus, num quidquam rationis habeat, quod Adversarius de fundata ab S. Ladislao Varadini Collegiata Ecclesia grandibus admodum animis, nec minore ostentat confidentia. Postquam nimirum e tribus, quas ante presso ab se pede teri putavit, orbitis excuti se sensit, quartam, cujus se reperisse vestigium grandiore errore putat, tenere constituit: ast certe nihilo meliore successu. Primum operosa tuitus erat contentione, *Monasterium*, quod Thuroczius ab S. Ladislao in honorem Virginis Mariæ constructum exerte affirmat, nihil aliud, quam Religiosorum Virorum Cœnobium indicare (a) In hac semita non satis tuto se progredi animadvertens, Thuroczii de S. Ladislao isthoc testimonium: *In Parochia Castri Bihor Monasterium in honorem Virginis Mariæ* construxit, uti & Matthiæ Corvini Diploma, in quo S. Ladislaus Varadinensis Ecclesiæ *Fundator* exstantissime dicitur, ita mollienda esse, intentis nervis contendit, ut hunc Episcopatum non quidem condiderit, sed fundis solum locupletaverit. (b) Verum hoc quoque campo depulsus; Tertio pugnat, & nobis persuadere omnibus nititur viribus, testimonia illa; quæ S. Ladislaum Ecclesiæ Varadinensis Fundatorem faciunt, eo trahenda esse, ut *certe* Ecclesiam solum, non item Episcopatum designare videantur. (c) Ast neque hic se consistere posse videns, nuspiam tutus, nuspiam securus, atque firmus, ac undique obseptus, denique Quarto plane inficiali molitur ratione, S. Ladislaum, Fundatorem quidem Collegiatæ Ecclesiæ, vel Monasterii, quod Mathias Corvinus, & Thuroczius ajunt, non item Epi-

veritate aperte pugnare, certum est, nullus enim eorum ad Provinciam Békesiensem pertinet; verum omnes ad unum in Comitatu, & Archi-Diaconatu Bihoriensi, seu Cathedrali quærendi sunt: & nihilominus sub Rubrica Archi-Diaconatus Bihoriensis nullius illorum Collectio Decimæ meminit. Præterea, Villam Olaszi ad Archi-Diaconatum Békesiensem refert, quam manifestum est, non modo ad Bihoriensem spectare, sed & Civitatis Varadinensis partem, sedemque Episcopi, & Capituli esse. Taceo plura alia, quando vel ex his clarissime apparet, nihil ex Collectione Decimæ Pontificiæ ad comprobandam, stabiliendamve Adversarii opinionem, alioquin nullo nixam fundamento, exprimi posse.

(a) Dissert. de S. Ladisl. pag. 59. & Hier. Hung. pag. 92. sequ.
(b) Dissert. de S. Ladisl. pag. 55. 56. 75.
(c) Hier. Hung. pag. 126.

Episcopatus Varadinensis Conditorem fuisse. (a) Placet mihi Virum doctum in eas esse antrorsum, retrorsum, dextrorsum, siniſtrorsum concluſum anguſtias, ut ubivis exitum quærere neceſſum habeat. Verum in quamcunque ſe vertat partem, nullibi profecto nobis effugiet. Tria priora alibi jam confutavi. Quartum, & poſtremum, quoniam valde miras in ſe complectitur ſingularitates, nolo enim dicere, vana ſomnia, paulo prolixius iſthic convellendum eſt.

Itaque: Adverſarius ſic ſuam orditur texere telam: Monaſterium, quod Thuroczius ab Ladislao in honorem Virginis Mariæ conſtructum affirmat, nihil aliud, quam Eccleſiam Collegiatam indicat, *cum Conſcriptio Decimæ Pontificiæ ſæculi XIV. præter Cathedralem Eccleſiam, Collegiatæ, quæ Varadini extiterat, etiam meminerit. Ex quibus*, ſic ille porro, *Stephanus Conditor Epiſcopatus Varadinenſis, Ladislaus vero Collegiatæ Eccleſiæ Beatæ Virginis Minoris Fundator fuiſſe, dici congruentiſſime poteſt; præſertim, quod Literæ Mathiæ Corvini diſerte non exprimant, an laudatum ſupra Tributum Fori ad Cathedralis, vel Collegiatæ Eccleſiæ Capitulum pertinuerit. Quod ſi in Collegiata, non item Cathedrali Eccleſia D. Ladislai corpus fuerit conditum, tum quidem omnia momenta, quæ pro eo tanquam Epiſcopatus Varadinenſis Fundatore afferuntur, ex ſe ſe collabi neceſſe eſt. Et quis hactenus perſpicue docuit, Sanctiſſimum Regem in hac, vel illa Eccleſia tumulatum fuiſſe, quando ante me nemo geminum Varadini Capitulum exſtitiſſe docuit?* Hæc ille ad verbum, quæ nos in membra ſecamus. Igitur, 1*mo* affirmat: Conſcriptionem Decimæ Pontificiæ teſtari, *Collegiatam* Eccleſiam *Varadini* exſtitiſſe. 2*do* adſtruit, S. Stephanum Epiſcopatus Varadinenſis, & Eccleſiæ Cathedralis cum Capitulo, S. Ladislaum vero Collegiatæ duntaxat Eccleſiæ Varadinenſis Fundatores eſſe. 3*tio* incertum eſſe ſtatuit, cujusnam Eccleſiæ, Cathedralis, an Collegiatæ Capitulum Diploma Mathiæ Corvini Regis reſpiciat. 4*to* dubitat, num in Eccleſia Cathedrali, aut Collegiata S. Ladislaus tumulo illatus ſit? 5*to* neminem hactenus docuiſſe, in

(a) Hier. Hung. pag. 127.

quanam e duabus Ecclesiis S. Ladislaus sepultus fuerit, asseverat. *6to* denique non sine gloriolæ titillatione occinit, neminem ante se docuisse, geminum Varadini Capitulum extitisse.

Et insuper jactat, ejus se Inventorem esse.

Hoc postremum prorsus lepidum est, & bona Cl. scriptoris venia dictum sit, inficetum ostentationis studium portendit. Inveniisse se, ac una etiam docuisse existimat, Varadini geminum Capitulum extitisse: sed certe frustra se hujus Inventorem frustra Doctorem jactat; neutrum illi, etsi percupiam, tribuere licet. Legit is in Conscriptione Decimæ Pontificiæ sæculi XIV. Demetrium Præpositum, & Capitulum Ecclesiæ Beatæ Virginis Minoris, & quia sibi, uti apparet, persvasit, neminem ante se Varadini Præposituram Minoris B. Virginis legisse uspiam & unquam: ac præterea nomine Ecclesiæ S. Mariæ Minoris, Collegiatam Ecclesiam venire; idcirco arbitratur, se primum esse, qui Ecclesiam S. Mariæ Minoris Varadini detexerit: & quod hinc consectaneum esse putat, neminem ante se novisse, quod olim Varadini Præpositus, & Ecclesia B. Virginis Minoris, hoc est, præter Cathedralem etiam Collegiata Ecclesia extiterit: proinde gloriam inventæ hujus rei singulariſſimæ sibi ante alios, imo sibi uni solum deberi palam pronuntiat. Ast, dolet mihi vehementissime, quod hic quidem præmium laudis, Inventoribus destinatum, neutiquam sit meritus: immo invitus dico, ob promptum tanta præcipitantia sibi ipsi testimonium, etiam vituperii pœna adficiendus esset.

Miror profecto ego Virum Doctum, & in Historia Hungarica, quod illi recte tribuitur, egregie exercitatum, ignorasse Diploma Sigismundi Regis a Mathia Corvino innovatum, in quo exstantissime nominatur *Præpositus Minoris Ecclesiæ Beatæ Mariæ Virginis*; & tanto magis miror, quoniam Diploma isthoc jam ante annos decem per Capitulum Varadinense contra C. V. coram Judicio productum fuerit, & inallegatum. Quod & mihi, & multis aliis, ut natura litium fert, exploratissimum erat, illi ignoratum esse non debebat. Igitur, ante quam speciminis Hierachiæ Hungaricæ partem alteram vulgasset, jam per Fora ferebatur, palamque fuit, Varadini etiam Ecclesiam Sanctæ Mariæ Minoris exstitisse: & si Ecclesia Minor ex se se, Collegiatam indicat; ante Cl. Prayum geminum Varadini

Ca-

Capitulum extitiſſe, jam palam, manifeſte, & in Judicio coram Judice edoctum fuit. Atque ideo Primum ſe hujus Inventorem, ac Doctorem immerito profeſſus eſt, ejusque iſthac gloriola adſperſa, ſententia corrigenda, exterendaque venit. Quoniam vero Sigiſmundi Regis Diploma id exertis verbis comprobat, & præterea ad convellendam reliquam Adverſarii doctrinam illius uſus erit, juverit authentici Documenti hujus partem, hoc loco exſcribere. Sic autem habet:

Quam gloriolam Sigismundi R. Diploma diſſipat.

Nos Mathias Dei gratia Rex Hungariæ, Bohemiæ - - Damus pro memoria, quod cum in cauſa inter Honorabile Capitulum Eccleſiæ Varadinenſis ex una, ac inter Circumſpectos univerſos Cives cunctarum Liberarum Civitatum Noſtrarum tam intra ambitum hujus Regni Noſtri, quam etiam in partibus Tranſylvanis ubilibet habitarum, ex altera partibus, ratione Tributi in Civitate Varadienſi per ipſum Capitulum exigi ſoliti, coram noſtra perſonali præſentia mota, Feria 2da proxima poſt Feſtum Beatæ Sophiæ Viduæ per Ladislaum de Solmos legitimum Procuratorem ipſius Capituli. In judicio coram eadem noſtra perſonali præſentia quædam literæ Capituli Eccleſiæ Chanadienſis Privilegiales ſub pendenti ſigillo confectæ exhibitæ fuiſſent, mox Michael Ratz, & Benedictus Literatus, inhabitatores ejusdem Civitatis noſtræ Budenſis, ac Stephanus de Saſvár nominibus & in perſonis eorundem Civium noſtrorum, ut puta Buden. Peſthien. Alben. Caſſovien. Eperjes. Bartpha, Lóche, Cibinien. Braſſovien. Kolosvarien. & de Kevvy, nec non cunctarum aliarum Civitatum Regalium coram noſtra perſonali conſtituti, præſentia, paria hujuſmodi Literarum dicti Capituli eisdem per Nos dari ſupplicarunt. Quarum tenor is eſt: Capitulum Eccleſiæ Chanadien. Omnibus Chriſti fidelibus præſentibus pariter & futuris, harum notitiam habituris ſalutem in ſalutis Largitore! Ad univerſorum notitiam harum ſerie volumus pervenire, quod Honorabiles Viri Domini Anthonius Cantor & Decanus, ac alter Anthonius Kozma Canonici Eccleſiæ Varadinenſis in Noſtri medium perſonaliter conſtituti exhibuerunt, & præſentaverunt Nobis quasdam literas patentes Sereniſſimi Principis Domini Sigiſmundi Dei gratia Romanorum Regis ſemper Auguſti, ac Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ - - Regis, Domini Noſtri naturalis, ſecreto ſuo Sigillo Sigillatas, tenoris infraſcripti, petentes Nos debita cum

instantia, ut tenorem earundem paribus Literis Nostris Privilegialibus transcribi, & transumi faciendo Eisdem dare dignaremur; quarum tenor talis est: Nos Sigismundus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex. Memoriæ commendamus tenore præsentium significantes, quibus expedit, universis, quod Nobis una cum nonnullis Prælatis, & Baronibus Nostris, in Civitate Nostra Posonienſi constitutis, Causisque cunctorum, Nobis conquerentium, audientibus, & justo æquitatis tramite distinguentibus, honorabiles & discreti Viri Domini Joannes de Pestes Præpositus Minoris Ecclesie Beate Marie Virginis de Castro Varadinenſi, nec non Magistri Martinus, Anthonius, & Petrus, Canonici Ecclesie Cathedralis Varadinenſis pro se personaliter, ac toto Capitulo, & universis Canonicis ipsius Ecclesiæ Varadinenſis, cum Procuratoriis Literis ejusdem Capituli, Nostræ Celsitudinis, ac eorum Prælatorum & Baronum Nostrorum venientes in præsentiam, & præsente, audiente, & vidente fideli Nostro Reverendo in Christo Patre Domino Dionisio Jakeh Episcopo Ecclesiæ Varadinenſis prædictæ quasdam quatuor literas Nobis, ac ipsis Prælatis, & Baronibus Nostris curarunt demonstrare, quarum quidem Literarum prima est Nostra Privilegialis, sub majori Nostro authentico duplici pendenti, quo nunc ut Rex Hungariæ utimur sigillo Anno Domini Millesimo quadringentesimo duodecimo Nono Kalendas Augusti, Regnorum autem Nostrorum Hungariæ &c. vigesimo quarto, Romanorum vero secundo emanata, tenoremque literarum quondam Domini Emerici Episcopi præfatæ Ecclesiæ Varadinenſis anno Domini Millesimo ducentesimo nonagesimo septimo confectarum, trascriben. Seriem & continentiam Literarum olim Bartholomæi similiter Episcopi jam fatæ Ecclesiæ Varadinenſis, feria Tertia proxima ante festum Beati Laurentii Martyris anno Verbi incarnati Millesimo Ducentesimo Octoagesimo quinto subortarum confirmatione in se habente manifestabat, &c.

Habemus ex hinc I*mo*. Joannem de Pestes Præpositum *Minoris Ecclesiæ* B. V. M. fuisse. II*do* Hanc Ecclesiam *de Castro Varadinenſi* dictam fuisse. III*tio*. Cum Præposito Joanne Pestes tres alios *Cathedralis Ecclésiæ* Varadinenſis suo, & totius Capituli, ac Canonicorum nomine causam suam coram Rege in Conventu Posonienſi egisse. Ex his vero necesse est, omnem Adver-

versarii machinam collabi. Quod & si ex se se eluceat, oportet tamen quorumdam causa fusius explanare. Affirmat ille *Imo* Thuroczii *Monasterium*, ab S. Ladislao Varadini conditum, nihil aliud, quam Ecclesiam Collegiatam indicare. Cur ita? quia, inquit, Conscriptio Decimæ Pontificiæ sæculi XIV. præter Cathedralem Ecclesiam, etiam Collegiatam Varadini extitisse memorat. At hoc a vero longe abest, nullibi enim nominat *Collegiatam* Ecclesiam. Sed, instat Noster, Conscriptio illa habet: *Demetrius Præpositus Ecclesiæ B. V. Minoris, et Capitulum ejusdem loci solvit* 88. *grossos.* (a) Igitur, præter Cathedralem, etiam Collegiatam Ecclesiam Varadini sæculo XIV. extitisse perhibet; quia Capitulum Ecclesiæ Minoris ex se se Collegiatam significat. Id equidem nemo Ecclesiasticarum rerum peritus sibi persvaserit. (b) Isti enim soli norunt, præter Ecclesias Collegiatas dari etiam *Communitativas*, quæ in multis conveniunt cum Collegiatis, quin sint Collegiatæ. Proinde nisi rite sciantur differentiæ intercedentes Ecclesiam Communitativam inter & Collegiatam, facile haud est dijudicare, ex quibus habenda sit aliqua Ecclesia pro Collegiata, eo magis, quod utriusque Beneficiati interdum Canonici nominentur. (c)

In omnibus fere Capitulis Hungariæ Præpositi Majores, & Minores habebantur. Illi toti Collegio Canonicorum, uti & Præposito Minori præerant, & Cathedralis Ecclesiæ Præpositi dicebantur. Ecclesia Minor Collegiatam ex se se non indicat.

(a) Sic habet Noster Hier. pag. 127. Sed mutilam, nec integre refert sententiam; nam in Conscriptione illa apud nostrum pag. 147. hæc leguntur: *Præpositus Ecclesiæ S. Mariæ Minoris juxta Portum, & Capitulum ejusdem* 88. grossos solvit. Proinde voculas: *juxta Portum* omisit Cl. Pray, ex suo vero addidit voculam: *Loci*, uti &: *Demetrius*. Habet quidem Conscriptio ista verba: *Demetrius Præpositus Minoris Ecclesiæ beatæ Virginis* 65. *grossos*: Sed his immediate subjicit priorem sententiam. Unde, si utramque rite expendamus, apparet potius, Demetrium fuisse quidem Præpositum Minoris Ecclesiæ, verum illius *juxta Portum*, quæ una Capitulo provisa fuit, quum prioris Capitulum nuspiam memoretur. Quidquid sit; semper tamen Adversarii licentiam improbare oportet, quod mutilatam partim, partim pro lubitu auctam sententiam obtrudere non sit veritus.

(b) Non de nomine cum Grammaticis discepto, quibus quævis certarum personarum segregata a vulgo Communitas, Collegium dicitur; verum de voce ago, prout illam Leges Ecclesiasticæ usurpant.

(c) Vid. Decis. Rot. Rom. in Thelesina Collegiatæ 4. Julii 1754. sub Crescent. Cardin.

bantur: isti quoque interdum Collegii Minoris Ecclesiæ Canonicis præerant, & simpliciter Præpositi Minores, vel Ecclesiæ Minoris nominabantur. Omnes autem tam hi, quam illi præprimis ad Cathedralis Ecclesiæ servitia deputabantur, unumque morale Corpus effecerunt, quin in Cathedralem, & Collegiatam Ecclesiam dividerentur; sed universi nomine Cathedralis Ecclesiæ Canonicorum veniebant, & solum quoad præstanda in hac, aut illa Ecclesia servitia distinguebantur. (a) Habent etiam hodie omnia pene Capitula Hungariæ suos Præpositos Minores, quos Collegiatæ Ecclesiæ Præpositos fatue compellaremus. Et hæc Dignitas ambulatoria est, atque ultimo perinde & primo Canonico Cathedralis Ecclesiæ conferri potest. Etsi autem isti modo nullos sub se Canonicos habeant, si tamen Præpositura Minor, aut Ecclesiæ Minoris, Collegiatam indicat, utique idem esse debet, seu illos Præpositos Minores, (b) hoc est, Ecclesiæ Minoris, sive Collegiatæ nominemus. Hoc si agimus, dubio procul ridiculos nos efficimus. Non itaque, si Historiam, & Leges Ecclesiasticas attendimus, Præpositi & Capituli Ecclesiæ Minoris nomine confestim Præpositus, & Capitulum Collegiatæ Ecclesiæ intelligitur; & quod hinc consequitur, non recte Adversarius ex Conscriptione Decimæ Pontificiæ Varadini Capitulum Ecclesiæ Collegiatæ exsculpsit. (c)

Cæ-

(a) Scio equidem, sequiori ætate a nonnullis Præpositos Cathedrali Ecclesiæ ingremiatos, qui Canonicos pro alius Ecclesiæ servitio destinatos, sub se habebant, nonnunquam Præpositos Collegiatæ Ecclesiæ nominari. Sic Joannes de Canisa Archi-Episcopus Strigonienſis Ecclesiam S. Stephani Protomartyris Strigonii anno 1391. fundavit cum sex Canonicis & Præposito, quam Collegiatam vocavit. Ast id perperam ad sæculum XI. traduceretur; & hi neque dicebantur Præpositi Ecclesiæ Minoris, adeoque nullum inde ad rem Adversarii extundi potest argumentum.

(b) Si Ecclesia Minor ex se se Collegiatam indicat, dubio procul ab oppositio Ecclesia Collegiata, Minorem indicabit: proinde idem erit, seu dicam: Collegiatæ Ecclesiæ Posonienſis Præpositus, sive: Ecclesiæ Minoris Posonienſis Præpositus. Id vero prorsus ineptum est; uti &, si Præpositum Posonienſem, *Minorem* dicam. Itaque quemadmodum Præpositura Minor, seu Minoris Ecclesiæ non est idem, quod Præpositura Collegiatæ Ecclesiæ, ita neque Capitulum Ecclesiæ Minoris est idem cum Capitulo Ecclesiæ Collegiatæ.

(c) Non rectas ideas habet Adversarius de Collegiatis Ecclesiis, earum Notas videtur non noscere. Sciat itaque Ecclesias Parochiales erigi solere in Collegiatas. Collegialitas vero Ecclesiæ probari debet *Imo* Ex immemorabili reputatione, & nomina-

tione

Cæterum, cedo, Conſcriptionem Decimæ Pontificiæ verbis illis: *Præpoſitus Eccleſiæ B. V. Minoris, & Capitulum*, indicare voluiſſe, & reipſa indicaſſe etiam Eccleſiam Collegiatam; perperam nihilominus, attenta ſolum Conſcriptione Decimæ Pontificiæ iſthinc argueretur, quod tamen Noſter pugnat, præter Cathedralem Eccleſiam, etiam Collegiatam *Varadini* extitiſſe. Verba Conſcriptionis, ut vidimus, iſta ſunt: *Præpoſitus Eccleſiæ S. Mariæ Minoris juxta Portum, & Capitulum ejusdem.* Quod ſi ex his nomine Eccleſiæ Minoris, Eccleſiam Collegiatam ſignificari evincere contendimus, ante omnia Conſcriptioni huic fidem habere oprtet; ſecus enim ſupervacuum, imo inſanum etiam erit, ejus authoritate, atque teſtimonio ad probandum uti. Atqui Conſcriptio Decimæ Pontificiæ Præpoſitum, & Capitulum Eccleſiæ S. Mariæ Minoris in Archi-Diaconatu, & quod hinc efficitur, Comitatu Békeſienſi exerte collocat. Igitur Minor hæc Eccleſia, ſive Collegiata non Varadini, quod in Archi-Diaconatu, & Comitatu Biharienſi eſt, verum in Békeſienſi quæri Debet. Ad hæc, Conſcriptio Decimæ Pontificiæ clariſſime perhibet, Eccleſiam S. Mariæ Minoris, Præpoſitum item, & ejus Capitulum *juxta Portum*, ſolviſſe Decimam. Peto, doceat nos Adverſarius, ubi? qualis? cujus nominis Portus Varadini unquam extitit? neque enim exiſtimo, quempiam ita temulentum eſſe, ut dicere audeat Varadinum illa ætate Mare, aut naves ferentem fluvium alluiſſe. Habet quidem Varadinum Chryſium flumen, qui etſi ſatis lato hic decurrat alveo, non tamen cujuſcunque demum navium patiens eſt; vix exiguæ molis

Cym-

---

tione Collegialitatis, junctis enunciativis antiquis. II*do.* Ex Literis Apoſtolicis dirigi ſolitis Canonicis Collegiatæ. III*tio* Ex communi Sigillo, id eſt: proprio ipſius Collegii. IV*to.* Ex communi Arca, & Maſſa. V*to.* Ex Congregationibus Capitulariter factis. VI*to.* Ex juramento, poſito a Proviſis, de ſervandis conſvetudinibus, ſtatutis, & conſtitutionibus ipſius Eccleſiæ. VII*mo.* Ex venditionibus, locationibus, aliis contractibus Capitulariter factis. VIII*vo.* Ex jure eligendi Prælatum, aut Reſervationibus. IX*no.* Ex eo, quod cura animarum ſit penes Capitulum. X*mo.* Ex eo, quod in Actibus Viſitationis dicatur ab Epiſcopo Collegiata &c. Hæc ſi Adverſario nota fuiſſent, profecto non ita Senatoria authoritate pronunciaſſet, Varadini præter Cathedralem, etiam Collegiatam Eccleſiam exſtitiſſe. Inquirere prius debuiſſet, num Notæ Collegialitatis Eccleſiæ Minori, cujus Conſcriptio Decimæ Papalis meminit, congruant.

Cymbis ferendis sufficit. Frustra igitur authoritate Conscriptionis Decimæ Pontificiæ perquiritur Varadini Ecclesia S. Mariæ Minoris, seu Collegiata *juxta Portum*. Nullum hic adest Portus vestigium, adeoque nulla quoque Varadini Collegiata Ecclesia extitit. Hæc ex fide duntaxat Conscriptionis Decimæ Pontificiæ, ex qua sola suas Adversarius pro Ecclesia Collegiata iniit rationes.

Nulla itaque Collegiata Ecclesia Varadini comprobata, suapte confit, male Adversarium hariolatum fuisse, dum scripsit: *Opinor Virginis Minoris nomen ea de causa illic adjectum, ut a Majore discerneretur; itaque - - hæc Cathedralis, illa Collegiata esset. Ex quibus si mediam viam amplexi, illam Stephano, hanc Ladislao tribuamus, omnis liti via obsepta est, & Stephanus Conditor Episcopatus Varadinensis, Ladislaus vero Collegiatæ Ecclesiæ B. V. Minoris, sive, ut Thurocziana phrasi utar, Monasterii in honorem Virginis Mariæ constructi, Fundator fuisse, dici congruentissime potest.* Sic ille; at nescio sane eccur tam enormi confidentia? Sine dubio, si illum audimus, omnis liti via obsepta est, hoc est, si quod illi pro lubitu affirmare placet, id alii quoque omnes cæco impetu amplectantur, omnis eatenus disceptatio finita est: ast nondum docuit Vir doctus Varadini aliqando Collegiatam Ecclesiam B. V. Minoris exstitisse; minime vero a S. Ladislao R. fundatam, nihil certe pro Sancto Ladislao argumenti, nihil verisimilitudinis, quin ne suspicionis quidem quidquam attulit: idcirco mediam viam, quod ille nobis arbitrarie persvadere nititur, quæ ob id plus quam cymeriis tenebris offusa est, nisi omnem sensum abjiciamus, utique prudenter amplecti nequimus: adeoque, si sapimus, neque dicere: S. Stephanum Conditorem esse Episcopatus Varadinensis, S. Ladislaum vero Ecclesiæ Collegiatæ. Quod utrumque inter parerga reponimus.

Nec erat Collegiata Ecclesia Sæculo XI Varadini.

Verum, demus rursum pro liberalitate nostra tempore Conscriptionis Decimæ Pontificiæ, id est, sæculo XIV. Varadini præter Cathedralem, etiam Collegiatam Ecclesiam fuisse, an isthinc in forma, quod dicimus, probante argui possit: ergo etiam tempore S. Ladislai, hoc est, ante tria sæcula, sive sæculo XI. fuit Varadini Ecclesia Collegiata: ergo hanc non alius, quam

quam S. Ladislaus fundavit. Dum hujusmodi novitates procuduntur, rationes in numerato habere oportet. Proinde evincere prius debebat Adversarius, Ecclesiam Minorem, cujus Conscriptio Decimæ Pontificiæ mentionem facit, jam sæculo XI. Varadini extitisse: tum illam non ab alio, quam S. Ladislao conditam fuisse; dicit enim Noster, Varadinensem Episcopen ab S. Stephano fundatam esse, itaque poterat ille ipse, aut quispiam ejus ad S. Ladislaum usque Successorum Regum fundare. Nam hactenus pro S. Ladislao eadem omnino, quæ pro Antecessoribus ejus, Regibus Hungariæ argumenta pugnant, hoc est, pro his, proque illo rationis vices sola voluntas subit. Illa ergo nobis ante certis momentis, non solis verbis, Adversarius comprobet; & tum fortasse pigmentum quoddam opinioni suæ adderet, & nos ad amplectendam mediam illam viam fidentius cohortari, etsi ne tum quidem ex arena discederemus, suppetunt enim pro S. Ladislao Conditore Episcopatus Varadinensis non levia argumenta, saltem sub fucato quopiam obtentu posset.

Adeoque in Collegiata S. Ladislaus non potuit sepeliri.

Quia proinde nondum evicit, nec unquam evincere potis fiet, Varadini sæculo XI. præter Ecclesiam Cathedralem, etiam Collegiatam exstitisse; minus vero hanc, etsi exstitisset, a S. Ladislao conditam fuisse: nobis contra, quod vidimus, certum esset, Episcopatum Varadinensem, & duntaxat Ecclesiam Cathedralem a S Ladislao fundata esse; eapropter ludicra prorsus, inanis, ac miserabiliter consarcinata est Adversarii isthæc animadversio: *literæ Mathiæ Corvini - - diserte non exprimunt, an laudatum supra Tributum Fori ad Cathedralis, vel Collegiatæ Capitulum pertinuerit.* (a) Hinc vero argui posse credit, S. Ladislaum Collegiatæ solum Ecclesiæ Varadini Fundatorem fuisse. Incertum igitur illi est, cuinam Capitulo, Cathedrali an Collegiali Mathias Rex Tributum Fori confirmaverit? Atqui Mathias Rex illud Fori Tributum, illique Capitulo confirmavit, quod antea, & cui Capitulo Sigismundus Rex stabilivit. Hoc vero Capitulum, Cathedralis Ecclesiæ Varadinensis esse, ipsæ literæ Sigismundi, quas eatenus largitus est, quasque Mathias Corvinus novo suo Diplomati de verbo ad verbum inseruit, lu-

(a) Hier. P. II. pag. 128.

ce meridiana clarius docent. In his, uti vidimus, ista habentur: *Domini Joannes de Pestes Præpositus Minoris Ecclesiæ B. Mariæ Virginis de Castro Varadinensi, nec non Magistri Anthonius, & Petrus Canonici Ecclesiæ Cathedralis Varadinensis, pro se personaliter, ac toto Capitulo, & universis Canonicis ipsius Ecclesiæ Varadinensis* - - Audin' Præpositus minor cum aliis duobus Canonicis Ecclesiæ Cathedralis ad Regem ablegati erant, petiveruntque Tributum Fori Varadinensis sibi, ac totie jusdem Capitulo Ecclesiæ, cujus illi membra fuerunt, Regiis literis confirmari.

Incertumne censebit adhuc Adversarius, an laudatum Fori Tributum ad Cathedralis, vel Collegiatæ Ecclesiæ Capitulum pertinuerit? Id equidem si etiamnum existimat, non modo obstinatissimum, verum in media quoque luce nihil videntem, pronuntiare illum ausim. Itaque velut manu contrectabile est, literas illas Ecclesiæ Cathedralis Canonicos, quorum, suoque nomine supplices facti fuerunt, respexisse; non vero umbratile illud, & pro lubitu excogitatum Capitulum Collegiale. Nec ullum prudens dubium movere potest, quod Mathias R. in suo Diplomate *Cathedrale* exerte non exprimat; Cur enim, quæso, exprimeret? quando ipsa notio, communisque usus vocum: *Capitulum Varadinense* cuivis continuo indicat, id Cathedrale esse. Stylus certe ferme semper, & ubivis usitatissimus fuit, & hodie quoque obtinet, Cathedralis Ecclesiæ Canonicorum Collegia his solummodo nominibus: *Capitulum Agriense*, *Capitulum Jaurinense*, indicari, indigitarique. Id, quod innumera Diplomata exploratissimum faciunt. En! idipsum vel ex relatis paulo ante literis manifeste apparet, in quibus Capitulum Chanadiense, non se diserte compellat *Cathedrale*, sed duntaxat: *Capitulum Ecclesiæ Chanadiensis*. An autem propterea existimabimus, non illud fuisse Cathedrale? vel præter Cathedrale, etiam Collegiatum Chanadini Capitulum extitisse? Hoc sane esset vigilando somniare. Idem omnino intelligendum est de Diplomate Mathiæ Corvini: imo, quia istud diserte non exprimit, Tributum Fori ad Canonicos Ecclesiæ *Cathedralis* pertinere; ex hoc ipso legitime infero, Varadini unum solum Capitulum, idque dubio procul Cathedrale fuisse. Si enim præter hoc etiam Collegiatæ Ecclesiæ Capitulum isthic exstitisset; profecto ad evitandam omnem, quæ post temporum intervalla oriri potuisset, con-

confusionem, non erat Mathias Corvinus in suis literis omissurus disertam facere mentionem Capituli, quod e duobus Fori Tributum respiciat. Id prudens providentia svadere debebat. Proinde, Adversarii portentosum idmodi paradoxum, argumentandique methodum futilibus accensemus lusibus.

Et tamen ille ex his fere, mirum in modum aliorsum detortis, principiis probare velle videtur, S. Ladislai Regis Corpus forte in Collegiata Ecclesia Varadini tumulo illatum esse. Sic enim porro scribit: *Quod si in ea, quam ex Decima Pontificia memoravi, Collegiata, non item Cathedrali Ecclesia Divi Ladislai Corpus fuerit conditum, tum quidem omnia momenta, quæ pro eo tanquam Episcopatus Varadinensis Fundatore adferuntur, ex se se collabi necesse est.* Ita ille facetiis indulgere nunquam cessat. Sed frustra. Doceat ante, quod identidem repetendum mihi est, Varadini Ecclesiam Collegiatam sæculo XI. extitisse; id vero nisi fecerit, in arena irrito conatu ædificat. Si enim tunc non extitit, absque dubio in illa Corpus Divi Ladislai condi non potuit. Verum, ne id quidem docebit unquam, quod sæculo XIV. Varadini Collegiata Ecclesia extiterit, adeoque ad Conscriptionem Decimæ Pontificiæ omnino inaniter provocat; ex hac enim certo id nunquam, quod hactenus ad liquidum perduxi, docebit; quin potius ipsa illa Conscriptio omnem opinionis ejus umbram dissipat: quamvis enim admitteremus, nomine Ecclesiæ Minoris indicari Collegiatam, hanc nihilominus dum in Archi-Diaconatu Békesiensi, & juxta Portum collocat, quid aliud nobis testatur, quam ut illam in Comitatu pariter Békesiensi quæramus. (*a*) Non igitur S. Ladislai Corpus Varadini in Ecclesia Collegiata, verum in Ecclesia Cathedrali conditum esse, uti rem exploratissimam tenere debemus: & ego Adversarii argumentum in usum meum converto: Quod si Varadini in Cathedrali Ecclesia B. Ladislai Corpus fuerit conditum, tum quidem omnia momenta, quæ pro eo tamquam Episcopatus Varadinensis conditore adferuntur, rem nobis prorsus evi-

(*a*) Imo in eam abeo sententiam, quod sæculo XI. in Hungaria nulla prorsus Collegiata extierit Ecclesia; quia ejus vestigium nuspiam reperio.

ctam dant. Et quis hactenus vel tenuissima probabilitate docuit, S. Ladislaum non in Cathedrali Ecclesia Varadinensi conditum fuisse, quando id ante Cl. Prayum nemo mortalium somniavit unquam. Hinc vero dilucide efficitur, istud quoque ejus pigmento oblitum momentum plus quam evanidum esse.

Verum in Cathedrali, tumulo illatus fuit

Ne hilo solidius est, quod in hujus confirmationem jactat hisce verbis: *Quis hactenus perspicue docuit, sanctissimum Regem in hac, vel illa Ecclesia tumulatum fuisse.* Atqui quid opus est perspicue docere, quod apud omnes ab septem jam retroactis saeculis ita perspicuum habetur, ut profecto temulentum esse oporteat, qui vel in dubium revocare audeat, num S. Ladislai Corpus in Cathadrali Ecclesia Varadini tumulo illatum sit. Certe nemo unquam de eo dubitavit, & neque dehinc, si modo excors non sit, dubitabit. Et cur doceri deberet perspicue Sigismundum Regem, ejusque Conjugem Varadini in Cathedrali Ecclesia conditos esse, quando id certissimum est. Ut ne tamen Adversarius sibi, ut facilis est, persvadeat, suae illi miro artificio compaginatae quaestiunculae vim quampiam inesse, dedocendus utique est gravissimum, quem errat, errorem. Sicubi, hic certo sui insigniter oblitus est. Ille ipse (a) promit Diploma Sigismundi Regis, quo Capitulo Varadinensi Tributum Fori confirmatur: in hoc vero exertis verbis S. Ladislaus Varadini in Cathedrali Basilica sepultus esse dicitur. En! (b) Sigismundus sic de se loquitur: *Nos personaliter Varadinum accessissemus glorioſissimi Regis Ladislai Sepulchrum, & Reliquias venerandas visitaturi - - ut inter cæteras intentiones nostras locum illum tam glorioſi Corporis jugi præsentia radiantem, multorumque aliorum sanctorum Reliquiis honorabilem visitationis nostræ participem facientes, concupitum quoddam cordis nostri propositum sequente monstraremus effectu, facta nempe electione nostræ sepulturæ in Ecclesia Cathedrali Varadinensi - -* Viden' Sigismundus Varadinum accessit, Lypsana S. Ladislai, & Sepulchrum veneraturus: tum locum illum, seu Sepulchrum visitans, declarat, sibi propositum esse, ut subinde eodem in loco sepeliatur: hunc porro sepulturæ

(a) Hier. Eccl. Par. II. pag. 115.
(b) Ibidem pag. 116.

turæ locum in Basilica *Cathedrali* Varadinensi esse, extantissime affirmat. Elegit ergo Sigismundus Sepulturam in illa Ecclesia, in qua sepulchrum, & Reliquiæ S. Ladislai erant; atqui hanc diserte Cathedralem vocat, igitur S. Ladislaus Varadini in Ecclesia Cathedrali sepultus fuit.

Id post pauca (*a*) idem Diploma pluribus, & apertius confirmat. Ita vero, postquam in Basilica Cathedrali Varadinensi sepulturam se elegisse dixit, habet: *Cum nedum eidem Ecclesiæ Varadinensi - - in qua venerabiles Reliquiæ ipsius glorioſi Regis Ladislai - - recondita fuerunt, antiquaque Privilegia prætacti Capituli -- combusta - - beatissimo Ladislao Rege, cujus Corpus glorioſissimum, & Reliquiæ venerabiles in eadem Ecclesia feliciter requiescunt, & multimodis præfulgent miraculis - - post hujus vitæ terminum in eadem Ecclesia desiderabiliter elegerimus Corpus nostrum terræ gremio commendare - - postulationibus ipsius Capituli - - cum foro quotidiano, & tributis, nec non nundinis - - sæpe dicto Capitulo Ecclesiæ Varadiensis dedimus, donavimus, & contulimus.* Cæcus sit, qui hinc rursum non videat, Tributum Fori Capitulo Cathedralis Ecclesiæ Varadinensis stabilitum, & Corpus S. Ladislai in eadem Ecclesia sepultum esse. Sigismundus quippe manifeste perhibet, *eidem* Ecclesiæ, in qua sepulturam elegit, Tributum Fori ab se confirmari: perhibet, in *eadem* Ecclesia Reliquias S. Ladislai R. conditas esse: perhibet, *ejusdem* Ecclesiæ Capituli Privilegia igni consumpta esse: perhibet, in *eadem* Ecclesia non qualescunque solum Reliquias, verum ipsum Corpus S. Ladislai quiescere: perhibet, se in *eadem* ista Ecclesia sepulturam elegisse. Atqui hanc eandem Ecclesiam expressis verbis *Cathedralem* nominat. Igitur, jam perspicue edoctum est, & Tribututm Fori Capitulo Cathedralis Ecclesiæ Varadinensis nova velut donatione collatum, & Corpus S. Ladislai in eadem Ecclesia Cathedrali Varadinensi tumulatum esse.

Quid? quod ipsemet Adversarius (*a*) exerte scribat: *Corpus Sancti Regis in Ecclesia Cathedrali, quam in Castro Varadi-*

(*a*) Ibidem a pag. 115. & in Disser. sua de S. Ladisl. pag. 32.
(*b*) Disser. de S. Ladisl. pag. 23.

nensi sitam fuisse, Rogerius Scriptor sæculi XIII. & Canonicus Varadinensis perhibet, conditum fuit - - Id inviolatum una cum Templo mansisse usque ad annum MCCXLI. quo Tartari totam Hungariam funestissimo incendio involverant, idem Rogerius testis est. Tum hujus ex *miserabili Carmine* utitur, ea sunt: *Dominæ vero, & Domicellæ, & puellæ Nobiles se in Ecclesiam Cathedralem recipere voluerunt, ipsi vero Tartari - - Cathedralem Ecclesiam - - combusserunt.* Mirum! si Rogerius Canonicus Varadinensis ignoravit, ubinam Corpus S. Ladislai quiescit; si item ignoravit, præter Cathedralem, etiam Collegiatam Ecclesiam Varadini fuisse. Certe, si quæ hic fuit, non illi Tartari peperciſſent, nec Rogerius, qui minutissima quæquæ commemorat, & Cathedralis Ecclesiæ toties meminit, rebusque gestis præsens aderat, ejus mentionem facere intermisisset. Nulla igitur adhuc sæculo XIII. Varadini Collegiata Ecclesia extitit; proinde neque Corpus S. Ladislai Regis Varadini in Collegiata Ecclesia componi poterat. Iterum ipsemet Adversarius (a) ex authentico, ut ait, Documento, anno MCCCCXLIII. ab Joanne de Zordisa Protonotario Cancellariæ Regis Hungariæ consignato, Hæc nobis narrat: *Varadinensis Ecclesia Cathedralis habuit duas Turres - - sub ipsa Turri - - Caput, & utraque manus S. Ladislai conservabatur, & ibidem a populo solebant visitari.* En! sub una Turrium Ecclesiæ Cathedralis Varadinensis asservabatur Corpus S. Ladislai. Igitur in Cathedrali Ecclesia compositum fuisse perspicuum est. Possem multa alia huc facientia adferre, sed cur abutar otio? quando ne quidem Docti de trivio ignorant. S. Ladislaum Varadini in Cathedrali Ecclesia sepultum fuisse; ut adeo vehementer mirari subeat, quo stomacho Adversarius omnia sua, nulla meliore causa, tam facile retractet; quove animo se se ita prodigere potuerit, ut scribere non vereretur: *Quis hactenus perspicue docuit, sanctissimum Regem in hac, vel illa Ecclesia tumulatum fuisse, quando ante me nemo geminum Varadini Capitulum extitisse docuit?* Et docuit? Bellissime! securo posthac loco sint critiria.

Conclusio. Hactenus dicta dilucide exhibent, Imo Adversarium perperam affirmasse, Conscriptionem Decimæ Pontificiæ sæculi XIV. præ-

(a) Ibidem pag. 35.

præter Cathedralem Ecclesiam, Collegiatæ quoque, quæ Varadini fuerit, meminisse. Quandoquidem Collegiatæ Ecclesiæ nulla illic fiat mentio, & Ecclesia Minor Collegiatam ex se non indicet: nec si indicaret, ex testimonio Conscriptionis Decimæ Pontificiæ inferretur, illam Varadini extitisse. II *do.* Male Cl. Pray hariolatum esse, quod S. Stephanus Conditor sit Episcopatus Varadinensis, S. Ladislaus vero solum Ecclesiæ Minoris, seu Collegiatæ, quia doceri prius deberet, Ecclesiam Collegiatam Varadini extitisse: tum illam a S. Ladislao erectam, fundatamque fuisse. Hoc tanto æquius poscimus, quia tametsi Ecclesia Minor, quod Conscriptio Pontificia sæculi XIV. habet, Collegiatam significaret, attamen nequit hinc argumentum ad sæculum XI. & S. Ladislaum duci; poterat enim, si quæ hic extitit, ab alio condi. III *tio.* Prorsus violentam esse Adversarii sententiam, qua incertum esse putat, an Mathias Corvinus Ecclesiæ Cathedrali, aut vero Collegiatæ Fori Tributum contulerit? quia Diploma Sigismundi Regis perspicue declarat, Privilegium illud ad Cathedralem Ecclesiam pertinere: quod ipsa scribendi ratio quoque, antiquior perinde & recentior non obscure docet. IV *to* Non recte dubitare Nostrum, an non Corpus B. Ladislai in Collegiata Ecclesia conditum sit? quia nondum docuit, nec unquam docebit, Varadini emortuali sæculo S. Ladislai Collegiatam fuisse, minus vero alibi, quam in Ecclesia Cathedrali Divi Regis corpus compositum esse. V *to* Non peritissime ab Adversario dici, neminem hactenus docuisse, S. Ladislaum in Cathedrali Ecclesia tumulo illatum fuisse; quia id, ut alia multa præteream, Literæ Sigismundi Regis, per ipsummet Adversarium productæ, perspicue docent; & nemo vigilans hactenus existimavit, S. Ladislaum extra Cathedralem Ecclesiam sepulturæ locum habuisse. Denique VI *to* a Cl. Pray majore gloria, quam veritate scriptam esse isthanc sui Panegyrim: *Ante me nemo geminum Varadini Capitulum extitisse docuit*; quia id phalera solum turgidis verbis enuntiavit, minime docuit, & neque deinceps docebit unquam, præsertim si ad sæculum XI. respiciamus. Sed &. falsissimum est, neminem ante illum prodidisse, quod Ecclesia Minor, quam ille ex Conscriptione Decimæ Pontificæ Collegiatam plane violento

to ſtudio facit, aliqando in Diæceſi Varadinenſi extiterit; quia Capitulum Varadinenſe in Sigiſmundi Regis Diplomate jam ante decennium, adeoque octo annis prius, quam ejus hæc Inventionis imaginariæ gloriola cum Hierachiæ Eccleſiaſticæ Parte II. lucem videret, in Proceſſu coram Judicio producto, Minorem Eccleſiam B. V. Mariæ de Caſtro Varadinenſi palam noram fecit, quin Inventorum Coronas præcoci ſibi ſtudio deſponſare contendiſſet.

Quæ omnia in hacce Mantiſſa declarata, certiſſime, ſi modo partium nimius abſit amor, nobis demonſtrant, Divum Ladislaum Regem Epiſcopatus, & Capituli Varadinenſis Conditorem eſſe, cujus gloriam, & commeritam laudem adverſus importunos Novitatum Venditores tueri, fuit ſcriptionis meæ

FINIS.

Hanc Dispunctionem Diatribæ Prayanæ excudere cœpi die III. *Novembris.* MDCCLXXXI. *finivi die* 22. Octobr. MDCCLXXXII.

Ignatius Bálent.

DEBRECENI EGYETEMI KÖNYVTÁR
Leit.
152.83-1953